CLAUDII SALMASII, VIRI MAXIMI, EPISTOLARUM LIBER PRIMUS. ACCEDUNT, DE LAUDIBUS ET VITA...

Anthony Clement, Claude : de Saumaise, Jonas Suyderhoff

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R.6.

NATIONALE
A 6
35 K
1

6 – 39. 9. 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXX. 7.18

Digitized by Google

Testimonia

Subactissimi vir ingenii; Weitzius Comment. ad lib. 2. v. 440. Val. Flacci Argon.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

CLAUDII SALMASII,
VIRI ILL.
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

Accedunt

DE LAUDIBUS ET VITA EJUSDEM PROLEGOMENA.

Accurante

ANTONIO CLEMENTIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE



LUGDUNI BATAVORUM
Ex Typographia ADRIANI WYNGAERDEN,
CIↃ IↃ CLVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISS. ET AMPLISSIMIS VIRIS,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. D.

AMELIO DE BOUCKHORST,

DOMINO DE WIMMENUM, ETC. ORDINIS EQUESTRIS ASSESSORI, RHENOLANDIÆ PRÆPOSITO ET AGGERUM PRÆFECTO, AD COMITIA POTENTISSIMORUM ORDINUM GENERALIUM NUPERRIME, NUNC AD CONSESSUM CONSILIARIORUM HOLLANDIÆ ET WEST-FRISIÆ ORDINUM DELEGATO.

D. GERARDO SCAEP,

EQUITI, DOMINO CORTEHOEVIÆ, PRÆPOTENTIS REIPUBL. AMSTELODAMENSIS EXCONSULI, AD COMITIA ORDINUM GENERALIUM NUPER DELEGATO, NUNC SENATUS QUOQUE CONSILIARIORUM HOLLANDIÆ ORDINUM ASSESSORI; LEGATIONIBUS AD SERENISSIMOS DANIÆ AC SUECIÆ REGES INCLYTO, ILLUSTRI.

D. CORNELIO DE BEVEREN,

EQUITI, STREVELSHOUCKII, WEST-ISELMONDÆ, DEVELSTEINII, LINDÆ, ETC. DOMINO; REIP. DORDRACENÆ EXCONSULI, IN PROCERUM HOLLANDIÆ ET WEST-FRISIÆ CONSESSUM PERPETUO, IN COMITIA VERO POTENTISSIMORUM ORDINUM GENERALIUM NUPER, NUNC VERO ETIAM SENATUS CONSILIARIORUM HOLLANDIÆ ORDINUM ASSESSORI; AD MAGNÆ BRITANNIÆ ET DANIÆ REGES, ALIOSQUE PRINCIPES, ET RESPUBLICAS EXLEGATO ORDINARIO.

UT ET

Ampliſſimis Spectatiſſimisque Viris,

Florentiſſimæ hujus Reipublicæ Lugdunenſis Conſulibus,

D. SIMONI à BAERSDORP I. C.
D. JACOBO van den BERGH,
D. IOHANNI à MARKE,
D. SIMONI HAZIO,

INCLYTÆ ACADEMIÆ
LUGDUNENSIS BATAVÆ
CURATORIBUS;

Nec non
Prudentiſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. JOHANNI à WEVELICHOVEN I.C.
REIP. LEYDENSIS SYNDICO,
EISDEM D. CURATORIBUS à CONSILIIS
ET SECRETIS.

VIRIS MAGNIFICIS,
LITERARUM AC LITERATORUM MÆCENATIBUS
OPTIMIS, MAXIMIS,

HOC QUALECUNQUE
ERUDITIONIS ΣΥΝΤΑΓΜΑ
SACRUM VOTUMQUE
ESTO.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Viri Nobilſſimi & Ampliſſimi

NOn admodum diu deliberandum mihi fuit, Viri Illuſtres, ſub cujus auſpicio potiſſimùm exirent CLAUDII SALMASII Epiſtolarum Primitiæ, cum Vobis non uno nomine deberentur. Qui Principatum inter Eruditos jure ſuodum vixit tenuit & conſtanter ſervavit, & ſervabit etiam poſt obitum divinis nec morituris ingenii ſui monumentis, meliorem alibi Pupillis ſuis tutelam an invenire potuit, quàm in ſinu veſtro, & Academia univerſi Orbis Principe? Sed & Veſter fuit dum vixit: & cum nemini æquè ac vobis obnoxius olim fuerit, ad alios ire hoc Poſtumum Ejus, ſine ingratitudinis nota non potuit. Veſtræ Liberalitati debemus, & debebit omnis Poſteritas, quidquid de Rebus Eccleſiaſticis, adverſus

Digitized by Google

verſus veræ Religionis Hoſtes, maximo Eccleſiæ Bono diſputauit: Vobis Exercitationes De *Primatu Papæ*, De *Epiſcopis* & *Presbyteris*, De *Sacramento Euchariſtiæ* & *Miſſa*, de *Tranſſubſtantiatione*. Quid dicam de infinitis aliis; ut & vaſtis admodum Commentariis (quos De *Ordine* & *Rebus Eccleſiaſticis*, quorum illa quædam quaſi ἀποσπασμάτια tantùm fuerunt); De *Concordia* item & *Vnione Eccleſiarum*; tùm *ad Varia SS. Patrum Scripta* (ut minuta alia omittam) dudum concinnavit? quæ Flammas evaſiſſe, atque etiamnum ſupereſſe, legenda olim cum omnium admiratione, penè jam certa ſpes eſt; niſi malevolentium hominum manus incurrant. Si hunc Theſaurum adipiſcimur, tum demùm Univerſa Eccleſia, omniſque adeo Poſteritas ſciet quantum Vobis obſtricta ſit; qui liberum & commodum Illi locum atque otium meditandis iis conceſſiſtis, quæ alibi nunquam perfeciſſet. Cum ergo potior pars SALMASII veſtra ſit, & vobis imputanda, an videri potero abs re feciſſe, quod præ aliis omnibus

vos

Digitized by

vos nunc elegerim , Viri illuſtres , quibus hunc poſtumum fœtum Sacrum facerem ? Quin & illud accedebat, haud exigua fuiſſe ab aliquot retro annis veſtra in Familiam noſtram beneficia: WALAEOS enim ANTONIUM & JOHANNEM , Avum & Avunculum B.M. meum, ad publica Munia in hac veſtra ACADEMIA promoviſtis, & æterno beneficio eorum Nepotes veſtræ Amplitudini devinxiſtis. Quod ergo & SALMASII nomine , & noſtro , vobis debebatur, ecce illud LUBENS MERITOQUE (juxta veterem Formulam) Veſtræ Dignitati, DO, DICO, CONSECRO,

Amplitudinis Veſtræ deditiſſimus
ac devotiſſimus cliens

ANT. CLEMENTIUS , ZIRIZÆUS.


REGUM ÆQUABAT
OPES ANIMIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

In Effigiem
CLAUDII SALMASII
Principis Eruditorum.

GALLIA quo nuper, jam ſidere *LEYDA* ſuperbit,
Prælucet magnis artibus iſta pharos.
Hæc ſunt perſpecti, Lector, compendia mundi.
Fronte ſub hac Pallas prodigioſa latet.
Partimur Doctrinam alii. hic ſe tota recondit:
Immenſoſque habitat mens ſpacioſa lares.
Scribite Scriptores. cui pagina ſcripta *SOLINI* eſt,
Judice me, ſcripti Circulus Orbis erit.

C. BARLÆUS.

Digitized by Google

Ornatiſſimo Doctiſſimoque Juveni,

ANTONIO CLEMENTIO,

Quum

Epiſtolas CLAUDII SALMASII *ederet.*

QUæ paſſim varias jacuerunt ſparſa per oras,
Iam bene congeſtum juncta volumen habet.
Et quæ privati tantum temuère Penates,
Merſaque ſub tenebris delituère diu;
Publica laxatis volitant per lumina clauſtris,
Et curſus cœli liberioris agunt.
Eſt opus, eſt labor ille tuus, functique, ſuperſtes
CLEMENTI, *manes ſedulitate juvas.*
Obſtringiſque ævum noſtrum, genteſque futuras;
Æqua favet meritis Palladis aula tuis?
CLAUDIUS *agnoſcit tantæ pietatis amorem,*
Et tecum laudes dividit ipſe ſuas.

ROCHUS HOFFERUS.

ROMA

BENEVOLO LECTORI S.

DAmus Ecce Tibi, Benigne Lector, Epiſtolas CL. SALMASII. Et hoc illis ad laudem ſufficiet, à tanto Viro exaratas eſſe. Quis enim & quantus Ille fuerit, nemo eſt hodie Eruditorum qui neſciat. Plurimi tamen ſunt qui diſſimulant. Diſſimulent illi quantum velint, nunquam tamen, donec Literis aut Eruditioni honos ullus futurus eſt, prohibebunt quin Maximus atque Eruditorum Princeps ſit & dicatur ὁ πάνυ CLAUDIUS noſter. Non adeo in obſcuro vixit, ut Nomen ejus in tenebris jacere poſſit; nec tam exigua aut exilia ſunt ſtupendi ingenii ejus monumenta, ut non inde agnoſci queant immenſa Ejus in Remp. Litterariam merita. Quæ ſanè majora ſunt quàm ut vel à diſertiſſimo Oratore ullo verborum ambitu circumſcribantur. Ut vaſtiſſima fuerunt divini illius ingenii pomœria, ita nemo facile iis limites aut terminos Oratione poſuerit. Concurrite omnes, non Augures, ſed Oratores, & heic Eloquentiæ vires experimini. Huc ſtylum, huc ingenium, huc copiam omnem adferte, & erit ubi laboretis plus ſatis.

Non ſum factus ad oſtentandum, verum natus inter homines aulicarum artium rudes, τὰ σῦκα σῦκα nuncupare aſſuetus ſum. Neque certè aliter poſtulant Herois noſtri virtutes, quas vel nominare, laudare eſt. Sed & tacentibus nobis, nedum temere, aut ſupra quam par eſſet, laudantibus, ultrò emicant, & omnium vel lividorum quoque & invidorum oculos ſua luce præſtringunt.

Sed nec iſta mea ſunt, neque alterius cujuslibet de Trivio; verum excellentiſſimorum & perilluſtrium Virorum eadem eſt

& conſentiens de Meritis Herois noſtri ſententia. Horum auctoritate ſi me præmuniam, non videor abs re facturus.

Reges, Regumque filios non adducam, quia res eſſet longioris moræ. Eruditos atque eruditorum Summates nunc audiamus, Viros omnis ordinis, religionis, denique eruditionis, gentis, ac nationis omnis, Gallos, Italos, Germanos, Batavos, Viros illuſtres & celebratiſſima nominis ſui fama per Orbem notos, quaſi uno omnes concentu divinas & prorſus ſtupendas SALMASII dotes in cœlum efferentes.

Eſt inter eos (& familiam hic ducet) eminentiſſimus, & acerrimus ingeniorum ęſtimator, Cardinalis RICHELIUS, quem tres tantum, dum viveret, ſeculi ſui ſumma eruditione excellentes viros magni facere ſolitum accepimus, SALMASIUM, GROTIUM, & BIGNONIUM; cæteros verò in ordinem coëgiſſe quaſi plebem ſine nomine. Et re vera quantum *Salmaſio* tribueret, ſatis manifeſto oſtendit incoram, quando Pariſiis noviſſime hærentem ante annos quaſi quindecim, omni honorum officiorumque genere proſecutus eſt; & omni ope atque opera conatus eſt eum Galliæ ſuæ aſſerere, oblatis Regia auctoritate lautiſſimis & Attalicis conditionibus; poſtquam iteratis vicibus teſtatus eſſet, Regem, ſeu Reginam Matrem, decreviſſe, omninò retinendum; nec poſſe quidem, niſi cum maximo univerſæ Galliæ dedecore, exteris concedi, qui ſuæ Genti tantam gloriam atque exiſtimationem pareret. Quo de plura fortaſſe inferius dicenda nobis incumbent. Nunc ad alios inclytos & illuſtres Herois noſtris cultores atque encomiaſtas tranſeamus.

CLAUDIUS SARRAVIUS, Vir & omnigena eruditione, & Senatoria dignitate Illuſtris, digniſſimus certè eſt ſuo merito, cui contra hoſtes omnes *Salmaſiani* nominis, teſtimonium de excellentiſſimis Ejus dotibus ferenti fidem habeamus. Is itaque in Epiſtolis ſuis, quas nuper digniſſimus tanto Parente filius ISAACUS SARRAVIUS publicas fecit, quanto in pretio habuerit τοῦ πάνυ καὶ ἐξοχωτάτου ἀνδρῶν, abundè teſtatus eſt. Longum nimis eſſet quæ illæ exhibent elogia ſigillatim hic recenſere.

Non-

Nonnulla tamen delibabimus, cum & mira quadam elegantia ac ſuavitate polleant, & SALMASIUM noſtrum tanto magis ad vivum exprimant, quanto illi ex diutina familiaritate & conſuetudine notior fuit quam cæteris. In Epiſtola ergo ad *Vincentium Fabricium*, virum eruditiſſimum, cum anno CIↃ IↃ CXL Heros noſter iter in Galliam meditaretur, ut illi lætitiam quam inde conceperat explicaret, in hæc verba quaſi exultabundus perſcripſit. *Quanto autem gaudio perfundar, cum ibo in ejus amplexus. Ego ſcilicet ante Magnas illas Pariſienſes Animas, ſanctum illud caput adorabo.* & deinde; *Is eſt ſane in cujus ſententiam omnes boni doctique libenter eant, adeo in Literis ſuo merito principatum tenet.* Et in alia iterum, ad ipſum SALMASIUM poſtquam de ſenſu difficillimæ cujuſdam Inſcriptionis Nannetenſis pleniſſimè edoctus eſſet; *Tu nempe*, inquit, *ſolus in omni Literatura principatum obtines: & quodcunque libet ventilare, fruſtra eſt qui illud poſtea attentat.* Iterum in alia, poſt eruditiſſimas Obſervationes de *Scripto Quæſtorio*, cujus mentio apud Auctorem Vitæ Horatianæ, quaſi extra ſe raptus, neque efferendis tam divini ingenii dotibus ſatis ſufficiens; *Hæret animus*, inquit, τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα τί δ' ὑςάτιον *miretur & laudet in poſtremis tuis literis. Tam cito, tam erudite, tam copioſe, tamque eleganter potuiſſe te Quæſtioni noſtræ ſatisfacere?* οἶος πέπνυται. *Humanum id captum ſuperat, omnia noſſe, in numerato habere, & expedite eloqui. Vive diu verè ſoluſque* Διδάσκαλος τῆς Οἰκουμένης, *& Scientias omnes plena manu undiquaque ſparge effunde.*

Non eſt animus ſigillatim elogia omnia recenſere, quibus paſſim illæ Litteræ ſtipatæ ambulant, nec paucarum paginarum res eſſet; & poteſt facilè de cæteris ex hoc quod dedimus ſpecimine judicium ferri. Ipſæ Littræ, varia eruditione ſtyloque pereleganti conditæ, adeantur. Non poſſum tamen quin ſuperioribus addam illuſtrem admodum pericopam, qua eum effert ſuprà ſortem humanam, poſtquam Pariſiis coràm ſtupendam ejus eruditionem fuiſſet admiratus. Hactenus per literas interpretes res acta eſt: at cum cominus omnia &

præſens ſedulo perpendiſſet, & attentis auribus atque animis hauſiſſet, nulla verba ſatis ſignificantia reperire potuit, quibus animi ſenſa accuratè exprimeret. In tantam admirationem adductus, & raptus omninò à divinis illis τῦ θαυμασιωτάτυ ingenii dotibus. *Præcipiti Octobri* (ita ad *Fabricium*, prid. Cal. Mart. CIƆ IƆ CXL) *Ejus in amplexus ivi: Superat præſentia famam.*

Si me fata meus paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas,

Cum eo vivere amem, & obeam lubens. Vis plura? ſi per impoßibile cuiquam mortalium erigantur unquam altaria, mihi Deus Deus ille, ſuaviſsime Fabrici. Atque in alia ad *Iacobum Palmarium*, Virum Ampliſſimum, ut hanc admirationem ſuam non vanam fuiſſe oſtenderet, quaſi in rem præſentem eum adducturus, *Quanto*, inquit, *gaudio perfuſus eſſes, audiendo Bochartum* (Is enim tum quoque videndi atque audiendi Herois noſtri cauſa eò ſe contulerat) *de mille arcanis* Salmaſium *ſollicitè & curioſè interrogantem, nunquam inanem recedere; Juraßes non defeciße Oracula.* UNO IN HOMINE MIRATUS ESSES PIISSIMUM ET DOCTISSIMUM *THEOLOGVM*, ELOQVENTISSIMUM *ORATOREM*, SOLERTISSIMUM *JVRISCONSVLTVM*, *MEDICVM* EXQVISITISSIMUM, *PHILOSOPHVM* NOBLISSIMUM, ET OMNIGENÆ LINGUÆ, SCIENTIÆ, ET ERUDITIONIS βιβλιοθήκην ἔμψυχον.

Eant nunc Adverſarii, & quantum libet imperitię, & inſipientiæ eum arguant, Grammaticum, & Jejunum Criticum appellent, nos iſtis Catonibus contenti πολυμαθέςατον eum prædicare nunquam deſinemus. Sed neque hiſce ſtandum eſt, alios advocemus.

Inter Italos vir ſummus, *Balthazarus Bonifacius*, in opere de Scriptoribus Latinis, SALMASIVS, (inquit) *Vir non opinione mea tantum, ſed communi Literatorum conſenſu*, OMNIVM QVI HODIE VIVUNT ERVDITISSIMVS.

Paria cum eo facit JOH. RHODIUS, vir item multijuga eruditione

Digitized by Google

ditione, & fama nominis celeberrimus, In Libro *de Acia Corn. Celſi*, non uno loco: & piget omnia congerere, Lectorem minus credulum ad eum ipſum remittimus.

TH. BARTHOLINUS, magni Parentis maximus filius, paſſim quoque in eruditis ſcriptis ſuis ruit in laudes maximi virorum. Nunc *Miraculum orbis*, alibi *omnium mortalium doctiſſimum* appellando. Et quis poſſet ſingula enumerare. In Diſſertatione quam de *Latere Chriſti aperto* inſcripſit, CLAVDIVS, inquit, SALMASIVS, *compendium omnis Eruditionis, in quo uno jam Natura ſeculumque ſuperbit, ſolus vaſtiſſimo ingenio plura complectitur, quàm quotquot uſpiam diviſit Univerſi ambitus*. Et rurſus alio loco, non modiis, nec trimodiis, ſed integris encomiorum horreis eum cumulat & effert planè ſupra omnem humanam ſortem. *Tuum*, inquit, *Oraculum conſulo* (poſtquam ſc. in negotio *de Cruce Chriſti* dubius quam in partem ſe verteret, ad SALMASIUM, tanquàm unicum ac certiſſimum Aſylum, & quaſi ſcientiſſimum Oraculum confugeret,) *Delphico eo nomine præferendum, quòd hoc fallaci ſpe & ambage flexa pavorem mortalium ſolatio ficto blandiretur; illud certiſſimo eventu de omnium ſeculorum dubiis det reſponſa.* Et rurſus, ibidem. *Magna profecto ingenii tui, Vir maxime, majeſtas, quod Antiquorum ætate inferior omnes tamen magnitudine antecedas; & qui Veteres excuſſiſti omnes ut diſceres, jam verſa rerum vice, ſi redirent priſca ſecula, in tuis invenirent quæ ignorarent. Adeo te ſolum ſacrorum ſuorum videntur optaſſe Cuſtodem, qui & Iudex eſſes & Interpres. Duumviros ad cuſtodiam ſuam Sibyllini Libri à Tarquinio impetrarunt, eoſque Sacerdotes nobiliſſimos; quorum numerus cum adulta Roma crevit, donec planè decreſceret & in auras iret. Noſtrum ſeculum in eo antiquis felicius, quod & plura habet Oracula, ſacra, profana, publica, privataque, ſed unum Oraculorum Myſtagogum, qui & Libros cuſtodiat, & ſine S. C. adeat, renunciet, procuret, omnia denique agat ſolus, in quibus ad publicam Veterum laudem per partes deſudarunt plurimi. Quod ſingulorum jus ad Te devolverunt, penes quos Literarum ſtat arbitrium, Regemque Sacro-*

rum

rum in Comitiis Literariis , non Centuriatis , publico Orbis applauſu crearunt , ut in Deorum gratiam & Mortalium, regnum ampliſſima eruditionis dignitate ſuſtineas , ultra quam in humanis ſperare audemus amplius nihil. Et quæ ibidem porro eadem ſerie conſequuntur , non minora his quæ adduximus. Videtur ſanè Vir doctiſſimus , ingenii atque eloquentiæ copiam hic ejuraſſe, dum mentem animi ſui de iſtoc Dæmonio Hominis explicaret. Tantæ molis erat, SALMASIUM dignè nominare, SALMASIUM eloqui. Et licet hic dixiſſe viſus ſit quantum poterat, deeſſe tamen ſibi verba oſtendit ; & quaſi perpetuo iſta tam ſublimi de Heroë noſtro opinione fœtum ac prægravidum animum circumferens , paſſim & omnibus locis ſummo niſu & conatu , parturientis inſtar , exerere divinum illum conceptum ſuum laboravit. Adeò quocunque progreditur , veſtigia hujus ſuæ voluntatis laudatiſſima relinquit.

Accedat his, quam vel primam nominare oportuit, eruditiſſima Virginum , & Bataviæ noſtræ, quin Orbis Chriſtiani illuſtriſſimum ſydus, MARIA SCHURMANNA , quæ pro inſito candore , quem cum ſumma eruditione feliciſſimo conjugio copulavit , etiam hic calculum ſuum SALMASIO denegare noluit; in ea Epiſtola , quâ ſuper Graviſſimo opere de *Annis Climactericis* ſuum illi judicium miſit. *Certes à mon opinion la recherche de ce ſujet n'eſtoit point indigne de voſtre incomparable ſçavoir* , QVI NE REÇOIT PAS D'AUTRES BORNES QVE CELLES DE TOUS LES SIECLES ENSEMBLE ; *& il y falloit un œil clair voyant , & penetrant dans les plus reculez cabinets de l'antiquité , comme le voſtre , pour decouvrir* , &c.

Pro Batavis reſpondebit V. CL. ADOLPHUS VORSTIUS , In Oratione Funebri, quam authoritate Senatus Academici in frequentiſſimo omnium ordinum & ætatum confluxu publicè recitavit , ſuper exceſſu (uti eum indigitat) PRINCIPIS ERUDITORUM. Cujus Judicium eò lubentius adducimus, quòd, licet aliàs ſæpenumerò ab Heroë noſtro diſſenſerit , tam candidè tamen (ut ingenuos decet) tàm ſincerè & tanto cum affectu ἐκ φρενῶν μυχῶν ab eo prolatum videri poſſit, ut vel in primis

primis cenſeri debeat, & pudorem adverſariis incutere poſſit, ſi pudorem habent. Pauca tantum ſpeciminis loco adducamus, nam quis finis ſperandus eſt, ſi porro huic ſtadio decurrendo inſiſtamus. In ea igitur Oratione Vir doctiſſimus SALMASIUM laudat, *Virum antiqua generis nobilitate illuſtrem, doctrinæ immenſa varietate admirabilem, maximis in Remp. Litt. promeritis inſignem, & Lugdunenſis Athenæi, imò orbis Litterati univerſi Solem clariſſimum.* Alibi *cæleſte ingenium* & eximiæ naturæ ipſius *Ornamenta divinitus conceſſa* prædicat & extollit. Iterum alio loco: *Per omnia ſe diffudit vaſtum ejus ingenium, & nihil quod quidem ſcitu dignum eſſet, aut utile, reliquit intactum.* At omne punctum fert illa ſub finem jam excitato atque incaleſcente ſpiritu, quaſi poſtremo conatu in unum acervum variarum laudum cumulata congeries: *Quantus autem, quàm conſummatus in omni literarum parte ævi noſtri hic Varro fuerit; quàm diffuſæ Lectionis, quàm rigidus veritatis aſſertor, quo judicio in cenſendis Veterum ac Recentiorum ſcriptis, qua induſtria in deprehendendis, qua libertate in corrigendis aliorum erroribus, facilius eſt ex divinis ejus libris, & duraturis, quamdiu Litteris ullus erit honos, operibus cognoſcere, quin me commemorante. Quoties Sacra ſua commoveret, & fœcundum illud omnigena erudtione pectus excuteret, nullibi hoſpitem ſe eſſe oſtendebat, quin potius REGNABAT UBIQUE. In DIVINIS, in HUMANIS, in JURE, MEDICINA noſtra, PHILOSOPHIA, quàm multa illi erant recondita, quæ ſingulos qui hæc ex profeſſo tractant, docere poſſet ex interiore Antiquitatis notitia? quæque à ſe diſſentienbus doctè reponeret?*

De SALMASIO igitur quæ opinatio inſederit Viros univerſi Orbis eruditiſſimos, facilè patebit ex iis quæ de multis pauca hactenus prælibavimus. Taceo & prætereo Scaligeros, Caſaubonos, Jungermannos, Gaulminos, Peyreſcios, Scriverios, Berneggeros, Freinſhemios, Reinezios, Rhodios, Crucios, Mauſſacos, Gronovios, Gruteros, Balzacios, Ferrarios, Grotios, Seldenos, Voſſios, Gatakeros,

Rivetos, Spanhemios, Voetios, Dematios, Uſſerios, Beverovicios, Bochartos, & alios propemodum ſine numero, Viros fama maximos, eruditione præcellentes, lumina ac columina omnigenæ doctrinæ illuſtriſſima, omnes ſuperioribus, quos jam adduximus ὁμοψήφȣς. Quamvis, quod mirere, ab ipſo Salmaſio noſtro etiam plerique horum mirum quantum ſæpenumero diſſentiant; & ille viciſſim de veritate certandi cum ipſis poteſtatem ſibi liberrimam ſumſerit. Videas tamen paſſim, & *Æſculapium* ab iis dici *veterum authorum*, & *infinitæ lectionis Virum*, *Virum incomparabilem*, *Virum ſtupendæ eruditionis* (ſic jam ante annos quadraginta Mauſſacus eum indigitat) Aut *eximium atque incomparabile Reip. Litterariæ ornamentum*, *magnum literarum & literatorum arbitrum*. Aut *natum in miraculum & gloriam hujus ævi*. *Aut Solem omnis Eruditionis*; aut *ſcientiæ univerſæ capacem*; *eminentiſſimum*; *infallibilem*: denique, ut hic ſubſiſtam, *hominem quem latere nihil poſſit*. Vox una & eadem omnium, uno ore, atque admirando conſenſu, SALMASIO aut olim admodum juveni, Scientiarum omnium principatum deſtinantium, aut provecta jam ætate quaſi meritiſſimo jure deferentium. Lepidum eſt, quod poſt infinita alia conſignavit illi encomium quadam ad eum Epiſtola Vir Ampliſſimus Joh. Beverovicius, *Quis*, inquit, *Deus bone! non multò malit vel Umbra Salmaſii eſſe, quàm Medicorum* τῶν νῦν δρυὸς καρπὸν ἐδόντων κορυφαῖος. Sed & dignum planè memoratu, & ſera mirabitur Poſteritas, neque prætериri à me ſine crimine hic potuit; & juveni admodum, & adoleſcentiæ limen vix ingreſſo duos viros Principes Literarum, &, quod magis mirere, ætate jam provectos, non tantùm quaſi fratrem ſibi adſciviſſe, ſed faſces etiam ultro illi & certatim ſubmiſiſſe. SCALIGERUM dico & CASAUBONUM.

Parum erat SCALIGERO, ſi nimium breves litteras ejus eſſe, pro modo voluptatis quam ex iis caperet, quereretur. Parum ſi infinitis beneficiis obſtrictum ſe ei teſtaretur; etiam hoc addere debuit, *NUNQUAM AB EJUS SE EPISTOLIS DISCEDERE NISI DOCTIOREM.* Idem

Idem CASAUBONI judicium, & paria prorſus cum *Scaligero* facit. Putares alterum ab altero habere, ita planè conſonant, cum tamen locorum ſpatiis tum fuerint maximè diſſiti. Cum in quadam Epiſtola ad Scaligerum appellaſſet, *Juvenem ad miraculum eruditum*, in alia ad ipſum Salmaſium, *neminem vivere quicum per literas libentius quam cum illo de communibus ſtudiis collequeretur*. Iterum in alia, cum ex pertinaciſſimo labore in morbum incidiſſet noſter Heros, ut ſe de valetudine ejus quam maximè ſollicitum eſſe teſtaretur, *Duco*, inquit, *Te loco fratris, ætate antecedo ego, tu aliis dotibus, quæ mirificam tui expectationem mihi pridem commoverunt. Tantum moderare ingenio: & ſerva te in hac juventa, ut major annis ea præſtare poßis, quæ exigi niſi à te non poſſunt*. Tandem cum Scaligero, cum ulterius quo progrederetur non haberet, ut uno verbo quicquid poterat laudis in eum conferret, nunquam ſe, ait, niſi doctiorem à lectione Epiſtolarum ejus diſcedere: *Accepi nudius quartus, quas Anni novi Kalendis ad me dederas. Accidit mihi eas legenti, quod nunquam non quoties aliquid à Te accipio literarum UT A TVARUM LECTIONE DOCTIOR SEMPER DISCEDAM.* Eſt ne ovum ovo ſimilius quam hæc ſunt Scaligeranis; quaſi uno ore prolata eſſent, ab eadem manu conſcripta, ita de compacto egiſſe hic videntur. Quod ſi de Juvene & admodum adoleſcente tanta judicii contentione prædicare uterque non eſt veritus, quid putamus dicturos fuiſſe ſi nunc viverent? Et poterit credo ex iis quæ hactenus attulimus conſtare, quo in pretio apud eruditiſſimos, & primarios ſeculi viros & puer, & juvenis, & jam gaudior natu habitus ſit noſter ὁ θαυμάσιος. Atque hæc abundè ſuffecerint contra tot malignas, & minus conſideratas, ne quid gravius dicamus, hominum malevolentium voces, & clamores. Scilicet, hoc habent omnes Viri maximi, & quos benignior Natura ſuprà doctorum vulgus paullò altius evexit, ut multorum livorem & odia experiantur. Eſt enim gloriæ comes invidia, & hoc quaſi inſitum natura mortalibus, ut creſcentem aliorum famam atque

 exiſtima-

exiſtimationem ægris ſemper oculis aſpiciant. Sed relinquamus hos homines ſuis moribus puniendos; nolint, velint, ſemper magnus erit SALMASIUS. Et laus iſta etiam poſt Fata eum ſequetur, Virum fuiſſe ſuæ Ætatis omninò Principem, omni Scientiarum genere præcellentem, promtitudine ingenii, memoriæ felicitate, judicii dexteritate, moribus denique & naturæ dotibus, ut nemini ſecundum, ita prorſus admirabilem. Natales, ſi quis requirat, ità illuſtres fuere, & tantæ vetuſtatis, ut ne quidem Potentiſſimis univerſæ Europæ Principibus cedere neceſſe habeat. Ingenium ita vaſtum, ita immenſum, & Scientias omnes, & Diſciplinas, & præterea Gentium penè omnium idiomata complecteretur; memoria tam ſtupenda, ut etiam ſine aliis adminiculis quæcunque ſuæ fidei concredita eſſent, & iſta erant propè infinita, feliciſſimè cuſtodiret, & quoties uſus poſtularet, quaſi recentiſſima è veſtigio promeret. Quid de aliis dicam divini ac portentoſi planè ingenii dotibus, niſi ſummas omnes fuiſſe. Judicium in diſponendis, promptitudinem, copiam in exhibendis, quæ de quacunque materia, præſertim contrà veræ Religionis Adverſarios erant diſputanda, quis verò eſt qui dignis verbis laudaverit? vel ipſi Adverſarii, quaſi fulminis ictu attoniti, ad eam tam portentoſam capaciſſimi ingenii felicitatem ſtetiſſe ſe cum legerunt, velint nolint, ſatis aut ſilentio ſuo, aut nugaciſſimis reſponſis, cavillationibus, vel calumniis etiam atq; dicteriis ſuis, quæ ſolent eſſe arma devictorum, probatum fecere. Denique ſi indolem adſpiciamus, ſi pietatem vel à primis annis, & quaſi innatum congenitumq; pro vera Religione zelum, vel æſtum potius flagrantiſſimum, nullis injuriis, nullis artibus, nullis Attalicis conditionibus etiam minima ſui parte inflectendum conſideremus; ſi humanitatem, & ad omnes etiam gregarios, & infimi ſubſellii viros ſeſe demittentem animum, aliorum æquè ac ſuis uſibus dicatum & addictum; ſi denique comitatem, & apertam frontem, in amicis excipiendis, ſi liberalitatem in juvandis, ſi fidelitatem & nudam plane ſinceritatem in colendis, ſi candorem in æſtimandis, pro merito prædicare quis ſuſtineat,

frustra

Digitized by Google

fruſtra ſit, & ingenii vires in tam vaſto argumento, licet pluſquam modicas, in caſſum fatigaverit, quaſi cereo volatu Icari inſtar ipſum cœlum & Solem tentaturus. Tŭ Honores à magnatibus, ab ipſis Principibus & potentiſſimis quibuſque Rebuspublicis, à Regibus denique, & univerſi propè Chriſtianiſmi Dominis, nulla habita diſcrepantis Religiònis ratione, exhibitos, dignitates etiam lautiſſimas & iteratò oblatas, ſi quis recenſere ſatagat, niſi librum integrum ei rei deſtinet, fruſtrà omnino deſudaverit. Et concipienda hæc animo ſunt potius, quæ verbis aut ſcripto ad amuſſim delineare nullus poteſt. Ac ſola cogitatione inſequenda, quæ ut infinitas habent περιστάσεις, neque accuratè admodum niſi ab iis qui interfuere noſcuntur, & tum quoque plus aliquid menti infigunt, quam ipſa deinde aut recordari, aut exponere aliis queat; ita vel ſummi etiam Oratoris ſtylum reſpuunt & eludunt. Quia tamen & SALMASIANI nominis, & publicæ utilitatis intereſt, iſta ad Poſteros transmitti, ut inde omnes diſcant quid Natura in uno homine potuerit, optandum foret iſta omnia quoad fieri poſſet magis ſigillatim & uberiore ſtylo æternæ memoriæ conſecrari; ut tanquam illuſtris Pharos venturis nepotibus prælucea, & iſtud prodigium humanæ ſcientiæ in compendioſa quadam Tabula omnes è longinquo ſuſpiciant atque admirentur, &, ſi naturæ benignitas conceſſerit, imitentur.

Me quod attinet ſi aut ea familiaritas cum Illo interceſſiſſet, quanta aliis fuit, aut neceſſaria ſubſidia ſuppeterent; tum eruditionis atque facundiæ quantùm ad tam nobile & tam illuſtre argumentum ſatis eſt, nihil mihi prius, nihil antiquius foret iſtoc tàm laudabili inſtituto. Nunc quia video ab iis omnibus me deſtitui, quod unum poſſum, Eruditos omnes maximo opere rogo & obteſtor, ut qui præſentem coluere, nunc abſentem quoque iſtoc officio, publ cæ potiſſimum utilitatis cauſa, proſequantur. Intereà quæ ego aut ab amicis, aut ex Scriptis ipſiusmet didici, ne quis fortean vana ea eſſe & gratis dicta arguat, quæcunque à nobis hactenus de ſtupendo ingenio, & maximi Virorum laudibus ex conſenſu penè totius Orbis

 Chri-

Chriſtiani producta ſunt, breviter hic perſtringam, ſi forte ſic alios ad eam Provinciam capeſſendam & pro dignitate exornandam excitare queam.

Proſapia igitur CLAUDII SALMASII eruditorum Principis, ut hinc exordiar, tàm antiqua fuit ut nulli Europæorum penè concedat, tàm illuſtris ut niſi Regum aut Principum alias ſupra ſe non agnoſcat. Nomen Familiæ, antiquiſſimo territorio, ſive oppidum eſt in Occidentali Burgundia, medio fermè ſitu Divionem inter & Semurium, quod hodieq; SALMASIÆ nomine inſignitur & ſplendet, originem debet. Quo verò anno primum Familia iſta ſeſe exeruerit, aut à quo primum ejus initium arceſſi debeat, incuria iſtius temporis & hominum de memoria ſui ad poſteros tranſmittenda minus ſollicitorum, factum eſt ut hodie ignoremus. Illud intereà ſcimus jam Anno quaſi Milleſimo & quinquageſimo, eo ferè tempore quo in Ducatum & Comitatum bipertita diſceſſit vetus Burgundia, inter Imperii Proceres REINOLDUM DE SALMASIA, authoritatis & natalium ſplendore eminuiſſe; fidem facientibus Antiquiſſimis manu exaratis Burgundiæ Annalibus. Ab eo deinceps potentiſſimam atque illuſtriſſimam hanc SALMASIORUM familiam, continuata ſerie, neque dubia fide ad hanc ætatem ordine, ſi neceſſe ſit, enumerare; atque ex certiſſimis monumentis, & accuratiſſimo ſcripto, quod nunc manibus teneo, etiam quis, à quo ortus, quos ſinguli honores geſſerint, quibuſque temporibus victitarint, tam mihi proclive eſſet probare, quam diem eſſe cum Sol lucet. Verum *ſeries longiſſima rerum* & Hiſtoriæ, atque alterius loci, res eſſet. Id publicè hic profiteri ſuffecerit; contra eos qui de SALMASII noſtri Stemmate, quaſi aliud ab iſto pervetuſto, & antiquiſſimis Annalibus celebratiſſimo fuiſſet, fruſtra omnino & ſine ratione dubitare non verentur.

REINOLDI Duo filii memorantur GUALTERUS & WALLO DE SALMASIA, qui cum prolem ambo reliquerint in duos ramos ſic diſcedere Familiam coëgere: & SALMASIÆ quidem Territorium ad GUALTERUM, qui major erat, devolutum

lutum eſt, ab illo deinceps in Poſteros non interrupto ordine; donec tandem prole deficiente, à STEPHANO IV, (anno cIↄ ccc XXXIII) ROBERTO de BURGUNDIA, (a) Comiti Tonnervæ, Filio ROBERTI Ducis BURGUNDIÆ, liberali donatione traditum fuit. Exinde in poteſtate Ducum Burgundiæ aliquandiu permanſit, & ex eo deinceps auguſtiore titulo ſuperbiit, nominatumque SAUMAISE LE DUC. Denique ad ipſos (b) Chalonnii Regulos, Principeſque Condæos, Hogh-Bergios, (c) Sueſſonios Comites, & Longæ-Villæ Duces, variis caſibus atque ſucceſſibus, tranſivit, jure COMITATUS; in tantum excreſcentibus Annuis Reditibus, ut vel viginti quinque Florenorum millia ſuperarent. Atque hinc quidem liquido patere arbitror, quàm potens & quam auguſta ſit SALMASIORUM Proſapia. Licet verò CLAUDII noſtri progenies à minore REINOLDI Filio WALLONE originem duxerit, tamen & eadem proſapia cum ipſis SALMASIÆ Comitibus, & eodem Parente oriunda abundè habet quo ſeſe efferat.

Sed & ipſa iſta propago, quæ WALLONEM pro Authore ſuo agnoſcit, quaſi alteri æmula, ad eundem ferè cum ipſa potentiæ atque authoritatis apicem evecta eſt. Nec quicquam de Splendore ſuo, poſt alienatam à ſe SALMASIÆ arcis poſſeſſionem, remiſit. Nam ut ſumma ſemper & potentiſſima tum ab ipſo Imperii Burgundici exordio extiterat iſta SALMASIORUM Familia, eandem etiam perpetuo ad hæc uſque tempora apud Burgondiones auctoritatem & majeſtatem obtinuit. WALLONEM DE SALMASIA unum de ſummatibus ipſiſque adeò Imperii Proceribus fuiſſe, fidem facit vetus monumentum quod ex Chartulario Eccleſiæ S. Benigni apud Divionenſes in *Hiſtoria Ducum Burgundiæ* refert *Andreas Du-Cheſnius*. Quod, quia liber iſte in paucorum hodiè manibus verſatur, exhibendum hoc loco exiſtimavimus:

Lit-

(a) *Comte de Tonnerre.* (b) *Les Princes de Chalon.* (c) *Comte de Soiſſons.*

Digitized by Google

LITTERÆ ODONIS DUCIS BURGUNDIÆ
De medietate monetæ Divionenſis

* * * * * *

EGO ODO DUX BURGUNDIÆ
Hanc Chartam ſigno, & confirmo, & Filiis ac Fidelibus meis ſignandam trado.

* Signum *Hugonis Filii mei.*
* Signum *Henrici Filii mei.*
* Signum *Wallonis Canonici.*
* Signum *Raineri de Caſtellione.*
* Signum *Hugonis Dapiferi.*
* Signum *Rainaldi de Glaria.*
* Signum *Sosberti Rufi.*
* Signum *Walteri Coneſtabuli.*
* Signum WALLONIS DE SALMASIA.
* Signum *Rainoldi de Granceio.*

Actum DIVIONE, *Anno Incarnationis* M. C. I. *Indictione nona*, &c.

STEPHANUS deinde & ODO DE SALMASIA, Annis abhinc quaſi quadringentis, tanquam duo illuſtria Familiæ iſtius Sidera caput altius extulerunt, & æternum poſteritati ſuæ ſplendorem conciliarunt. Ille enim ducta in Uxorem nobiliſſima matrona ex illuſtri & præpotenti CHASANTIORUM Familia, quæ ipſos BURGUNDIÆ DUCES propinquo admodum conſanguinitatis gradu contingit, atque eadem cum illis arma, ſive inſignia ſuæ Gentis oſtentat, cum ſola ex tam auguſta Domo ſupereſſet, omniumque Dominiorum relicta ex aſſe hæres, factum ut tàm præclaro conjugio, ad illuſtre SALMASIORUM nomen, etiam alterum CHASANTIORUM, illi & dignitate & potentia ſuppar, non diſſolvendo nexu accederet, & tàm ſplendide unitum ad omnem Generis ſui poſteritatem tranſmitteretur. Alter, qui hujus Filius fuit, ODO DE SALMASIA, & nunc quoque CHASANTII Dominus, Vice-comitis, & Civitatis Divionenſis (quæ Burgundiæ Ducatus caput eſt) atque adeo ſupremi, totius ejus Territorii Gubernatoris

toris titulo Illuſtris, quanta tum quoque eſſet apud Burgundos SALMASIORUM potentia, & majeſtas, non dubia fide Poſteris manifeſtum fecit. Per ſingulos nunc porro ire, non eſt hujus loci. Suffecerit hic notaſſe SALMASIORUM Familiam, quem ab ultima uſque antiquitatę ſplendorem atque authoritatem inter ſuos adepta eſt, ad hæc uſque tempora, quod vel in potentiſſimis univerſi Chriſtianiſmi Familiis rariſſimè admodum contingit, uno quaſi & perpetuo tenore conſervaſſe. Quin etiam poſt extinctos BURGUNDIÆ Duces, & matrimonii jure ad Galliæ Reges traducto ejus imperio, Illuſtres SALMASII varios & ſupremos ſemper in ea Provincia Magiſtratus, beneficio Regum Galliæ atque eorundem nomine & auctoritate geſſerunt.

Atque idem quoque in CLAUDIO noſtro obtinuiſſet, niſi aliquoties à Rege Senatoriam dignitatem ſibi oblatam generoſè admodum reſpuiſſet, quia, jure gentis, non poterat ad eam niſi Pontificiis Dogmatis aſſentiretur, accedere. Ille verò ſua ſe virtute involvens, & Regum æquans opes animis, veram Religionem, cui ſe tùm penitus addixerat, ne quid in conſcientiam peccaret, pluris æſtimabat, quam quicquid erat non in Burgundia tantùm, ſed univerſo terrarum orbe honorum & dignitatum. Nunc vero, ut vela contrahamus, ad ea quæ ſuperſunt, & quæ CLAUDIUM noſtrum propius attinent tranſeamus.

BENIGNUS DE SALMASIA, Defuncti CLAUDII noſtri Parens, Eques, & Conſiliarius Regius, Taliaci &c. Dominus, in ſuprema Burgundiæ Curia, Parliamentum vocant, Senatoris, dum vixit, locum obtinuit. Neque ſolum ampliſſimi muneris dignitate, ſed & ſanctiſſimis moribus, & rara admodum eruditione ſuprà alios eminuit. Operæ pretium erit hic inſerere, quæ de indole ejus & virtutibus refert *Deſ. Heraldus*, SALMASIO noſtro alias, ſi quis unquam, infenſiſſimus, in amariſſimo ſcripto, quo *Specimen confut. Salm.* refutandum ſuſcepit. *De Patre tuo* (inquit) *nihil habeo quod dicam, nec is ſum qui quicquam fingam. Virum eum fuiſſe ajunt eximiæ probitatis, innocentiæ, integritatis, & ad officium quod*

in Parlamento Divionenſi uſque ad extremum vitæ ſpiritum functus eſt, quantum ſatis eſſet, aut etiam ſupereſſet, cum fide non modo exercendum, ſed & ornandum, doctrinæ & eruditionis. Sanè quid poſſet in Græca præſertim literatura, juvenis admodum probavit, cum *Dionyſii Periegetæ* de Situ Orbis Commentarium, politiſſimo atque accuratiſſimo Carmine à ſe expreſſum edidit.

Uxor Illi fuit ELIZABETHA VIROTA, Nobiliſſimi Ampliſſimique Viri GULIELMI VIROTI, *Domini de Biry*, &c. & in ſupremo quoque Burgundiæ Senatu Conſiliarii Filia.

His Parentibus editus eſt Heros noſter, & quidem partu ſeptimeſtri, Anno ſuperioris ſeculi nonageſimo & ſexto, in Suburbano Avi ſui, quod propè Semurium viſitur in Alexio Ballivatu. Unde & *Alexium* alibi ſe inſcribit. Quibus verò argumentis Viri Clariſſimi adducti hactenus fuerint, ut anno LXXXVIII. natum aſſererent, equidem ignoro; nec ſequendos hic exiſtimavi, cum & univerſa vitæ ſeries illud confutet, & ipſe mihi SALMASIUS luculentus teſtis ſit in Epiſtolis ſuis; quod & deinceps pluribus adſtruemus.

Prima literarum Tyrocinia ſub Parentis ductu, & auſpiciis peregit, nec poterat alibi melius. Nunquam enim felicius ingenia diſcentium formantur, quàm cum Pręceptores ſortiuntur genio ſuo accommodos. Mores diſcipulorum ſuorum probè calleat oportet, & ad modum indolis ipſorum præcepta iis præhibeat, qui eos promovere aliquando ad bonam frugem, & poſteris profuturam eruditionem ſtudeat. Tum affectus quoq; adſit neceſſe eſt, atque ante omnia quidem Parentis animum erga Diſcipulos ſuos Præceptoribus induendum præcipit, optimus & peritiſſimus harum rerum Magiſter, Fabius Quintilianus, *Inſt. Orat.* Horum nihil non in Præceptore CLAUDII noſtri excelluit. Nihil ad affectum quia Parens erat, & optimus certè ac benevolus; nihil ad indolis notitiam, cujus ipſe quodammodo author exſtiterat; nihil ad Græcæ Latinæque literaturæ ſcientiam, cum ſumma fuerit, deſiderari amplius poterat. Et eventus ſanè luculenter admodum, quam felici uſus eſſet

ſet Præceptore, comprobavit. Pindarum quippe Anno ætatis x exactè admodum interpretatum fuiſſe, manifeſta fides eſt; tantosque in Græcis Latiniſq; literis jam tum feciſſe progreſſus, ut verſus utrâque lingua pangeret non infeliciter. Et cum ſæpius animi cauſſa Græco carmine Loiolitas impeteret, infenſos etiam iſta ætate expertus eſt eorum animos, atque exinde magis ac magis exoſam habere cœpit univerſam illam gentem; donec & annis & ſcientia provectior, vindictam omnium injuriarum pleniſſimam cepit; quando eorum Primates, Petavium, Sirmondum & alios, veritatis & ſolidæ eruditionis clypeo quovis loco aggreſſus eſt, donec profligaſſet, atque ex Theologiæ & Literaturæ Arce, quam falſo tutari poſſe ſeſe confidebant, ſumma vi atque ingenii dexteritate exegiſſet. Litteris ergo Græcis & Latinis jam probè excultus SALMASIUS noſter, vix undecennis (incredibile dictu!) ad ſolidioris ſapientiæ ſtudia cœpit animum appellere. Atque à Parente quidem Jeſuitis Divionenſibus (ut ferè in Gallia aſſolent) ſcientiis Philoſophicis imbuendus deſtinabatur, cum ille ſtrenuè ſe opponeret, ac tandem impetraret, ut Pariſios mitteretur. Ita enim,

Ante annos animumque gerens curaſque viriles,

prævideret quid pietatis & purioris Religionis ſtudio, cui cœperat ſe jam inſtinctu Matris addicere, magis conduceret: Pariſiis enim liberiorem aërem ſibi fore, & frequentiora cum Eruditis Colloquia, præſertim qui Reformatæ Religioni eſſent addicti. Caſaubonum ante alios, & reverendos atque eruditiſſimos tunc temporis Eccleſiæ Gallicanæ ibidem Paſtores convenire, frequentare, de dubiis conſulere, & optima methodo quâ ſeſe indagandis veteris & primitivæ Eccleſiæ antiquitatibus dedere poſſet, cogitabat. Nec ſpes fefellit, expertus enim admodum faventes ſibi omnium animos, ob ſingularem candorem, ſed & incredibilem, jam eâ non dicam juvenili, ſed puerili admodum ætate eruditionem, ut pauciſſimis poſtquam eo appuliſſet menſibus, daturus aliquod progreſſus in vera Religione ſpecimen, Fidei ſuæ rationem luculenter admodum & publicè exhibuerit in Eccleſia Reformata; cœ-

 ptus-

ptuſque inter noſtros numerari, inſcio licet & nolente Patre; qui cum ſuæ eum dignitatis ſucceſſorem deſtinaret, ſic ſpem omnem præcìdi judicabat, quòd nemo, niſi Pontificiæ Religioni addictior, ad Senatoriam Purpuram in Burgundia admittatur. At Heros noſter jam tum Pietatis, & veræ ſapientiæ ſtudiis, quæ ſola ſatiare animum poſſunt, divitias omnes & honores generoſè admodum poſtpoſuit; Deoque & Servatori ſuo, quam Parenti, quantumlibet optimo, benevolo, atque adeo benemerenti, parere maluit. Legerat proculdubio & hęrebat ejus animo ipſiusmet Servatoris noſtri monitum, quod in Euangelio nobis reliquit, (a) Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Quin etiam, ut apud (b) Lucam extat, εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ τὰς ἀδελφὰς, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, οὐ δύναται μου μαθητὴς εἶναι. Ergò inſuper habito, & ad tempus, ſepoſito, quod par enti nativitatis jure debebatur, obſequio, quando jam cœlum & cœleſtia ſpiraret, & ſummum illum Patrem, ac Salutis ſuæ unicum Authorem vera fide amplecteretur, vile ei eſſe cœpit, quicquid terrenum fuit. Extat hodieque inter Caſauboni Epiſtolas una ad Clariſſ. Lingelſhemium, qua (licet tacito nomine, Salmaſium tamen noſtrum, quod ego probè novi, innuens) çum *incredibilem eruditionem*, tum vel maximè *zelum ac pietatem* Ejus tunc admiratum ſe teſtatur. Sacris ergo veræ Religionis jam initiatus, Germaniam cogitare cœpit, ubi pacatius quam in Gallia, & fidentius porrò iis operari ſe poſſe judicabat. Rogat itaque Parentem, ut Heidelbergam abire ſibi liceat, tum aliorum Clariſſimorum Virorum, tum eruditiſſimi Dionyſii Gothofredi, atque inſtructiſſimæ Bibliothecæ fama excitato. Ille verò, quòd Reformata eſſet Academia, multum filio ſuo metuens, ne ſcilicet à Pontificiis penitus deficeret, & neſcius eorum quæ Pariſiis geſta erant, diu multumque repugnare, de Tholoſana Academia, etiam præclaris admodum ingeniis tum celebri, mentionem injicere, & cum minus ſibi iſtinc metuendum Filio videretur, ad çam omni conatu, iteratiſque literis

(a) *Matth. x.* (b) *Cap. xiv.*

literis hortari, impellere. At SALMASIO noſtro ratum certumque jam manebat, extrema potius tentare & offenſum licet ſuaviſſimi Parentis animum perferre & pati, quam conceptam animo purioris Theologiæ ſententiam dimittere. Cum ergo penitius cognoſcendæ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας cupiditate prorſus exardeſceret, & pręcipuo ad eam rem adjumento fore ſibi Philologiæ ſtudia prævideret, totq; viros doctiſſimos, quibus tunc temporis Germania ſplendebat, tot exquiſitiſſimos, & fruſtra alibi quærendos venerādę Antiquitatis Codices, quibus Palatina Bibliotheca ſupra alias omnes ſtipata emitebat, ſuſpiceret, unam Heidelbergā cogitabat, unam affectabat. Nec potuere ejus animum flectere quæcunq; à Parente in contrarium adhibebantur machinæ. Tandem ergò & Pater, ſed ęgrè admodum, conſenſit; atq; in hæc verba, quaſi ſuccenſens & ſubiratior perſcripſit: *Allez donc, je vous veux monſtrer en ceĺa que je ſuis plus indulgent Pere, que vous n'eſtes obeiſſant Fils.* Iſta cum legeret quid animi SALMASIO fuiſſe exiſtimabimus? Haud dubie paulo momento huc atque illuc impulſus, atque in diverſa diſtractus, quid ageret, quam rem capeſſeret, multum apud ſe vorſavit. Magnam habet vim, magnam religionem tam arcta & tam propinqua communio ſanguinis. Nec poteſt homini acerbius aliquid in vita contingere, quam Parentum iras experiri; præſertim ſi benefici fuerint ac benevolentes. Si lacrymas, & quidem effuſiſſimas excuſſit nuncius jam grandævo & ad ſummos honores evecto, & ſapientiæ ſtudiis probè exculto, allatus de Parentis exceſſu, quid eveniſſe arbitrabimur adhucdum juveni, atque in ea rerum perplexitate, ut aut Deum, aut Parentes, & cum Parentibus amicos omnes, fortaſſe nunquam reviſendos, deſerere neceſſitas poſtularet? Qui hactenus tam placidis, atque faventibus, tam beneficis erga ſe uſus fuerat; nunc Religionis cauſa, ne in Deum vel conſcientiam peccaret, permittentibus quidem, ſed ægrè permittentibus, & ſi vel pleniſſimè annuiſſent, tamen ad exteros & quaſi in exilium procul à Patria ſua, procul ab omni amicorum auxilio & conſilio diſcedere cogebatur. Accedebat etiam

alia dividia, cum in iiſdem Litteris continuò ad ſuperiora optimus ſenex adjungeret; *mais paſſez par icy avant que d'y aller, & je vous y feray conduire par la Suiſſe*. Quo iſta tenderent facilè perſpexit prudentiſſimus juvenis, & metuens, ne, ſi in Burgundiam ſe reciperet, vi iſtic à Patre retineretur, aut alio caſu ab inſtituto ſuo, prorſus laudabili & ſancto, porro perſequendo prępediretur, tandem ſemota omni hæſitatione, ac Deo in conſilium atque auxilium advocato, vicit amor Religionis, & omninò maturandum iter in Germaniam judicavit. Præſertim cum & veniam à Parente nunc obtinuiſſet, & occaſio commoda ſe offerret, inſtantibus Nundinis Francofordienſibus, cum Mercatoribus ſimul iter capeſſendi. Quod cum Parenti reſcripſiſſet, circà Nonas Septembreis, Anno CIↃ IↃ CVI, iter ingreſſus eſt, annum ætatis agens XIV.

Heidelbergam cum appulit miro omnium Eruditorum applauſu exceptus eſt, atque è veſtigio raris ingenii ſui dotibus, ſed & commendatitiis literis quas à Caſaubono ferebat, maximorum Virorum Dionyſii Gothofredi, Jani Gruteri, & Joachimi Lingelſhemii amicitiam ſibi ac familiaritatem paravit. Atque ilico ſub auſpiciis maximi Viri, Dionyſii Gothofredi, Juriſprudentiæ ſtudio ſe applicuit; quò ſic deſideriis optimi Parentis occurreret, quem, quotieſcunque licuit, & extra cauſam Religionis, ſanctiſſimè ſemper coluit atque obſervavit: unde & faventiorem deinceps habuit, vel eo ipſo quod tam laudabili, nec minus generoſo incepto, Dei cauſam obſequio Parentis ſui anteponere ſuſtinuiſſet. Donec paullatim quoque optimus ſenex huc inclinare, amplecti tandem eandem veritatem, & profiteri denuo non latenter occœpit. Certè in juventute eam atque adoleſcentia foverat: ſed afflictis ac difficillimis Eccleſiæ rebus, atque adeo turbatiſſima Republica, Anno ſuperioris ſeculi LXXII, poſtquam per Gallias omnes horribilis & planè Satanica conſpiratio, quam nec ipſi probare poterant meliores è Pontificiis, tot millia innocentium capitum miſerandum in modum ſuſtuliſſet, ex iſta tanta & tam ſubita rerum omnium converſione aliquod friguſculum ſenſerat; quod penitus

nitus excutere non potuit, antequam meliora & ſolidiora omnia, ex ipſis Sacræ Scripturæ fontibus, diductis per Antiquitatis Canales, ab eruditiſſimo Filio publicè privatimque doceretur. Ut redeamus ad CLAUDIUM noſtrum, tanto is flagrantior quoque ad capeſſendam Civilis Prudentiæ & Antiquarum Legum Scientiam extitit, quanto ipſe uſu magis ac magis comperiret, facere eas curas ad penitiorem quoque Romanarum Græcarumque Antiquitatum notitiam; cum eas unicè ſitiret. Quippe qui ad ſcopum ſuum, quem vel à primis annis ſemper in inquirenda & excutienda Veterum Theologia, & purioris Religionis antiquitate locaverat, Literas Græcas & Latinas, tum univerſam πολυμάθειαν apprime conducere, quin & neceſſariam omnino judicaverat. Nam quæ in Literatura commentatus eſt, non fuere niſi juvenilis admodum ingenii rudimenta, & quaſi quædam ad illa magis ſevera & ſeria ſtudia προπαιδεύματα. Quin etiam in iis ipſis, quàm varia paſſim interſerit, quam multa diſputat de Rebus Sacris & Primitivæ Eccleſiæ temporibus. Commentarios in Hiſtoriam Auguſtam, in Tertulliani Pallium, in Solinum ipſum perpendite, excutite, & nihil unquam ab ipſo profectum, unde non aliqua ſemper ad Eccleſiam utilitas redundaret, facile mihi omnes concedetis. Quod unum ergo in votis habuit, feliciſſimè & proſpero admodum ſucceſſu tota vita perſecutus eſt, Philologiam adjungere ad Sacrarum Literarum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeriam ac ſinceram indagationem.

Interea noſter, ut prudens ſemper fuit, & in futurum longè proſpiciens, dum Heidelbergæ verſatur, ſtatuit nihil prorſus eorum negligere, quæ ſibi in poſterum ad rem quam inceptabat aut utilia aut neceſſaria fore exiſtimaret. Admiſſus igitur in interiorem Jani Gruteri amicitiam, ſimul & liberrimus ei ad locupletiſſimam Bibliothecam patuit aditus. In eam itaque ſe condit, & ad evolvendos partim, partim conferendos cum editis, aut ſi editi non eſſent, & majoris momenti viderentur, transſcribendos Græcos Latinoſque Codices MSS. ſeſe accinxit. Atque ea quidem pertinacia, ut non diem tan-

tùm

tùm ſed & noctem huic curæ impenderet, & ex tribus unam ſemper inſomnem duceret. Toto mane ferè una ſemper cum Grutero hanc operam navabat: à meridie per aliquot horas ambulationibus ſe invicem atque eruditis ſermonibus recreabant ne quod otium etiam ſine negotio abire ſibi CLAUDIUS noſter permitteret. Tum iterum SALMASIUS ad penſum ſuum, Gruterus domum reverti ſolitus: quin etiam id juris in Bibliothecam jam acquiſiverat Heros noſter, ut in muſeum quoque, quos vellet, ſecum codices perlegendos aut deſcribendos adduceret. Ita factum pauciſſimis menſibus ut eruditionem acquireret planè incredibilem, & fama nominis ejus, non Germaniam tantum univerſam, ſed & Belgium noſtrum & Gallias pervagaret, & pro Grutero jam SALMASIUS undique de dubiis ac conclamatis apud omnis generis Auctores locis conſuleretur. Ille verò jam tum eruditionis variæ admodum & diffuſæ copiis inſtructus, nunquam non pleniſſimè iis ſatisfecit, & ſupra expectationem quoque lautiſſimis doctrinæ & Polymathiæ ſuæ epulis ſatiavit. Superſunt tùm in ipſius Muſéo, tùm apud amicos, maximorum virorum Literæ, quibus ſuper variis admodum & difficillimis Locis in Stephani Dictionario, Floro, Callimacho, Theocrito, Athenæo, Heſychio, aliisque graviſſimis Authoribus ſententiam rogatur. Quid iis repoſuerit facilè colligere eſt ex illis, quæ de immenſa ejus eruditione in Epiſtolis ſuis Viri maximi Scaliger & Caſaubonus teſtantur; & propediem ex Salmaſianis ipſis, quas tum ex Germania, tùm aliunde expectamus, ſequentibus Epiſtolarum Libris, quos adornamus, inſerendas, manifeſtius apparebit.

Impar his tantis Laboribus CLAUDIUS noſter, & qui cæleſtem ac divinam planè animam ſortitus erat, cum imbecillo eſſet corpuſculo, accedente & aëris intemperie, amori uſque adèo ardenti, quo eruditionem omnem deperibat, ſatisfacere pro deſiderio non potuit; & languor atque invaletudo tàm præclarum impetum ſufflaminavit. Sed & Medicorum inſcitia factum, ut, cum leviter defungi eo malo potuiſſet, quod ex ſtudiorum aſſiduitate potiſſimum contraxerat, tractus ſit ultra

tra

tra annum & amplius. Illi enim calidis & deſiccantibus curare eum laborabant, cum temperamenti eſſet vel calidiſſimi, nec niſi humectantibus ac refrigerantibus refici poſſet aut deberet.

Cum per eum languorem à ſtudiis penè omnibus arceretur, & Medicorum conſilio vigiliis ante noctem abſtineret, ne nihil ageret, teſtatur alibi ſe *cœpiſſe non amare, ſed amatorem agere, & more cæterorum ſtudioſorum qui tunc Heidelbergæ degebant cum puellis verſari ac ludere.* Quod eum in finem nunc adduco, ut hinc diſcat benevolus Lector, quàm malignè, quam impudenter confictum olim ab adverſariis mendacium fuerit, amoris impotentia in morbum incidiſſe Heidelbergæ SALMASIUM noſtrum. Quæ cum mera calumnia ſit ac per ſe facilè tranſpareat, nec fidem unquam apud bonos invenerit, non eſt cur in confutanda ea laboremus.

Alia mens & melior, & firmiori certè tibicine ſuffulta cum ab ipſo Grutero habuerint, Principum Virorum Scaligeri & Caſauboni, qui ſimul ac de morbo inaudiverant, atque etiam diu antequam audiverant, cum invaſurum brevi ex tanta præſertim ſtudiorum pertinacia, tanquam certò præviderent, rogant, orant, precantur, ut *valetudinem curet*, & *in ſtudiis ſuis memorem ſe veteris dicti probaret*, μηδὲν ἄγαν. *Satis ſe intelligere quæ ſit ſtudiorum ejus ratio, quæ contentio*, ac proinde *de ipſo & ipſius valetudine ſe admodum eſſe ſollicitos.* Quid quod ὁ πάνυ Caſaubonus, totam prorſus Epiſtolam hac ſua de valetudine optimi adoleſcentis cura ac ſollicitudine impleverit. Pauca ex illâ, quia omnino digna mihi viſa ſunt quæ etiam hic legantur, exhibebimus. *Litteræ*, inquit; *quas ante menſes fere duos accepi, etſi non* ἀκραιφνὲς *gaudium mihi attulerunt; magno tamen ſolatio mihi fuerunt* πικρῶς ἔχοντι *propter nuncium de tua afflictiſſima valetudine paullo ante allatum. Meminiſti, doctiſſime Salmaſi, quoties tecum per literas egerim, ut Te reſpiceres, & corpuſculi tui valetudini conſuleres. Noram animi tui impetum: quem ſciebam corpori plura imperare, quam vires ejus ferrent. Itaque quoties tui recordatio ani-*

***** *mum*

mum ſubibat (ſubibat autem ſæpiſſime) metuens valetudini tuæ, tibi tacitus apud me iraſcebar. Nam qui nihil mediocre de tuo excellenti ingenio ſperarem, iniquo animo ferebam non id agere te, ut Reſp. Literaria quam diutiſſime induſtria & laboribus tuis fruatur, &c. atque aliis id genus interjectis, cum de obitu Scaligeri monuiſſet, ac publicam privatamque jacturam, ut par erat, mœſtiſſimis verbis extuliſſet, *Levabor*, inquit, *non mediocri parte hujus ærumnæ, ſi te valentem de reditu cogitare intellexero. Omnia igitur depone, corpori ſervi. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à Te putabo.* Si Pater fuiſſet, an, quæſo, poterat magis eſſe ſollicitus? an majorem affectum teſtari? curam de valetudine ejus gerere? Quaſi ſpes opeſque tum omnis Literati Orbis, tum privatim ſuas in tam tenero capite, & vixdum annos quindecim nato (quis crediderit!) ſitas optimus Senex judicaverit. Plura erant hujuſmodi in iiſdem Literis, & flagrantiſſimi amoris, & miræ ſollicitudinis plena, quæ idcirco ſigillatim non adduximus, quia paſſim illæ proſtant, & plenius à benevolo Lectore (ſi tanti judicaverit) legi illic poterunt, nos digitum ſolummodo intendimus, quia feſtinamus.

Quamvis autem & tædii & languoris multum is morbus Heroi noſtro pareret, nunquam tamen uſque adeo afflixit divinæ particulam auræ, ut omnino à ſtudiis & vigiliis abſtineret. Verum invictus planè & indomitus, quem initio ad Libros καὶ πολυμάθειαν animum atque æſtum attulerat, ad exitum uſque conſtanter admodum ſervavit; & licet impetum ejus paulum quidem frangeret dolor & morbi pertinacia, ſiſtere tamen non potuit. Cujus conſtantiæ ſuæ etiam publica extare voluit teſtimonia. NILUM enim tunc temporis & BARLAAMUM de *Primatu Papæ*, Rogatu Ampliſſimi Bongarſii, accuratè admodum recenſuit, & adjectis ad calcem emendationibus ac notis, quid ſingulari judicii atque ingenii ſui perſpicacitate in Critica tunc etiam poſſet, ſatis oſtendit. Ac licet opuſculum fuerit paucarum horarum, & à puero admodum, vix quatuordecim annorum, curatum, ejus tamen ne ſe ſenem quidem

dem poſteà pœnitere docuit, cum iteratò ad calcem *Libri Primi* de *Primatu* excudendum tradidit. Mox FLORUS inſecutus eſt, Anno CIↃ IↃ C IX. infinitis locis poſt Cl. Gruteri curas emendatus atque explicatus; quem ipſi etiam Grutero, tum gratitudinis ergo, tum etiam ut arbitrum eum ſibi caperet, dedicavit. Annum vix tum impleverat quintum ſupra decimum CLAUDIUS noſter, & tamen adeo exquiſita ad eum Authorem jam tum poſt tot doctiſſimorum virorum labores obſervaverat, ut viros ſummos iterum in admirationem abripuerit. Obierat tum magnus Scaliger: verum ſuperſtes Caſaubonus, quo cum ille paria facere ſolitus dum viveret, in laudando SALMASIO noſtro, pro eo tunc temporis in Epiſtolis ſuis reſpondit, & nunc quoque hoc loco pro aliis reſpondebit, cum unus tunc ac ſolus principatum in Literis obtineret. Ergo ad SALMASIUM ille, poſt acceptum *Nilum* & *Florum*, de *Libellis*, inquit, *quos nuper à Te editos miſiſti*, &c. *Unum ſcito, ita mihi placuiſſe hoc γεῦμα tuarum Lucubrationum, ut neminem tota Europa tuorum æqualium putem tibi comparandum. Parum dixi: ſed nolo in os.* Atque addit iterum aliquid de valetudinis cura, quo magis credatur iſta animitus, καὶ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας loqui. *Iterum Numen*, inquit, *convenio, & pro tua ſanatione vota facio.* Tanti intererat SALMASIUM valere, & curis ſuis ſupereſſe. Quod tamen in tantum vir ille maximus tum ſuſpiciebat, neque id immerito, ipſe deinceps Heros noſter pro crepundiis pueritiæ ſuæ habuit, & jam gravior annis, ac doctrina provectior planè contemſit, & abjecit; cum alias animadverſiones jam haberet SALMASIO dignas. Juvat audire, quæ in eam rem olim ad Clariſſimum atque Eruditiſſimum Virum FRED. GRONOVIUM ſcripſit, Epiſtolâ hujus Libri CXI. *Scio me Auctorem illum* (de Floro loquitur) *olim in Germania curaſſe edendum*, CUM VIX QUINDECIM ESSEM ANNORUM (Nota.) *Præter mea errata tot alia de ſuo accumularunt operæ, ut fœtum illum numquam pro meo agnoverim. Habeo tamen ad editionem paratum elegantiſſimum illum Auctorem: qui ubi prodierit, ſi unquam prodit, oſtendet quid inter-*

ſit inter puerilia rudimenta & maturioris ætatis curam. Ergo & ex illis apparet falſam eſſe computationem, quam vulgò in deſignanda ætate CLAUDII noſtri ſervarunt Viri docti. Si Anno CIↃ IↃ LXXXVIII natus fuit ὁ μαχαιρίτης, *Florum* in Burgundia ediderit oportet Anno hujus Seculi III. ante quàm etiam de Germania cogitaret: aut ſi in Germania edidit circà Annum hujus ævi IX (ut omninò verum eſt) jam oportet XX & amplius annorum fuiſſe; & ſic inſignitum Ejus mendacium fuerit, quod ipſius manu rotundis literis conſignatum heic expreſſimus. Sed & alia ſunt, quibus confirmem quod dico; & habeo mihi adſentientes Viros Clariſſimos, ac SALMASIO noſtro, dum viveret, perfamiliares.

Præter iſta STEPHANUM *De Urbibus* etiam habuit paratum ad prælum ſexcentis amplius locis à ſe emendatum, ac maxima parte ex Antiquiſſimo Codice Bibl. Palat. auctum. Cui, ſi bene memini, verſionem etiam adjecerat, potius temporis fallendi, & ſtyli exercendi gratia, quàm quod neceſſariam judicaret. Mirum dictu; quantopere hujus Operis videndi deſiderio teneretur magnus olim Caſaubonus; atque operæ pretium erit ipſius verba adducere, quod laudes contineant, quæ ne adulto jam & ſene fuiſſent indignæ. In ea igitur quam ad eum Lutetiâ dedit ipſis Kal. Septembr. Anno hujus Seculi VII. *Stephano tuo quid factum ſit*, ait, *diſcupio ſcire. Nam is Liber nobis nunc cummaximè eſſet uſui. Multa enim, ut ſcis, Polybiana ille Auctor attingit; in quibus, ſi quid à te fuerimus adjuti, antiqua fide profitebimur, per quem profecerimus. Eſt ſanè is Liber admodum depravatus: ut non mediocris laus eum videatur ſecutura, qui meliorem ſaltem publicaverit, quam priores* διορθωταὶ *fecerunt. Hoc ego à Te ſpero, & certò ſcio* σὺν Θεῷ εἰπεῖν *ita fore*. Mox iterum: *Tantum illud opto, ut & quam primum editionem matures, & ut nihil eorum omittas, quæ videntur noſtris ſtudiis poſſe conducere*. Ecce Principem Literarum Puero SALMASIO faſces demittentem, & qui omnes docere tunc poſſet, præſertim in Græca Literatura, à Puero (cur enim aliter appellem?) quatuor & decem annorum

multa

multa ſe doceri poſſe, non tam ſperabat quàm certò ſciebat. Ὄρεξιν jam puto me Lectori moviſſe; &, ſi in manu mea eſſet brevi extinguerem. Non periiſſe eum Theſaurum certò mihi conſtat, ſed nec in Bibliotheca τοῦ Μαχαείπου à multis retro annis extitiſſe. Ubi tamen hæreat, arbitror mihi jam compertum. Et publicè heic Eruditiſſimum illum virum, qui hactenus ſervat, oro atque obteſtor, ne diutius ejus deſiderio τοὺς φιλομαθεῖς diſcruciet; & quam illi privatim videndi ac legendi alias poteſtatem ὁ πάνυ conceſſit, eam nunc omnibus faciat, tum gratitudinis causâ ergà Manes Defuncti, tum benevolentiæ erga Literatos, quos variis atque eruditiſſimis operibus non ceſſat etiamnum demereri.

Reditum ad Parentes jam meditabatur SALMASIUS noſter, cum repente cupido eum cepit Romam videndi, & reliquias ac monumenta potentiſſimè ac latiſſimè olim dominantis Populi. Et jam itineri ſeſe accinxerat, atque in comitatum Mercatorum quorundam ſe dederat, cum ea ipſa nocte, quæ præſtitutum profectioni diem præcederet, terribili inſomnio turbatus, & vocem audire viſus quàm maximè eum dehortantis ab eo incæpto, atque interminantis quoque, ſi eam viam inſiſteret, nunquam vivum reverſurum, conſilium illud penitus abjecit. Præſertim cum cogitaret, quàm cautè illic ſibi agendum foret ne vitæ diſcrimen, aut aliud malum incurreret; dein ſi vel cautiſſimè ageret, malevolentium tamen hominum artibus, cum jam fama undique notus eſſe cœpiſſet, facilè prodi & deferri poſſe. Tum & illud accedebat, *Nilum* & *Barlaamum*, Pontificiæ Monarchiæ hoſtes acerrimos, ipſius cura non tantum vulgatos, ſed & expolitos eſſe; unde & tanto certius periculum adiret; & ſi vel optimè res caderet, temeritatis tamen notam effugere poſſe deſperabat. Et quid, quæſo, tunc magni Roma habuit, aut quid nunc etiam habet, cujus videndi aut luſtrandi tanta Eruditos vel cupido inceſſeret, vel neceſſitas urgeret? Cum præſertim quæ ad Eruditionem, & notitiam Antiquitatis facere poſſunt aut Inſcriptiones, aut aliud genus monumenta, tam accuratè, eorum operâ ac ſtudio qui viderunt,

typis & elegantiſſimis Figuris expreſſa nunc habeamus,& multò quoq; nitidius quàm vel in illis Locis viſuntur. Atq; Eruditorum quidem ea ætate ſumma inter Italos erat penuria. Mores verò corruptiſſimi,& facti ad omne genus vitiorum. Memini me aliquando inter Epiſtolas Cl. Lipſii unam ſatis luculentam offendiſſe, qua doctiſſimum quendam juvenem, multis & urgentibus rationibus ab Italico itinere dehortatur. Verum Liber nunc non eſt ad manum; qui habent, & inſpicere dignabuntur, ſi faciem Italiæ, quæ tunc fuit, nec deinceps in melius mutata eſt, tum ſi alias rationes quibus adduci potuerit Heros noſter, ut confidentius ſententiam mutaret, cognoſcere ſatagant, operam non perdent.

Patriam ergò cogitavit, & jam ſpoliis inſignis opimis, quaſi totidem armis inſtructus, quibus rem Literariam jam labantem inſtauraret, vel Hoſtes veritatis, & hoc potius, aggrederetur, paternas ſedes, & natale ſolum elegit, unde primum impetum faceret. Tum videre eum Parentes, qui impenſius eum amabant,atque incredibili ejus videndi & amplectendi deſiderio ſe teneri ſignificaverant, efflictim expetebant. Nec neceſſe fuit currentem impellere. Quid quod diſſidia indies & bellorum motus in Germania gliſcerent; qui tum Academiam Heidelbergenſem atque opulentam Bibliothecam, tum Germaniam univerſam haut ita multo poſt miſerandis modis vaſtarunt. Protinus ergò convaſatis rebus ſuis Salmasius noſter, tendit in Burgundiam ad Parentes; exacto jam in Germania ſolido triennio. Notandum hic obiter, errorem admiſſum in exprimenda ſubſcriptione ejus Epiſtolæ Caſaubonianæ ad Salmaſium noſtrum, quæ in priori Editione numerum habet XLI, recentiori verò IↃ CCLXIV. Datam enim ſubſcriptio, ut nunc extat, innuit *Lut. Pariſ.* VI. *Kal. Septemb.* CIↃ IↃ CXIII. atque ex ipſo quidem Literarum contextu apparet Salmaſium etiam tunc in Palatinatu hæſiſſe; quod turbare fortean poſſet Lectorem minus attentum. At ne quidem Pariſiis tunc fuit Caſaubonus, ſed Londini, ut ſcimus; neque ex Anglia, poſtquam ſemel intraverat, pedem unquam extulit. Tum ex altera quæ

eſt

Digitized by Google

eſt XXXVI, & nov. ed. CCCCCXLII, facilè error deprehendi poteſt. In hac enim jam gratias illi agit pro acceptis libellis, qui erant *Florus* & *Barlaamus*; in iſta altera demum editum *Florum* ſperat, neque dum viderat. Ante eam ergo locanda eſt, & ſic patebit non A. CIↃ IↃ CXIII, ſed CIↃ IↃ CVIII ſcriptam fuiſſe.

Vix pedem in Galliam intulerat, cum Optimus & vere Magnus HENRICUS IV. deteſtanda Regicidæ Ravaillacæ manu occubuit. Omnis ex eo caſu Gallia in luctu, & imminere tum planè pernicies univerſæ Genti videbatur. In primis verò lugere Eruditi, & ſortem ſuam miſerari, cum, eo extincto, nihil ſibi tutum fore vererentur à diris & crudelibus Lojolitarum machinationibus. Gallia ergo omnis in motu. Interea noſter aut in Parentum Ædibus, aut Prædiis Suburbanis, ſtudiis porro operam navavit, & publicum luctum, turbas, commotiones, quæ aures ſæpè verberabant, Muſarum amænitate temperavit.

Et hic frequentare denuò cum Eruditis Literarum commercia occœpit; qui ad eum undique, facto velut agmine, difficultates ſuas ſolvendas deferebant. Per illud tempus, edidit miſitque ad SALMASIUM Spicilegium ſuum in Harpocrationis Lexicon Eruditiſſimus Mauſſacus, quo quæ à SALMASIO potiſſimum, poſt Notas ſuas vulgatas, per Literas didiciſſet, collegerat; præmiſſa admodum honorifica Ejuſdem mentione, & elogiis non vulgaribus paſſim inſperſis.

Interea Lutetiam aliquando excurrere, arctiorem cum Doctiſſimis & Ampliſſimis totius Regni Viris Sillerio, Thuano, Puteanis, Memmio, Servino, Rigaltio, aliiſque, qui alicujus aut nominis aut dignitatis tunc erant, familiaritatem contrahere. Rigaltio imprimis utebatur, cum ei Regiæ Bibliothecæ cura incumberet; cujus quoque aditum ejus beneficio quoties vellet impetravit. Et cum jam ad graviores curas ſe accingeret, omnemque prorſus Græcam Romanamque Hiſtoriam, ipſius quoque Naturæ arcana, deniq; Res Rituſq; Veteris Eccleſiæ penitius ſcrutandas & indagandas ſuſcepiſſet, præter ea

quæ

quæ ex Palatinatu ſecum advexerat, etiam pervolutanda Illuſtris & verè Regia Bibliotheca ei videbatur. Verùm quo id commodius & majori cura perficeret, impetraverat à Rigaltio, ut ſecum, quos luberet, Codices vel in Burgundiam quoque & in Muséum ſuum deferret. Jam ſingulis ergo menſibus iter Lutetiam inſtituebat, & Libros quibus uſus erat reportabat, alios de novo auferens.

Inter has curas, ὡς ἐν παρόδῳ, rogatu Cl. Rigaltii duas difficillimas Græcas Inscriptiones Herodis Attici elucidavit, & luculentis Commentariis exornatas, adjectis ſimul etiam Notis ad Dosiadæ aras & obſcuriſſima Poëmatia Simmiæ Rhodii ovum, alas, securim, Theocriti fistulam, Cl. Rigaltii porro curæ commiſit. Qui, cum eruditionis non vulgaris plena omnia eſſe comperiſſet, & ſuſpiceret, Pariſiis excudenda exhibuit Anno CIↃ IↃ CXIX.

Eodem ferè tempore rogatus ab Amico quid ſentiret de ſententia quam ſuper Regionibus et Ecclesiis suburbicariis Sirmondus cum Sociis foveret, quæ ſibi viſa eſſent & liberè admodùm, pro more, & eruditè ac ſolidè Literis commiſit, quæ mox etiam ejuſdem Amici, ad quem ſcripſerat, operâ Pariſiis tùm vulgata ſunt, & quia nobis mirè quoque placuerunt, ac legi poſſe cum publica utilitate judicavimus, nec niſi raro in his Regionibus occurrant, prælo iterum ſubjici, & ad hujus voluminis calcem adjungi curavimus.

Succeſſit deinceps ingens & aureum opus Commentariorum in Augustæ Historiæ Scriptores, qui Suetonium ſequuntur, & *Minores* appellari ſolent. Nam poſt Caſauboni obitum, quo nemo melius hos Authores curaverat, in tota Gallia nullus repertus eſt, qui poſt ipſum aliquid hic tentare vel poſſet vel auderet. Et cum alii nemini obtrudi poſſet hoc negotium, itum eſt in Burgundiam ad Claudium noſtrum; qui licet in alio argumento tunc verſaretur, & nihil minus expectaret, cum dudum Notas & emendationes ſuas, & excerpta ex MSS. Pall. quæ habuerat ad illos Authores proprio uſui dicata, τῷ πάνυ Caſaubono tradidiſſet, quia tamen & multorum

rum amicorum atque illuſtrium virorum perpetuis petitionibus; & Typographi precibus reſiſtere diutius non poterat, hoc quaſi πάρεργον, ad illud quod tunc tractabat majoris operæ & moliminis, ſibi aſſumſerat. Ac repetitis, quas Caſaubono ante in eam rem dederat, ſchedis paucis admodum menſibus totum illud opus abſolvit. Ac tum demum omnibus manifeſtum eſſe cœpit quanta eſſet portentoſi hujus ingenii vaſtitas, quàm varia eruditio; & quantùm adjumenti & gloriæ Scientiæ omnes ab hoc Dæmonio hominis expectare poſſent. Mirari alii judicii dexteritatem, alii ingenii, quod etiam ἄδυτα, & impervia Viris ſummis, facillimè penetraret; alii verò miram facilitatem & promtitudinem ſuſpicere: at obſtupeſcere omnes immenſum illum omnigenæ eruditionis Oceanum, nuſquam penè ſiſtendum; niſi ſibi ipſi limites poneret, & velut ſuum ipſe æſtum atque impetum tardaret, & in medio curſu vi quadam abrumperet.

Vix illud opus abſolverat Heros noſter, cum negotium illi denuo procuravit Sirmondus. Nam cum videret multùm de exiſtimatione ſua apud Viros eruditos imminuiſſe Epiſtolam SALMASII de *Suburbicariis*, ne ſcilicet omnino victum ſe ſilentio ſuo teſtaretur, Libellum iterùm repoſuit, ſed qui honori ejus nocuit magis quàm profuit. Et cum tàm miſerè haut multò ante vapulaſſet, ſexcentis tamen novis plagis obnoxium tergus maluit reddere, quàm non ulciſci veteris & jam in cicatricem coëuntis vulneris, injuriam. Multum illic ſe verſat, ſæpè auras verberat, aut cum umbra ſua litigat. Quæ manifeſta ſunt, & omnibus comperta negat: errores erroribus connectit; & dum veteres defendere annitur, de novo plures iterum committit; in multis ſibi contradicit, in pleriſque nugatur, in omnibus ferè hallucinatur; & cum miſerandum ſæpius, paſſim & quovis loco deridendum propinat; ut veriſſimè omninò alibi SALMASIUS judicavit, ac certiſſimis quoque argumentis comprobavit. Eum Librum, quia tunc Pariſios SALMASIUS cogitabat, *Adventoriam* Sirmondus inſcripſit. Haud diu ſiluit SALMASIUS, verùm ilicò Pariſiis EUCHARISTICON illi

****** pro

pro *Adventoria* repoſuit. Quo Libro quàm altè jam Anquitates & Origines Eccleſiaſticas penetraſſet, quàm ſolidè intelligeret, luculenter admodum docuit. Et Sirmondum planè ad incitas redegit, ut vel ipſi Doctiſſimi è Pontificiis teſtantur; nec auſus eſt deinde unquam cum SALMASIO pedem conferre.

SALMASIUS jam ævi maturior, & quò commodiùs quod reliquum erat vitæ conficeret, cœpit de conjugio cogitare: & Uxorem ſibi ſumpſit Nobiliſſimam & generoſiſſimam Matronam ANNAM MERCERIAM, Filiam Ampliſſimi ac Doctiſſimi Viri JOSIÆ MERCERI *De Bordes*, *Gryniaci* Domini, Magni illius Viri JOANNIS MERCERI, variis atque eruditiſſimis ingenii monumentis inclyti, Filii. Viri, ut Heraldus publicè teſtatus eſt in eo ipſo opere quod contrà *Salmaſium* ſcripſit, *præcellentis ingenii, ac doctrina eximia, ſed ſagacitate & rerum gerendarum & explicandarum magis clari*. Unde & in pretio & honore ſemper fuit apud Regni Proceres, & à maximo Rege HENRICO IV. variis atque ampliſſimis dignitabus ornatus. Dubiumque reliquit, utrum prudentia & fortitudinē in juvandis Patriæ rebus, an ſolida & omnigena eruditione magis excelleret. Scripſit atque edidit, dum vixit, *Notas* doctiſſimas & elegantiſſimas in *Tacitum*, *Ariſtænetum*, *Dictyn Cretenſem*, *Apuleji* Librum *De Deo Socratis*, & *Nonium Marcellum*. Invenio præterea & in Caſauboni Epiſtolis crebram mentionem *Commentarii* ejus in *Tertulliani Pallium*; verùm an editus ille fuerit, non potui hactenus indagare. Cæterum cum ſumma eruditione modeſtiam quoque & candorem raro admodum, ſed neceſſario & ſummè laudando conjugio junxerat; adeo ut cum in *Notis* ad *Tacitum* multa contrà Lipſium diſputaſſet, ab ipſo Lipſio tamen inſignem laudem meruerit, *quia & cum cauſa, & cum modo hoc faceret*; uti ipſe ſcribit in quadam Epiſtola ad Baudium, quæ extat in *Nov. Ed. Baudianar. Epiſt. Cent.* IV. *Ep.* XXIX. Cum eo SALMASIUS, dum licuit, vixit conjunctiſſimè, &, ut fuit ſemper φιλομαθέστατος, multa cum eo conferre, differere de communibus

bus ſtudiis, ſummæ fuit voluptati; ſed quam poſt paucos admodum annos mors atra turbavit. Quantum ex ea jactura luctum conceperit tum CLAUDIUS noſter, ut & quàm efflictim eum amaverit, & quantum in illo capite damnum Res Literaria perpeſſa ſit, hic diſcatis ipſiusmet diſertiſſimis atque accuratiſſimis verbis malo, quàm meis. In Prolegomenis ergò ad *Plinianas Exercitationes* ſub exodium, cum fortè mentionem optimi & doctiſſimi Soceri ſui injeciſſet, *Ejus*, inquit, *Viri interitu quantam nuper jacturam fecerit Reſpublica Litteraria ſatis ſciunt quibus vel de ſolo nomine notus fuit. Ego verò cui doctrinam ejus ac virtutes propius intueri ac ſtupere contigit, hoc magis etiam teſtari poſſum; & cum privatum damnum quod ex illa morte ſenſi me maximè tangere, ſicut facit, debeat, haud minus & publici cauſſa afficior, quamvis in illo homine non me Socerum duntaxat amiſiſſe crediderim, ſed Patrem, ſed ſocium ſtudiorum, adjutorem, fautorem, laudatorem ſummum, & quidquid eſt denique majorum minorumq; neceſſitudinum. Ingenio eum ſagaciſſimo, judicio limatiſſimo, eruditione conſummatiſſima ſi fuiſſe dixero, vera quidem me prædicare conſenſus omnium fatebitur, ſed partem hanc eſſe laudum ejus nec maximam ſcio, quibus pro re ac merito latius explicandis alius à me deſtinatus eſt locus, ideo hic parcior ero.* Talem ergò Socerum, ſed pauxillo tempore, habuit Heros noſter; & hunc quoque prudenter admodum elegerat. Quid enim, qui ſolas æſtimabat animi dotes, cætera, quæ mundus ſuſpicit, calcabat, an adſciſcere alium ſibi Socerum commodius potuit, quàm conſortem ſtudiorum ſuorum, & qui cum eo ad gloriam quoque immortalitatis ſapientiæ via graſſaretur? ſed & potentiæ atque authoritatis tantæ apud ſuos, quanta à Literato Viro deſiderari potuit.

Interea temporis Commentarios ad TERTULLIANI PALLIUM ediderat SALMASIUS noſter: opus diffuſa admodum Eruditione differtum; & quod omnem penè antiquam *Rem Veſtiariam* tractaret. Argumentum ut difficile admodum, ita utiliſſimum ac neceſſarium cognitu iis omnibus, qui cum utilitate Veterum quorumvis Scripta verſare ſtudeat. Parenti ve-

rò ſuo *Benigno de Salmaſia* inſcripſerat ; ut aliquod erga eum publicè extaret gratitudinis ſuæ monumentum. Quippe cui pene ſoli non τὸ εἶναι tantum ſed & τὸ εὖ εἶναι poſt Deum deberet : cum Græcas Latinaſque Literas ab eo puer admodum, & commodiſſimè didiciſſet. Eum Librum deinceps & ab Adverſariorum morſu Scriptis Apologeticis ſtrenuè vindicavit.

Ad graviora interim gradum jam promovens, & ipſa Naturæ Arcana, vidit ſibi Heros deeſſe aliarum Linguarum cognitionem ; ergo ad Græcas & Latinas, Orientales etiam pleraſque, Hebræam præſertim, & Arabicam cogitavit adjungere : ne quid in poſterum eſſet, ubi ſiſtero impetum ingenii in indagandis omnigenæ & cujusvis reconditæ eruditionis adytis cogeretur. Veriſſimè enim ab Eruditis hactenus vel judicatum, vel compertum, omnes omninò ſcientias quaſi quodam arcano Naturę vinculo ſibi invicem connexas: Et fruſtra quempiam in una ritè abſolvenda deſudare, niſi cæteras quoque noverit. Quia ergò per omnia longè lateque ſe diffunderet vaſtiſſimum illud ingenium, ut tanto confidentius de Orientalium Rebus, cum occaſio ferret, pronunciaret, tùm etiam quidquid illi præ cæteris exquiſiti de omni Scientiarum genere in Scripta retuliſſent, addiſceret ; in eam curam totum ſeſe tradidit. Et quia Magiſtri copia, licet diu quæſita, non oblata eſt, placuit tandem experiri ecquid ſine Magiſtro hic etiam proficere poſſet, ut penè in cæteris omnibus fecerat. Et hoc bellè admodum proceſſiſſe, teſtis ipſe in Epiſtola ad Grotium, quam etiam hoc volumine exhibemus. Et ſatis manifeſto apparuit, quantum in eo ſtadio profeciſſet, in Divinis καὶ πολυμαθεστάτοις *Exercitationibus Plinianis.*

Per idem tempus commodùm accidit, ut amicitiam ſuam illi & ſingularem affectum ultro offerret vir & eruditione & genere Nobiliſſimus, nec ſine honoris præfatione nominandus *Fabricius de Peyreſo*, Regius in Aquæ-Sextienſi Curia Senator, Literarum magnus, dum vixit, inſtaurator, & Literatorum Mæcenas planè incomparabilis. Is ergo qua potuit ope atque opera ſuppeditatis undique ſubſidiis, SALMASII inſtitutum

tutum promovere perpetuo annisus eſt. Interim quæcunque in omni antiquitate difficillima, nec cognita hactenus aut explicata animadverteret, continuo ad SALMASIUM, tanquam certiſſimum Aſylum, detulit; eandemque, ut ſemel inſtiterat, viam ad mortem uſque conſtanter ſervavit; donec magis magiſque perſpecta Ejus ὑπεροχία, etiam de iis conſulere, quorum notitiam dudum deploratam, nec niſi ab Oraculo aliquo petendam eſſe Eruditi omnes conſenſerant. Quàm multa in Veteribus Inſcriptionibus, hinc inde paſſim erutis, & captum Eruditorum omnium fugientia; quàm abſcondita in Veterum Aſtrologia, Militia Romanorum, in Literis ad Ipſum; & quàm perſpicuè omnia, & quàm ſolidè elucidarit, in quibus explicandis aut omnes hactenus aberraverant aut fruſtra omninò deſudaverant, patebit tum ex iis quas in hoc volumine exhibemus, tum ex aliis quàm plurimis, quas ex Gallia nunc expectamus ex Muséo illuſtriſſimi Herois CLAUDII FABRICII, *Baronis Riantienſis*, operâ verò & curâ Nobiliſſimi & Ampliſſimi CONRARTI, Conſiliarii ac Secretarii Regis Chriſtianiſſimi, Viri omni laude majoris, comparatas; quod gratitudinis ergò publicè heic profitendum duximus. Minima horum pars eſt, quam in Annalibus ſuis de Vita *Inclyti Viri*, Vir ſummus *Petrus Gaſſendus* nuper admodum memoravit: quin & multa perperàm (neſcio quo fato) relata, aliàs fortaſſe docebimus. Quid quod & Ægyptiacæ Linguæ Arcana, & univerſam penè veterum Ægyptiorum Theologiam, Aſtrologiam, Myſteria multa Hieroglyphica, longius latiuſque, ut Ampliſſimo *Peyreſcio* ſatisfaceret, explicârit. Inde tanta utrimque animorum conjunctio, tanta & tam arcta neceſſitudo coörta, ut non credam ullum alterum pari affectu τὸν Θαυμάσιον coluiſſe, aut viciſſim ab altero æque fuiſſe redamatum. Qui ejus rei fidem requiret, ſat manifeſtam inveniet in Præfatione ad *Tabulam Cebetis* Arabicam, quàm ante quindecim annos noſter Heros publico exhibuit. Qui ergo tam magnificè de Salmaſio olim meritus fuit, & quem tam impenſe viciſſim Salmaſius amavit, non erat à nobis ſine honeſta glorioſarum virtutum &

 merito-

meritorum Ejus commemoratione hoc loco prætereundus. Plura non capit hic Scriptionis modus; & vereor, ne Orationis noſtræ inconcinnitas potius quid deruat de Ipſius laudum cumulo, quàm vel hilum adjiciat.

Perſonabat jam Univerſum Orbem Salmasii nomen. Nec à Doctis tantùm æſtimari, in pretio haberi, ad cœlum evehi; ſed & à Potentiſſimis Rebuſpublicis, ipſisq; Regibus ultro ambiri cœpit. Singuli Eum ſibi vendicare, ſibi ſoli aſſerere exoptabant. Oblatis ergò lautiſſimis conditionibus primùm Veneti tentare; quod crederent immortalé ab Eo ſidere Patavio ſuo ſplendorem acceſſurum. Et quia publicas Lectiones detrectabat, quod videret eas ſtudiis ſuis obfuturas, iterùm oblatis aliquot Aureorum millibus ſolùm orarunt (quod nuperrimè ex amico didicimus) ut ter in anno publicè prælegeret; modeſtè tamen recuſavit, & gratias egit tùm privatim, tùm publicè etiam, dicato Iis ſtupendo admodum & immenſæ eruditionis Opere Exercitationum Plinianarum ad Solinum.

Quod opus, vel potius, quem Theſaurum, quibus cedo laudibus ſatis dignè efferemus? *Divinum* appellat Beverovicius, alii *infinitæ eruditionis*; nobis omnigenæ Eruditionis latum & vaſtum pelagus vocare nunc adlubeſcit. Paucis verbis, ſed verè omnia complexus ſum. Et horror quaſi me invadit, & mentem ſtupor occupat, quoties ambitum tàm immenſi æquoris animo circumſpicio. Rectè olim & eleganter Plinius Nepos Opus *Hiſtoriæ Naturalis* Avunculi ſui vocavit, *diffuſum, eruditum, nec minus varium quàm ipſa eſſet Natura*. Lib. III. Epiſt. V. At ſi hoc ſeculo vixiſſet, ut ingenuus erat, magnusque & idoneus eruditorum omnium æſtimator, quid de Augusto hoc Exercitationum Syntagmate dixiſſet? Præſertim ubi tot Avunculi παροράματα, tot in Græcis vertendis σφάλματα admiſſa, tàm doctè & tàm exquiſitè caſtigata à Salmasio comperiſſet. Quid de infinitis aliis quæ & latius multò quàm Author *Hiſtoriæ Naturalis*, & ſolidius, & doctius, & accuratius dicta ac diducta offendiſſet? Et hæc tantùm

Spe-

SPECIMEN erant OBSERVATIONUM, quas in PLINII HISTORIAM NATURALEM partim jam confectas, partim affectas habebat. Idcircò pro *Plinio*, compilatorem ejus *Solinum* in contextu operis perſequendum ſibi ſumſerat. *Tertium Volumen* jam prælo paratum habuit, quo egerat *De Erroribus Veterum & Recentiorum in Re Herbaria*; & jam in Gallia olim edidiſſet, antequam ad nos veniret, niſi idoneum Typographum diu fruſtra quæſiviſſet, qui Arabica poſſet excudere. Unde factum deinceps, ut de Uno Libro, lapſu temporis, dum hæſit in Batavia noſtra, & majorem copiam habuit Librorum Arabicorum & Perſicorum, ingens & diffuſum opus procuderit DE HERBIS & PLANTIS; non jam ſecundùm Plinii aut Solini ductum, nam id curriculum tum arctum nimis videbatur, ſed ſuo ſibi genio & talo decurrens. Atque illud quoque jam lucem aſpexiſſet, niſi *Didymum de Plantis* Authorum rariſſimum & vetuſtiſſimum ex Italia diu fruſtra expectaſſet. Quæ tamen confecta habuit, etiamnùm ſalva eſſe, & fortean brevi in lucem protrahenda ſpem Eruditis omnibus non vanam facio.

Nunc è diverticulo in viam. Poſtquàm ergò VENETI fruſtrati eſſent ſpe ejus potiundi; tentavit idem BRITANNIA, quò Oxonienſi ſuo Athenæo eum aſſereret. Aër & Regionis amęnitas, tùm libertas veræ Religionis videbantur eum huc inclinare potuiſſe, & certè obtinuiſſent, niſi aliquid ab Eo (quamvis lautiſſima conditione) petiiſſent, quod cum ad Nationis utilitatem ſpectaret, non erat tamen ad genium ipſius. Interea ipſe PONTIFEX eum deperire, favorem ejus ambire, miſſa per Epiſcopum Aurelianenſem amica ſalutatione. *Petrus Aurelius* Theologus Pontificius celeberrimus, in *Anæretico contrà Sirmondum*, in *Præfat*. ſub finem, poſtquàm Sirmondum acriter admodum reprehendiſſet, quod tàm imprudenter & tàm acerbè SALMASIUM, virum maximum, traduxiſſet, cum in ipſius *ingenio nihil eſſet quod cum* SALMASIO *conferretur* (ſunt verba Aurelii.) *Longè alia*, inquit, *mens & pietas fuit ſanctiſſimi URBANI VIII. qui, pro eo quo Eruditionem & eruditos proſequitur ſtudio, non minus Eruditionis quàm Eccleſiæ ipſe*

Prin-

Princeps, HOMINEM TOT NATURALIBUS DEI MUNERIBUS ORNATUM, *divinioribus gratiæ donis cumulari exoptans*, SALUTEM EJUS DOCTISSIMO NUPER AURELIANENSIUM EPISCOPO BREVI APOSTOLICO COMMENDAVIT. Videtur verò Pontifex eò adductus quod Libro contrà Sirmondum *de Suburbicariis Eccleſiis*; *Salmaſius* inter cætera doceat *Epiſco-*
,, *pum Romanum* antiquis temporibus non tantùm Italiæ, nec
,, ſolius Occidentis extitiſſe Patriarcham, ſed eamdem omni-
,, no in Oriente poteſtatem obtinuiſſe; quod vero nunc in Oc-
,, cidente ſolum imperet, Græcos id Schiſmate ſuo curaſſe,
,, quo jugum ſummi Pontificis excuſſerunt, Orientemque ab
,, Occidente abſciderunt, ſeſeque à Communione Romanæ Sedis ſegregarunt; ut utar verbis ipſius Salmaſii. Et ſanè idem Ille præviderat, cum de *Epiſtola* ſua ſub finem *Euchariſtici* ſui
,, prædicet nihil non habere Romanum, ac proinde non du-
,, bitare quin Romæ videri, legi, haberique potuerit. Cum Sirmondi altera ſententia, qua contendit ſpecialem ſolummodo Occidentis, nec omnium quidem ejus Provinciarum, Patriarcham fuiſſe Epiſcopum Romanum. Interea diſſimulabant illi, qui Salmaſio hac in parte faverunt, de corruptis temporibus nec niſi quarto ſeculo & ſequentibus aliquot intellexiſſe, cum optimè noſſet Salmaſius omninò illud Imperium eſſe Juris poſitivi, & uſurpativi, non inſtitutionis divinæ aut Apoſtolicæ. Quicquid ſit, maximè verſatum Salmaſium in omni antiquitate Eccleſiaſtica, & Sirmondum aliosque Ieſuitas iſtius temporis Coryphæos longè poſt ſe relinquere haud latenter teſtati ſunt: atque exinde magis magisque amicitiam ejus ambire, conari ad ſuas partes penitus traducere; aut ſi hoc non poſſent, variis beneficiis ac lenociniis avertere ejus animum à ſcribendo contra Romanam Religionem intenderunt: quia ſcilicet calamum ejus, & accerrimum in Diſputando judicium cœperant extimeſcere.

Hæc inter, circa annum hujus Seculi XXX, de vocando SALMASIO in hanc noſtram Bataviam commodùm cogitari cœptum eſt. Urgente imprimis Nobiliſſimo AERSSENIO glorioſæ

atque

atque inclytæ memoriæ Viro. Et ſolus dignus habitus, qui Magni SCALIGERI locum tanto poſt tempore iterum impleret. Erant qui contra ambirent, atque id magno quidem molimine, verùm à prudentiſſimis hujus Lugdunenſis Lycæi CURATORIBUS cæteris omnibus prælatus eſt, ut longè dignior, SALMASIUS noſter. Atque ultro citroque miſſis ad eum Litteris, tandem etiam optimo ac deſideratiſſimo *τῷ μακαρίτῃ* Avunculo noſtro JOH. WALAEO, M. D. id negotii dedere, ut quas illi decreverant lautiſſimas & Heroïcas conditiones, præſens præſenti offerret, & quantum poſſet anniteretur eum ad amplectendum id muneris compellere.

Placebat SALMASIO libera Reſpublica, ubi poſſet præſertim pacatè incumbere detexendis, quas inchoaverat, Obſervationibus in Univerſam Primitivæ Eccleſiæ antiquitatem, quas inter minas & pravas Lojolitarum machinationes ægrè admodum abſolviſſet; & jam confectas prælo unquam committere poſſe deſperabat. Cum præſentiam ſuam omnino ei rei neceſſariam judicaret, & in tota Gallia nuſquam ſatis fidum aut tutum locum inveniret. Illud vero unum nunc agebat; atque eò omnia ſua ſtudia, omnes curas dirigebat, ut omnibus machinis Romanum Pontificem, unde tanquam à capite morbus omnis in reliquũ Eccleſiæ corpus defluxiſſet, adoriretur. Eâdem cauſa & olim *τὸν πάνυ Caſaubonum* permotum novimus, ut Angliam pro Gallia ſua eligeret; quò liberiùs iſtic vacaret confutandis Cardinalis Baronii Annalibus Eccleſiaſticis. Bataviam tamen hac in parte præ Anglia præferebat Heros noſter, quod majorem ſemper in Republica quam in Regno libertatem eſſe judicaret. Verùm nonnihil ab injuria aëris metuebat, qui corpuſculum nactus eſſet planè omnis frigoris impatiens, & incommoda quæ inde obvenire ſibi poſſent, in Germania abundè fuerat expertus. In primis verò & hoc illi dolebat ut ingenuus ſemper fuit & candidus, rem in eum ſtatum fuiſſe deductam, ut niſi multorum invidiam & odium incurreret, accipere hanc conditionem non poſſet. Quin maluiſſet in alterum propterea deferri, ne inimicitiam ejus deinceps experiri cogeretur,

quem placatum atque amicum habere ſemper mallet. Ut abundè teſtatur in Epiſtolis ſuis. Sanè ab omni eum ambitionis culpa vacuum fuiſſe optimè ii norunt, qui iſtius temporis meminerunt. Cum canere ſibi & Muſis ſuis ſemper conſtituiſſet, potius quàm vivere Aliis obnoxius. Belgium tamen præ alia Regione jam elegerat, ubi domicilium quæreret; at nunquam potuerat à Parentibus abeundi in tam diſſitas oras veniam impetrare.

Poſt alia atque alia ergò, quia inſtarent perpetuo Curatores, & eas offerrent conditiones, quæ ſine faſtus ſuſpicione recuſari non poſſe videbantur; aſſenſit eorum petitioni, & circa exitum Anni CIↃ. IↃ. C. XXXII. in hanc Urbem cum Familia appulit. Quanto ibi applauſu, quanto gaudio, quanta exultatione, quanto honore, quanto omnium ordinum & ætatum confluxu exceptus ſit, longum foret hic referre, & properantibus nunc in hoc ipſo folio operis Typographicis ad alia porrò tranſeundum. Illud ſolum hic addam, nullo *Profeſſoris*, multò minus *Profeſſoris Honorarii* titulo, ut ridiculi homines finxere, evocatum fuiſſe; verùm ea ſolum lege, quomodo veriſſimè in Oratione Funebri V. Cl. *Adolfus Vorſtius* commemorat, *ut nominis ſui honorem Academiæ huic impertiret, Scriptis eandem illuſtraret, præſentia condecoraret*. Cum SCALIGER vocatus eſſet ad implendam vacantem ex deceſſu J. Lipſii Hiſtoriarum & bonarum Literarum publicam profeſſionem: licet eam poſtquam veniſſet, detrectaverit. Atque ut re ipſa quoque ſignificarent Ampliſſimi Curatores, longè Se eum conſtituere ſupra Profeſſoriam conditionem, publica authoritate locum illi in publicis actibus aut aliis occaſionibus decernunt ante omnes Profeſſores, immediatè poſt ipſum Magiſtratum hujus Urbis: quin & ſingularem illi & ſegregatam à reliquis ſedem in Academia conficiendam mandant. Quibus vero machinationibus, quibus artibus, quo conatu, hunc illi honorem diſturbare & irritum reddere laborarint Illi, qui ſupra ſe locari cum publico mandato ægerrimè patiebantur, & perpetua ſe invidia diſcruciabant, non diducam hic latius, ne videar ſopitas

tas jam cum eorum cineribus injurias ſuſcitare: quin malo æternis ſilentii tenebris obrutas, & ex memoria præſentium ac poſterorum obliteratas: & paria ab Adverſariis quoque & hoſtibus Salmasiani nominis hic poſtulo.

Quibus verò & quantis Divini ingenii ſui lucubrationibus hic omnem iterum eruditionem promoverit; quàm fortiter Religionis hoſtes, quàm ſolidè alios à ſe diſſentientes confutàrit, ſi ſingulatim commemorare hic contendam, operam omnino perderem; quia vel quibuſvis laudibus, nedum meis, majora ſunt, & omnia uno verbo melius & rectius fuero complexus, ſi dixero fuiſſe ſingula Salmasio digna. Catalogum eorum infra Lectori noſtro exhibebimus, ut numerum ineat; &, ſi ante non legit, ex ipſorum, ſi πλυμαθίας amore tenetur, Lectione judicium ipſe de iis domi faciat, ne foris quærat.

At quos quantoſque amicos è veſtigio ultro conſecutus ſit in hoc Belgio, non poſſum accuratius, & verius dicere, quàm omnes fuiſſe, qui probi eſſent, & Eruditioni pretium ponere noviſſent. Patet ex his Literis, quanto impetu undique, quaſi certatim, ad eum convolarint, amicitiam & benevolentiam ejus expetentes, & amplius patebit, ubi plures undique receperimus, quas intelligimus collectas nobis aſſervari. E præcipuis ſemper fuere Nobiliſſimi, & Ampliſſimi, *Aerſſenii, Willelmi, Hugenii, Staackmanni, Graſwinkelii, Scriverii, Heydani, Vorſtii, Golii, Herebortii, Beverovicii, Colvii, Gronovii, Voſſii, Riveti, Spanhemii, Crucii, Junii, Dievii, Latii, Walæi, Elichmanni, Wevelichovii*, aliique aut generis nobilitate illuſtres, aut eruditionis fama præcellentes.

Multum quoque & familiariter eo uſa eſt, Sereniſſima Bohemiae Regina: & de graviſſimis ſæpè difficultatibus cum eo contulit. Quin & Celſiſſimi & Præpotentes Heroës Fridericus Henricus, & Gulielmus II. Glorioſæ Memoriæ Arausionensium Principes, ſæpius in conſilium adhibuere, ſuper Rebus Politicis, ac militaribus. Et cum aliquoties cum Auguſtiſſimo Principe Friderico de Veteri

Romanorum Militia, ejuſque varia mutatione, & diſcrimine ſub Conſulibus & Cæſaribus (quod hactenus Eruditos omnes latuerat) ſermones miſcuiſſet; tàm impensè placere ſibi SALMASII illas Diſſertationes MAGNUS HEROS, & Belgii noſtri Mavors ſignificavit, ut Scripto eas conſignari protinus juſſerit. Et paruit ejus Mandato quàm lubentiſſimè SALMASIUS.

Syntagma ergo aliquod de MILITIA ROMANORUM, quod dudum animo conceperat, & cujus guſtum ſæpe Amicis id flagitantibus per literas dederat, tandem auſpiciis AUGUSTISSIMI HEROIS ſeriò & accuratè tractare primò *Gallicè*, deinde & *Latinè*, aggreſſus eſt, nec deſtitit donec ad finem deduxiſſet. Integrum tamen videre PRINCEPS non potuit, cum acerbiſſimo & Bonis omnibus ætatem lugendo exceſſu prohibitus ſit. Varios deinde caſus expertus eſt ille liber, & diu per amicorum manus ambulavit; donec ad aliquem, Virum Celeberrimum, pervenit, qui hactenus fideli, ſed incommoda publicis utilitatibus, cuſtodia aſſervavit. Utrum verò aliud præterea & majus opus conceperit, cui hoc ſerviret pro *Apparatu*, an hoc ipſum fuerit, quod promiſerat, incertum mihi eſt atque incompertum. *Cl. Sarravium* audiamus in Epiſt. quadam ad *Gronovium*; *Longiuſcule*, inquit, *Epiſtolæ modo* (de *Militia* loquitur) *crediderat olim poſſe omne iſtud definiri, & abſolvi: ſed jam ſententiam mutat*, *grandiuſque volumen promittit*, *quod majoris adhuc* OPERIS *ad* Arauſionenſium Principem *erit vice* Apparatus. Magnus ſanè liber eſt, quem hodie habemus, & rem omnem plenè pertractatam habet. Aliquot ejus τετράδια excuderant Typographi noſtri, cum eam fortunam expertus eſt, quam diximus. Aliquod tamen ejus ſpecimen, & quoddam quaſi compendiũ Erudito Lectori non uno loco exhibebunt Epiſtolæ quas hoc volumine vulgamus.

Anno CIↃ. IↃ. CXL. Parentem amittit jam grandævum, & præter propter Octuagenarium, qui & ductor infantiæ ejus & fidiſſimus Pædagogus, & jam provecta ætate magnum illi & ſolatium & præſidium fuit. Quantopere ille obitus SALMASIUM noſtrum percuſſerit, vel ex hoc apparet, quod teſtantibus viris

Clariſ-

Clariſſimis, eidemque dum vixit, conjunctiſſimis, exundantes lacrymas excuſſerit. Nec prohibere eas potuit, cui inveſtigandæ & perſcribendæ ſe tum tradiderat, Philoſophia Stoicorum. Adeò ut, licet etiam arma omnia advocaret, quibus in eo caſu ſtatum mentis retineret ac tueretur, morte tamen optimi ſenis, & probitatis fama per omnem Galliam celebratiſſimi, & abundantis in filium affectus, & candoris & modeſtiæ, & eruditionis, & ſinceritatis laudibus cumulatiſſimi de ſolita generoſitate deturbatum locuples ipſe teſtis ſit in *Præfatione* ad *Epictetum* & *Simplicium*. In aliis adverſis fortiorem eſſe poſſe; in hoc tamen uno, ubi agitur, erga ſuos affectus, rem tenerrimam etiam ſapientiſſimis, ne fortiorem quidem ſe natum velle.

Ergo illud malum in cauſa fuit, cur in Galliam tum feſtinarit. Abrupto filo COMMENTARIORUM de PHILOSOPHIA STOICA nunquam detexendorum. Impetrata ergo ad certum ſpatium ab Ampliſſ. CURATORIBUS diſcedendi venia, auctoritate Præpotent. D. D. ORDINUM Hollandiæ & Weſt-Friſiæ, quo tutius, ſimul & magis honorificè eo duceretur, injunctum fuit τῷ θαλασσιάρχῃ, ut Heroëm noſtrum Diepam, vehendũ Bellica navi PRINCIPIS ELECTORIS, cum Claſſi ſua comitaretur, eoque reverteretur, quoties intelligeret in procinctu iterum eſſe ad reditum. Qui comitatus, quæ pompa licet eſſet omnino glorioſa & Regia, illud tamen incommodum & hæc miſeria in itinere illi obvenit, ut poſt varias tempeſtates, & ventorũ ac maris injurias perpeſſas, etiam filiam iſtic majorem natu amitteret, & poſt octavum diem ſupra decimum Diepam demum appelleret. Jacturam tamen illam & hanc calamitatem forti admodum & Chriſtiano animo toleravit. Senatorem ad tempus in Curia tunc Rothomagenſi agebat Ampl. SARRAVIUS: ergo illic dies aliquot moratus ægrè divelli ab eo potuit. Quod ipſe Vir Ampl. in Ep. ad Cl. Gronov. luculenter teſtatus eſt. *Tandem*, inquit, contigimus dextrã, qua nulla potentior armis Palladiis. *Solidos decem dies illum hic detinui: diluculo, mane meridie, veſpere, nocte intempeſta, ejus lateri indivulſus hæſi. Expectas jam ut librum ſcribam, non Epiſtolam: omnino opus eo eſſet ſi cuncta exequi eſſet animus.*

 Pa-

Pariſios verò ubi appulit, confluxere ad eum eruditi omnes, & Regni Proceres; hi ſalutare eum, amplecti, colere, ſuſpicere, atque admirari. Colloquia & multiplices ſermones, diſcertationes de quavis materia Theologicâ, Juridicâ, Philologica, de Rebus Eccleſiaſticis, cum Ampliſſimis & Clariſſimis Viris, Grotio, Heraldo, Milleterio, aliis, longum eſſet memorare, & legentur alias in ipſius Salmaſii Epiſtolis quas Pariſiis tunc ad Ampliſſimum Sarravium Rothomagum de omnibus ac ſingulis accuratiſſimè perſcriptas aſſervamus. Illud interea hic monebimus, planè incredibilem eſſe amorem & affectum, quo Illuſtriſſimus atque Eminentiſſimus RICHELIUS eum complexus eſt. Quibus vero conatibus, quo ſtudio, quantis viribus anniſus ſit eum in Gallia retinere, integræ Hiſtoriæ res foret, ſi perſequeremur: paucis hic abſolvero, ſi dixero nihil non intentatum reliquiſſe. At nullæ opes, nullæ Attalicæ conditiones, nulli vel ampliſſimi honores, nihil denique, quod allicere quemvis alium potuiſſet, generoſiſſimum Heroëm flectere unquam potuit. Nummos cum offerret, bis tanto obtulit, quàm in Belgio noſtro obtineret; de promta perſolutione ſi forte metueret, optionem illi dedit, velletne viginti millia Coronatorum Aureorum ſimul & ſemel, an annuos ſex mille, à tali amico quem ipſe eligeret, an verò fundum aliquem, qui ultra tria millia florenorum annuo reditu conferret, recipere. De libertate; ſummam illi fore, & quam vellet ſumeret. Onus aliud non imponere, niſi manſionem & ſedem in Gallia; eligeret eam ubi vellet. Tandem cum fruſtra omnia tentata eſſent, aliquot poſt Menſibus, à Deputato Regio iterũ ſollicitatur, & quidem vehementius. Colloquium ipſum ita refert Salmaſius: *Que le* ROY *&* SON EMINENCE *avoient abſolument reſolu de me retenir, & me retirer des Pays eſtranges, jugeants que c'eſtoit une honte & vn deshonneur pour la France, de m'y laiſſer retourner; comme j'allegay là deſſus que difficilement me pourrois-je deſgager, ayant de ſi grandes obligations à Meſſieurs les Eſtats pour l'honneur qu'ils m'avoient fait & pour les promeſſes que je leur avoy faites de ne les point quitter, il me repartit que j'eſtois bien*

plus

pluſ obligé au ROY *par ma naiſſance, & m'allegua qu'ils avoient tiré du fonds de l'Italie vn excellant peintre par cette meſme raiſon. Au reſte qu'on me lieroit icy par de ſi doux liens, que je n'aurois pas ſubject de regretter les Hollandois, que tout ce que je demanderois, on me l'accorderoit, & qu'on me bailloit la Charte blanche. Que je miſſe ſur vn billet ce que je deſirois pour pouvoir demeurer dans Paris, qu'il ſeroit mon Agent envers S. M. & S. E. & que rien ne me ſeroit refuſe.* Et plura id genus alia, quæ accuratiùs & prolixiùs in Epiſtolis, à nobis propediem alio volumine edendis, deducuntur.

Contra illa conſtantem & obſirmatum ſemper animum oppoſuit Heros noſter, libertati ſuæ metuens, ne qua in parte aliquando detrimentum caperet. Nam quæ meditabatur, ægrè in Gallia admiſſum iri, & multorum odia excitatura veriſſimè & prudentiſſimè judicabat: tum aliam, atque aliam inſequentibus temporibus, ut Regnorum etiam & dominantium ſua eſt varietas, faciem rebus poſſe induci: ea autem erat SALMASIUS indole, ut in cauſa Religionis & veritate aſſerenda, contra quoſcunque Adverſarios, vel Amicos etiam, antiquum ſemper & conſtantiſſimè obtineret, *non flecti.* Ut hac in parte cui Eruditorum comparari queat, hactenus non inveniam.

Interea verò maturare iter in Burgundiam inſtituit, quò ſic honeſto ſubterfugio Regis & Cardinalis tàm obnixis & tàm potentibus ſollicitationibus ſeſe ſubduceret; & Paternis quoque Rebus cum fratribus, qui jam convenerant, herciſcundis incumberet. Accidit interim, ut dum Divione verſatur, Anno CIↃ. IↃ. CXLII. d. IV. Decembr. fatis cederet RICHELIUS. Quem haud diu poſt ſecutus quoque eſt Rex ipſe LUDOVICUS XIII. Anno ſequenti, M. Majo. Hinc reſpirare iterum Salmaſius, & quaſi de recuperata jam planè ac plenè ſua ſibi libertate triumphos agere.

At ubi peractis negotiis Lutetiam rediit, ſub exitum Anni CIↃ. IↃ. CXLIII. ecce aliam de novo dividiam illi parit, qui RICHELII locum obtinebat ὁ μέγιστος MAZARINUS. Is novas machinas adhibere iterum, & quod ſopitum jam credebat

bat negotium SALMASIUS, ſuſcitare. Cujus rei ecce fidelem iterum & elegantiſſimum teſtem Cl. Sarravium, in Epiſtola à capite ad calcem tota laudibus CLAUDII noſtri differtâ, ad Al. Morum. *Dum hic moratur* (inquit, & de *Salmaſio* loquitur) *illum omnes Regni ordines, itá virtutes ejus merentur, ſollicitè & curioſè inviſunt. Vult* ὁ ἐξοχώτατος MAZARINUS ὁ παρ' ἡμῖν παντοδυνάμος, *volunt cæteri omnes eum Lutetiæ detinere Attalicis conditionibus, quas omnes aſpernatur ut Leydam denuo repetat, ibique poſſit ſuo arbitrio vivere & ſcribere.* Quod negotium ne latius tum ſerperet, confeſtim etiam ante hyemem ſtatuit transfretare & infelici admodum ac permoleſta navigatione reverſus eſt in Bataviam noſtram ipſo anno CIↃ. IↃ. CXLIII. Menſe Decembri, cum triennium præter propter in Gallia exegiſſet.

Conſules Leydenſes, quò illi affectum ſuum, & quanti eum æſtimarent, novo beneficio teſtarentur, Aulam Principis, quæ in hac civitate ampla eſt & auguſta, ſingulari liberalitate, quoad viveret, illi & familiæ ejus habitandam concedunt.

Pauci interea menſes abierant, cum de novo in Gallia de eo revocando cogitari cœptum eſt. De proſpero expugnatæ Gravelingæ ſucceſſu gratulatus τῷ ἐξοχωτάτῳ diſertiſſimus & ampliſſimus Talæus, rogavit eum ut tàm excellenti triumpho & tot auguſtis titulis ſuis etiam adjiceret SALMASIUM in Galliam reductum. Tum eminentiſſimus Cardinalis propenſum animum ſuum, & ultro dudum eò inclinantem voluntatem ſignificavit, quin & aliis negotium hoc jam injunxiſſe. Prodierat interea SALMASII Diſſertatio DE EPISCOPIS & PRESBYTERIS, qua omnem Romanæ Eccleſiæ Hierarchiam ab ipſis fundamentis ſubruerat; & D. Petavium virum inter ſuos principem, tàm doctè tàm ſolidè confutabat, ut deinceps nunquam niſi cavillationibus, & puerilibus ſophiſmatis ſe potuerit vindicare. Quibus Salmaſius ſolidiora omnia denuo repoſuit. Tum erant per id tempus quoque ſub prælo Exercitationes DE PRIMATU PAPAE. Quapropter

conatus

conatus eſt Pontificius Nuncius qui Pariſiis reſidebat, ſiſtere ejus vocationem: & contendere admodum neutiquam ferendum, peſtilentiſſimum hæreticum (ita enim appellabat) Romanæ Eccleſiæ Hoſtem infenſiſſimum, in Chriſtianiſſimum Regnum reduci & cum honore revocari, unde, ſi in eo eſſet, ejici potius & exterminari deberet. His inſuper habitis, CARDINALIS Regium Diploma de Vocatione confici curat, & cum Literis ad Præpotentes D D. ORDINES & SALMASIUM mittendum curat. Quàm lautas & quàm honorificas conditiones continuerit, patere nunc benevolo Lectori poterit ex ipſius contextu, quem ſub calcem Diſſertationis noſtræ fideliter exhibemus.

Verum & hac vice, ut aliàs, generoſè eas conditiones SALMASIUS recuſavit. Ergò poſt repulſam paſſam, ut tamen aliquod REGIS CHRISTIANISSIMI in SALMASIUM affectus extaret publicum & perpetuum teſtimonium, licet abſentem, EQVESTRI ORDINE donavit, & in SANCTIORIS CONSILII ſui Ordinem tranſmiſſo honorifico Diplomate adoptavit.

Fervebat jam ſub prælo opus DE PRIMATU, & ejus fama orbem Europæum pervaſerat, maximè verò Britanniam, cujus Eccleſiæ variis circà cauſam Epiſcoporum & Independentium diſſidiis tùm ſciendebantur. Et quemadmodum Diſſertatio de EPISCOPIS & PRESBYTERIS, multùm juverat optimè ſentientes, in abrogando jure Epiſcoporum (quod multi ex Proceribus & Viris Primariis ultro cum gratiarum actione teſtati ſunt); SCOTIÆ PROCERES, Literis à Cancellario conſignatis eum invitàrunt, ut contra *Indepentes* etiam aliquid in iſto opere tentaret, cum in eo jam eſſent, ut penitus condemnarent. Simul honorificas etiam illi conditiones obtulere. De *Independentibus* ergo & *Controverſiis Anglicanis* ex profeſſo ſcribere conſtituit, & hinc in inde quædam ejus generis in Scriptis deinceps editis inſperſit. Quaſi ab uno tùm Salmaſio, portentoſo & vaſtiſſimæ ſcientiæ inter mortales Oraculo, æqui & iniqui judicatio omnis pependiſſet, ad eum undique omnis ordinis & nationis Viri cum dubiis ac difficultatibus ſuis tanquàm ad

******** certum

certum præſidium convolarunt. Id pateſcet aliàs ex Epiſtolis quas dabimus; & jam ſciunt, qui memorias callent præteriti temporis.

Ferventibus ergo tantopere & gliſcentibus indies diſſidiis in Eccleſiis Anglicanis, conſilium Salmaſii ſæpius per Deputatos implorarunt Regni Proceres, quæ tum præſens præſentibus, tùm per Epiſtolas lubentiſſime iis ſuppeditavit. Erat autem in ea ſententia, poſtquàm comperiſſet Presbyterialem ſtatum citra Epiſcopalem in iis Eccleſiis cum pace conſiſtere non poſſe, prout nata iſtic ingenia viderat, aliquam moderationem adhibendam, & Epiſcopos quidem non omnino tollendos, ſed cum reſtrictione majoris, quam obtinebant, poteſtatis admittendos, ut Eccleſiæ eſſent moderatores unà cum Presbyteris. Quale regimen ad ſchiſmata & diſſidia evitanda olim quoque primis ſeculis in Eccleſia diu obtinuiſſe ſcimus, & ante Hieronymum: ut primatus aliquis Epiſcopi fuerit inter Presbyteros, ſed ordinis tantùm, nec abſolutæ Juriſdictionis. Licet ex eo primatu poſtea, malitia iſtorum temporum, omnis Hierarchia, quæ nunc inter Pontificios obtinet, profluxerit. Melius tamen illud regimen, & haud dubie cum ſumma utilitate proceſſurum in Anglicanis Eccleſiis exiſtimabat. Cum videret contra ſublatis Epiſcopis omne genus hæreſium & Schiſmatum pedetentim gliſcere, & repentinam illam mutationem, ac nimis violentam, nec inſtitutam eo ordine ut fas erat, aliquando cauſam fore miſerandæ per univerſam Britanniam calamitatis. Voluit ergo ut eſſent *Moderatores perpetui Presbyterorum collegii*; Et ſic diu ante ad ipſum PRINCIPEM ELECTOREM, per litteras ſententiam ſuper his difficultatibus ab eo rogatus perſcripſerat. Quin & non latenter eam ipſe deinceps Reſponſo ad SALMASII literas probari ſibi ſignificavit, & pluribus quoque Presbyterianorum non diſplicuiſſe. Juris tamen divini eſſe Epiſcopos quatenus à Presbyteris diſtinguuntur, nunquam dixit, nunquam ſcripſit Salmaſius: contrarium paſſim & ubivis in Li[illegible] de *Epiſcopis* & *Presbyteris*, De *Fænore*, de *Primatu Papæ* con-

pæ, contendit. Moderatiorem tamen aliquem Epiſcoporum primatum, præſertim ubi neceſſitas urget, ſtabiliri poſſe non adverſantibus S. Scripturis. Atque hæc quidem eò fuſius explananda nobis hic videbantur, quod à multis τῷ Θαυμασίῳ injuriâ culpari hac in parte ſciremus; quaſi ſibi & SS. Scripturis contradixiſſet in noviſſimo ſcripto ſuo. Multa ſane hujusmodi perperàm à V. V. CLL. tum in illo tùm in aliis Scriptis ejus notantur, quæ aut non benè intellecta ab iis ſunt, aut maligne detorta; & ſpecimina hic aliquot adtexere poſſemus, niſi temporis anguſtia, & Typographorum feſtinatio etiam properare nos juberent ad aliud argumentum.

Ergo hoc unum adhuc deerat ante obitum SALMASII honoribus, ut Potentiſſimam quoque & Eruditionis omnis ſtudioſiſſimam Principem CHRISTINAM, Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Reginam, impenſius faventem ſibi experiretur. Non poterant ejus animum Doctrinæ avidum ſatiare tot undique accerſiti V. V. CLL. & doctiſſimi, niſi iis Salmaſius accederet. Eum ergo amiciſſimis Literis invitat ut ad ſe veniat quàm primum, flagrare enim vehementer deſiderio videndi ejus & audiendi. Interim dum Is ſe itineri accingeret, ne quod ſibi tempus, ne qua occaſio in poſterum elaberetur, qua aliquid ab eo diſcere poſſet, rogat (hæc enim erant ipſiſſima verba) *ut poſſet cum eo litteras commutare, & de ſtudiis ſuis eum conſulere.* Litteras ergo dein crebras inter ſe & perfamiliares mutuitarunt; & ſcribebat illa fere Latinas, omnes bene longas, ſæpe plurium, aliquando & ſex ſeptemve paginarum. At cum aliquandiu tardaret ab itinere ſuſcipiendo Heros noſter, præſertim quod frigidiſſimi iſtic aëris & ſæviſſimæ hyemis, quæ illic omninò eſſet tranſigenda, injurias extimeſceret; tandem illa ſignificavit, aut magis illi fore feſtinandum, aut ſibi ad eum eſſe proficiſcendum; jamque hoc fracturam fuiſſe, ſi conditionis ſuæ ratio aut Regni commoda tuliſſent. Omnino enim ardere cupiditate penitius Eum cognoſcendi.

Ergo ad iter Salmaſius ſe accingit Anno CIↃ IↃ CL. Menſe

Julio : manſitque in Suecia uſque in æſtatem anni ſequentis. Quibus illic officiis, qua humanitate, quo honore exceptus ſit a REGINA, longum hic nimis eſſet recenſere. Ut verborum compendium faciam, omnia illi præſtitit, quæ vel ab æquali poterant expectari. In Aula ſua deligere eum ſedem voluit, ut ſemper cum vellet, lateri adhæreret. Verùm quia impar fuit aëri ferendo Heros noſter, fere ſemper decubuit. Illa tamen ad lectulum ejus accedere, varios & prolixos ſermones cum eo de graviſſimis rebus conſerere, idque ſine arbitris, adeo ut foribus omnibus occluſis, ipſa etiam focum ſtrueret, & quæ alia decumbenti officia eſſent neceſſaria, præſtaret.

Hæc inter, licet varias undique ab amicis literas reciperet, vacare tamen reſponſionibus ad ipſas non potuit. Ut ſine cauſa inde ſequius aliquid de conſtantia amoris ejus Viri Clariſſimi, quibuſcum frequenter per literas fabulari conſuêrat, opinati ſint.

Meliori tandem valetudini redditus, cogitare cœpit de reditu; Regina contrà obſtare, & offerre ei lautiſſimas & ampliſſimas conditiones, quo ſuam illi operam perpetuo addiceret. Verùm obſtrictus hujus Academiæ Curatoribus, quibus & fidem dederat ſe reverſurum, manere ultra non potuit. Diſcedentem verò quanta liberalitate, quot officiis cumularit, quam ægre a ſe dimiſerit, paucis abſolvere non poſſemus; affectum ſane quàm luculentiſſime teſtata eſt in iis Litteris, quas poſt exceſſum Ejus, ad nobilem & generoſam matronam, Viduam ipſius ſcriptas infra exhibemus. Illud quoque hic addemus, duos è filiis ejus CLAUDIUM de SALMASIA, *Dominum de Murſaut* &c. & JOSIAM, *Dominum de Pleſſiaco*, luculentis illic honoribus & lautiſſimis muniis condecoraſſe. Quorum ille Parentis veſtigiis nunc inſiſtens, turbatis in Suecia rebus, quietiorem in Gallia locum delegit, ubi Muſis vacat & ſibi; & Græcis Latiniſque literis ſub Parentis ductu probè excultus, ad graviores porro Diſciplinas, mira ingenii perſpicacia, & Regia via graſſatur. Hic verò nuper, ut accepi, fortiter admodum & perquàm glorioſè in armis, quæ contrà Polonos geſſerat pro Suedis, occubuit.

Et

Et jam tempus quoque videtur, ut ad exceſſum maximi virorum ſermonem flectamus. Luctuoſum ſane argumentum, & quo maluiſſem ætatem abſtinere, quia ſine ſumma animi ægritudine non poſſum ejus reminiſci. Sed quo nos filum orationis jam deduxit, age celeriter pertexamus, & fugiente ac feſtinante calamo extremum Vitæ maximi Herois Actum tranſeamus, ne diu nos rei omnium luctuoſiſſimæ cogitationibus diſcruciemus. Spadam ergo cogitans ejus Uxor malè habens, Anno CIↃ IↃ CLII, ſub finem Julij, haud gravatè ab eo impetravit ut ſe comitem itineris præberet, præſertim pelliciente jucundiſſima & ſuaviſſima anni tempeſtate. Moſæ Trajecti per diem unum aut alterum moratus Salmaſius, Sereniſſimum COMITEM AD RHENUM ſalutavit, ab eoque amiciſſimè exceptus, commutatis ultro citroque aliquot, de Politicis præſertim rebus, ſermonibus; mox, quia Uxor, morbi cauſſa, feſtinabat, quod reliquum erat itineris abſolvit. Spadæ cum eſſet, fallendi temporis cauſſa, protinus ſe accinxit confutando *Miltonio*, idque ſine Libris, & ſola adjutrice memoria; cum eſſet ipſe ſibi βιβλιοθήκη ἔμψυχος, & Muſéum ſuum ſecum ferret. Jamque aliquot capita abſolverat, cum commentationis filum abrumpere coëgit, ſolenne illi malum, Arthritis, quam & febricula comitabatur. Subinde tamen melius habens, biduo aut triduo ad relictum penſum per intervalla reverſus eſt. Aggraveſcente jam morbo, Medicum Spadanum arceſſit, & venam ſibi ſecari voluit. Contra ille obſtare, & de aliis Medicamentis contendere, urgere. Iuvaleſcente morbo, alium quoque Medicum Moſa-Trajecto arceſſendum curat. Hi purgationem alvi præſcribunt; quamvis ille perpetuo contenderet venæ ſectionem ſibi in iſtoc familiari morbo uſitatam plerumque bene ceſſiſſe. Sumto medicamento, pulviſculus erat, pejus habere cœpit Salmaſius, dein potio propinatur, poſt eam magis magiſque in deterius vergere Heros noſter. Abitum poſtridie molitus Trajectenſis, neceſſaria & prægnantia neſcio quæ negotia memoravit. SALMASIUS interea mortem meditari; atque omnes eo cogitationes dirigere. Et cum opor-

tunè tunc Doctiſſimi Viri D. Stuarti, S. Th. D. & V. D. Paſtoris, conſortio frueretur, crebros cœpit cum eo de Rebus Theologicis & Salutaribus ſermones ſerere, quibus piam animam in mediis doloribus ſolaretur & paſceret. Aderat illi quoque aliquoties Vir ampliſſimus D. *A Caſtro*, Senator Sylvæ-Ducenſis; qui eò etiam valetudinis curandæ cauſa ſe contulerat. Rogatus à D. Stuarto an non in omnibus aſſentiretur Fidei Reformatæ Eccleſiæ, prorſus aſſenſit; & paratum ſe manu ſua ſubſignandis ejus Articulis oſtendit: Nullam aliam illi unquam prætuliſſe, quam ab ipſa infantia amplexus, Dei beneficio ad id tempus conſtanter ſervaſſet, & certiſſimis atque invictiſſimis argumentis veram eſſe comperiſſet, Scriptiſque editis aſſeruiſſet. Calumnias eſſe quicquid de Socinianiſmo, quaſi ei aliqua in parte faviſſet, aut de alia quacunque heterodoxia malevolentes homines commenti eſſent: ipſis verò hoc ex animo condonare: & Deum ſibi teſtem eſſe ſinceræ mentis. Tùm ut officium veri Chriſtiani quantum in ſe eſſet omni ex parte impleret, injunxit Uxori ut quæ habebat domi Scripta jam confecta, & ſepoſita in quadam arca, adverſus Maximos viros dudum prælo parata, omnia ac ſingula flammis traderet: ne, ſi forte in aliorum manus devenirent, in publicum erumperent, & magnorum Virorum Famam perderent: cum iis graviſſimos eorum errores confutaſſet. His peractis unum Deum, & cœlum cogitavit, fortiſſimus Chriſti miles, & qui de Hoſtibus veritatis toties Dei auxilio triumphaſſet, nunc omnes cogitationes ei curæ impendere, quomodo ultimum hoſtem, mortem inquam, debellaret. Advocato ergò ſæpius Dei auxilio, & iteratis ad Servatorem ſuſpiriis ac precibus, tandem d. III. Septemb. inter circumſiſtentium lacrymas & ſingultus circa horam nonam, piiſſimam animam Deo reddidit. Præſentibus multis Pontificiis, qui cupiditate videndi ejus accurrerant; Deo ſic volente, ut quos tota vita hoſtes infeſtiſſimos expertus eſſet, nunc in glorioſo hoc actu conſtantiæ ſuæ in vera Religione teſtes haberet. Ita vixit, ita mortuus eſt Maximus Virorum, & verè ERVDITORVM PRINCEPS. Cadaver poſtridie Trajectum delatum ac ſepultum ibidem eſt in majori templo.

Cau-

Cauſam morbi qui indagarunt, arbitrati ſunt hanc potiſſimum extitiſſe, quod Spadanas Aquas ſumſiſſet fere inter edendum, contrà vulgarem conſuetudinem. Inde cibum minus coctum, & nimis crudum tranſiiſſe ſtatim ad Chylum, hinc alia atque alia mala, tandem mortem ingruiſſe. Accedit & illud; Aquas ea tempeſtate valde inſalubres extitiſſe, ut ſolent pro temporis varietate, & arcanis quibusdam Naturæ Legibus, aliam atq; aliam faciem induere. Adeo ut illo anno pleriq; decubuerint, qui eas bibiſſent, ſed & magna pars mortalitatem expleverit. Erat & Veneni ſuſpicio. Quidquid ſit, Καὶ Πάτροκλος. Deſeruit nos Magnus SALMASIUS, Unum ac certiſſimum Præſidium Rei litterariæ, omnis Antiquitatis conſultus, atq; inexhauſtus omnigenæ eruditionis Promus condus.

Quam liberet jam paulò fuſius exſpatiari in laudes maximi Virorum! quam ampla eſſet materies! Sed Limites Præfationis jam exceſſi. Nunc demum video fruſtra me fuiſſe, cum tam arctis ſpatiis includere tam portentoſi tam vaſti ingenii laudes tentavi. Aliquot folia jam inſumta ſunt, & nihil aut parum dixi. Nugæ ſunt hactenus, præ iis quæ dicenda mihi reſtare nunc demum animadverto. De Indole ejus, de ſtudiis, & eorum ratione, de ingenii dotibus, deque Eruditionis ejus partibus, quàm multa poſſem, & quàm eximia narrare, quæ comperta habeo: & tamen necdum præcipua, nedum omnia, aſſequerer. Accidit mihi in hoc narrationis filo, quod iis qui in immenſo Pelago verſantur, quò diutius navigant, eo longius à littoribus abeſſe ſe deprehendunt.

Ne tamen nihil dicamus, breviter, & prout ſe in memoriam dabunt, inconcinno & minus exacto ordine, nonnulla in ſequentes paginas conjiciemus, quæ reſtare nunc videbantur neutiquam prætermittenda: & ſolum digitum intendemus; alias verò latius, ſi Deus velit, perſequemur.

In Laboribus ergo fuit indefeſſus: ſtudio & ardore in perveſtigandis Scientiis, Diſciplinis omnibus excutiendis pertinaciſſimo. Memoria vero prorſus ſtupenda. Adeo ut pares illi hac in parte vel univerſo orbe pauciſſimi, ſuperiores nulli.

Nulla

Digitized by Google

Nulla penè Nomina erant Propria, Virorum, Regionum, Urbium, Montium, &c. quæ, ſi ſemel legiſſet, non poſſet continuo revocare in mentem. Narravit mihi V. CL. & eximium Academiæ noſtræ lumen ac columen, J. Golius qui utebatur eo perfamiliariter, incidente occaſione aliquot ſibi recitaſſe memoriter periodos ex Pentateucho Perſico, quem decennio ante nec niſi ſemel legiſſet. Adverſaria, aut diſpoſitos L. C. ordines, quod fidem fortaſſe non inveniet, nullos habuit. Solis enim excerptis, quæ in Bibliothecis olim puer collegerat, utebatur; & iis quidem valde inordinatis, ſed quæ memoria, cum occaſio ferret, facilè ſuggereret. Sæpè in Scriptis ſuis hujus felicitatis argumenta & ſigna exhibuit expreſſiſſima. cum Authorum locos fere citaret memoriter. Teſtis quoque eorum quæ dico, Epiſtola ad Puteanum, hujus volum. VIII. *Omnia eum in numerato habuiſſe*, *quæ unquam legiſſet*, & *expedita polluiſſe facundia*, *qua eloqueretur*, teſtis in quadam Epiſtola ad Iſ. Voſſium Illuſtris Sarravius. Librum *de Mutuo* adverſus Cyprianum ſcripſit planè ſine Libris, cum padagra impediretur in Muſéum aſcendere. Tota etiam Diſſertatio de Epiſcopis & Presbyteris, extemporanea eſt. Et nuſquam fortiùs diſputat. Judicio verò fuit accerrimo, & illo opus fuit, in rite diſponendis ordinandiſque quæ memoria depromeret; argumentis commodè inveniendis, ſolidè firmandis, diducendis, quibus Adverſarios aggrederetur, & profligaret. Ad hæc promtitudo incredibilis, hinc quindecim diebus librum integrum ſcribere, & illud ſola potuit memoria adjutrice. Epiſtolis omnibus (& eæ erant propemodum infinitæ) quibus de Rebus quibusvis difficillimis rogabatur, reſpondere ex tempore, intra horam aliquot folia implere, ut fundere eas potius quàm ſcribere crederetur.

Ad iſta Eruditionis adjumenta, naturæ hujuſdem beneficio quoque aditum paraverat ſibi & penitiſſimum quidem, ad Exoticas linguas quoque, Occidentales & Orientales penè omnes, idque ſine Magiſtris. Præter Europæas pleraſque, & Septentrionales, Latinam & Græcas omnes, Hebræam, Chaldæam,

Aſſy-

Digitized by Google

Aſſyriam, Arabicam, & Perſicam, Ægyptiacam, exactè calluit: maximè verò Arabicam & Perſicam; ut etiam hac in parte Doctiſſimos viros, qui, integram ætatem in iis contrivifſent, plurima doceret. Quid quod & Sinenſem, & Indicam magna ex parte jam noſſet. His ſubſidiis inſtructus, omnes omnium ætatum, & gentium Scripta evolvere, ſcrutari, Arcana rimari, Eruditionem & Sapientiæ omne genus Placita aſſequi potuit, ubi uſus ferret. Et iſta quoque memoria retinere, judicio diſponere, promtitudine efferre, deducere, explicare. Hinc verſatiſſimus in omni ſcibili: & pervagatus omnes ſeculorum memorias, de quacunque re diſſerere uſque ab origine & ab imis fundamentis poterat. Veteres ac novos erroris arguere; errorum cauſas, & origines indicare. Et veriſſimè olim Vir illuſtris ad eum; *Clypeus tuus ſeptemplex, millenis jaculis ſuſtinendis & retundendis ſufficit: ſolus contra omnes.* Inde & multorum invidiam incurrere, aliorum odia, plurimorum æmulationem. Et cum ſæpè in Theologia, Juriſprudentia, Medicina, Philoſophia, nova multa, & meliora quàm quæ vulgo docerentur, erueret; factum ut in ſe ſæpe concitarit harum Scientiarum Profeſſores, qui non patiebantur ab illo ſe doceri, quæ ignorarent; cum gradum nullum in Scientiis haberet. Liroe! Liroe! & his ipſis abunde reſpondit in ſpecimine Confut. Herald. Cap. I. Pleroſque tamen, & probos, habuit ſibi faventes; & magis ac magis eo nomine addictos.

De FOENORE TRAPEZITICO, ut multos ſibi habuit adverſos, ita alios & plures planè aſſentientes. *Marezium* publicè, Libro contra Boxhornium. *A. Colvium* in quadam Epiſt. ad Ipſum; cujus verba hic bona fide exhibemus. *Quod ad ipſum opus attinet*, (Liber eſt *de Fœn.*) *in eo multa præclara invenio, & lubens fateor me non videre quod reſponderi poſſit tuis argumentis è Scriptura Patribus, Conciliis, Jure Civili, & rectis rationibus petitis: per quæ omnia luculenter oſtendis, quod Trapezitæ, modò intra cancellos à Magiſtratibus poſitos maneant, ad Sacram Synaxin admitti debeant.* Quid quod ipſa Synodus Hollandica, Anno cIↄ Iↄ cxl. lectis & expenſis SALMASII

argumentis, haud latenter aſſenſum ei præbuerit; condito Canone, quo videri ſibi jus ac fas ſignificarunt, ut ϖριοβουλίεια in poſterum de ſummo illo jure, quod contra Trapezitas hactenus exercuerant, aliquid pro varia rerum & Perſonarum circumſtantia remitterent.

Opus DE USURIS eximiè laudant Viri maximi; *Seldenus*, *Libro* VI. *de Iure Nat. & Gent.* c. X. *Freinshemius*, Qu. CXXXVII. *ad Lib. Taciti de moribus Germanorum*. Pro Sententia verò Ejus de *Mutui Alienatione*, quam contrà omnes Juriſconſultos auſus fuit aſſerere, conſtanter quoque ſemper pugnavit in ipſius gratiam Magnus J. C. & ingens, dum viveret, Academiæ noſtræ ornamentum *B. Schotanus*: quin & peculiari Libro ſtabilivit, qui hactenus apud hæredes latet. In Gallia verò, magnus & Juris omnis peritiſſimus *Talæus*, Regius in ſuprema Curia Pariſienſi Advocatus, cum primo aſpectu ut novam, & ϖαραδοξοτάτην cum aliis contemſiſſet, quam primùm perlegiſſet, & argumentorum pondera conſideraſſet, haud cunctanter eam quoque amplexus eſt, & alii multi poſt ipſum Viri honorati & illuſtres.

Sententia de COMA, licet moderatiſſima, & ſolidiſſimis argumentis ſuffulta, (quippe qua cum calamiſtris, exotici pulveris inſperſionem, affectatam omnem colendi comendique curam & artem apertè damnarat, ſolam decoram & modeſtam cæſariem defenderat) etiam ſuos repperit adverſarios; plures tamen, & eos doctiſſimos ac publicos, fautores, Theologos, Senatores, alioſque viros celeberrimos, & ampliſſimos. Deinde eandem plerique etiam qui oppugnarant amplexi.

In Explicatione Aphoriſmi Hippocratis de CALCULO, cum à CL. Beverovicio & aliis, ſed cum ratione, diſſenſiſſet; Alios tamen, & peritiſſimos ac doctiſſimos Medicos in partes ſuas pertraxit: quin & probat ſententiam ejus, & Hippocratem paſſim in Scriptis melius quam vulgò ab aliis fieri aſſolet, interpretatum, nuper mihi cum honorifica ejus mentione, teſtatus eſt, qui, ſi quis alius, teſtari hic poteſt, CL. *Lindanus*, M. D. & Profeſſor in hac Academia doctiſſimus, & celeberrimus.

Fuit

Fuit ergo quod in Theologia Theologos, in Medicina Medicos, in Juriſprudentia Juriſconſultos, in Philoſophia ipſos Philoſophos doceret. Hinc ab omnibus rogatus, de quibusvis arcanis & adytis in quavis Scientia. Quæ plerumque etiam feliciſſimè reſeravit. Hinc aſſurrexit ei quicquid toto Orbè fuit eruditorum.

Quam faventes ſibi habuerit, etiam in Theologicis, univerſos per totam Galliam Paſtores, teſtis locuples in Epiſtolis Sarravius, præſertim eâ quæ Lut. data eſt, XLVIII. Jul. CIϽ IϽ C XLV. Et illud ipſum Viri ſummi, Dallæus, Langlæus, Bochardus, Amyraldus, Cappellus, creberrimis ad eum Litteris, comprobarunt.

In JURISPRUDENTIA, cum eam tantùm ὡς ἐν παρόδῳ tractaverit, quos tamen progreſſus feciſſet, & quanto intervallo alios qui ex profeſſo eam tractant, poſt ſe relinqueret, quanta in Legum explicatione Arcana invenerit, quàm intricata & deplorata explicarit, patet ex iis quæ de *Mutuo*, de *Uſuris* & *modo Uſurarum*, de *Teſtamentis*, tum de aliis obviis & interim occurrentibus materiis uberrimè diſceptavit.

In MEDICINA, Theoretica, Practica, Botanica, quàm intimè eſſet verſatus, quàm profundè doctus, Teſtes Diſſertationes *de Calculo*, teſtes Medici celeberrimi, coram quibus de morbis ſuis & eorum natura ſumma cum ratione diſſeruit. Teſtes denique ampliſſimi, & locupletiſſimi Commentarii quos de *Herbis*, & *Plantis*, earumque Viribus & differentiis, tum ſigillatim De *Saccharo*, & *Manna*, adornaverat, fortean in lucem aliquando protrahendos.

In PHILOSOPHIA quantum poſſet, luculenter probatum dedit; quando *De anima* ejuſque *facultatibus* ad *Epictetum* & *Simplicium*, tàm diffuſe, & tàm ſolidè diſputavit; & ſatis manifeſtò ex penitiſſimis Peripateticæ & Antiquæ Philoſophiæ theſauris illic demonſtravit, nullos minus eſſe Peripateticos, aut Ariſtotelicos, quàm qui hodie eis titulis ſuperbiunt.

Ergo hinc credo jam apparet quibus cauſis compulſus fuerit CL. Vorſtius, quibus item cæteri, quos ſub initium hujus Præ-

 fationis

fationis adduximus, ut tam illuſtria elogia de eo exhiberent. Sed & idem judicium fuit Ampliſſimorum & Conſultiſſimorum Virorum, qui Academiarum in hoc Belgio noſtro, ut de aliis nunc non dicam, curam gerunt, cum de eligendis Profeſſoribus, etiam in Facultate Theologica, conſulendum eum exiſtimarunt. Quin ab ipſis quoque Pontificiis, Cardinalibus, Abbatibus, Epiſcopis, per Epiſtolas frequentiſſimè de graviſſimis Quæſtionibus (adjunctis etiam perhonorificis elogiis) ſententiam rogatus eſt.

Nunc mores ſi memorare aggrediar, Zelum & Pietatem, modeſtiam, ingenuitatem, liberalitatem, comitatem, fidem candorem, ſinceritatem, verba me citius multo quàm materia deficeret: & quem non iſta laſſare valeant, etiam diſertiſſimum, & Orationis copia inſtructiſſimum. Quantus & quàm incorruptus veritatis aſſertor, quàm generoſus in ea contra omnem omnium impetum propugnanda, extiterit, ſi quis dignè enarrare inſtituat, operam perdiderit: Adeundus ipſe SALMASIUS in divinis operibus eſt, ut inde qualis fuerit ediſcatur. Interea cum doctiſſimo & CL. Sarravio (in Ep. p. 116.) Venuſinum illud perpetuo accinere illi poſſumus; NEMO GENEROSIOR ILLO.

Illud verò quod in Litteris ad CL. Crucium. Ep. XXXV. æternitati conſecratum voluit, quod & quantum eſt magnarum virtutum ejus, quas cum immenſa eruditione copulaverat, argumentum. *Nihil moror libros, & combuſtos omnes velim, ſi doctiores tantùm, non etiam meliores, qui dant illis operam, reddere idonei ſunt.*

Quàm affabilem quam comem, quàm liberalem ſemper ſe & erga obvios quoslibet præbuerit, nemo fere eſt qui ignoret. Quæcunque ex Vett. MSS. Excerpta habuit, quas Obſervationes in Authores, Libros ipſos MSS. Ipſos denique ſuos Commentarios, ſi poſceretur, lubentiſſime & liberaliſſimè conceſſit. Quin & humanitatem ejus hac in parte & liberalitatem ipſe Scaliger in Epiſtolis ſuis jam olim meritiſſimis laudibus prædicavit.

Quàm

Quàm modeſte verò de ſe ſentiret, quàm ſe infra alios deprimeret, alios ſupra ſe extolleret, licet ipſe omnibus jure ſuperior eſſet cenſendus, quantopere Scaligerum æſtimarit, Caſaubonum prædicarit, alios Viros Eruditos extulerit, tum in his Epiſtolis quas damus, tùm in Præfatione *Not. ad Hiſt. Aug. Scriptores*, tum alibi locis quàm plurimis abundè teſtatum reddidit.

Denique, ut finem faciamus, quid amplius ad humanæ ſortis perfectionem, quanta in hoc ſeculo datur, requiri poſſit, quod non in Salmaſio, exundaverit? Verùm enimverò beatũ ab omni parte fuiſſe, quis verò eſt qui contendat? Dei hoc eſt, non hominis. At ſupra homines tamen quadam ſingulari & inuſitata felicitate eminuiſſe, illud eſt quod nos aſſerimus; & probaſſe hactenus putamus. Nævos ſuos habuit, & Sol, ſplendidiſſimum Sidus, etiam ſuos habet.

Corpus ſanè tenellum, imbecillum, variis morbis ac languoribus obnoxium nactus erat. Adeo quidem ut ab ipſa uſque infantia continuo cum doloribus & invaletudine luctatus ſit: ut ſæpè dicere ſolitus fuerit, non ſe credere alium hominem pluribus corporis malis fuiſſe vexatum. Cephalgiæ, Gravedines, dentium horribiles cruciatus, ſanguinis efferveſcentis incommoda, febrium omnes omnino ſpecies & claſſes, dolores Colici, tum & Arthritici, perpetui atque conjunctiſſimi per omnem vitam, ſed duri, comites extitere. Unde cœleſtis animus vacare conſiliis & cogitationibus ſæpenumero prohibebatur, cum tàm incommode habitaret, & vicem ejus hac in parte ſępè iu Epiſtolis ſuis Caſaubonus doluit. Quid hic tamen culpari jure poſſit, non video; quin potius laudanda hic venit incredibilis ejus in ferendis hiſce doloribus conſtantia, quam ſæpè amici, qui inviſebant, mirabantur.

Sed enim ad iram quoque paulo fuiſſe procliviorem, præſertim ſub vitæ exitum, non eſt cur diffiteamur. Ut erat generoſæ indolis, nihil frigidè nihil languide agebat. Præſertim ubi veritas eſſet aſſerenda. Probare tamen ſemper nimium ejus impetum non poſſumus, neque volumus. At excuſandum eſſe, &

optima ratione, contendimus. Habent hoc ferè magnæ & Heroicæ mentes, ut laceſſitæ modum tenere nequeant, & gravius ſæpe aliquid dicant, quàm vel ipſi deinceps probent. Tum facit huc quoque multum vix ferenda hominum maleferiatorum malitia, & proritat ſæpe nobiles animos ad juſtam indignationem; quod & Scaligeris, Patri & Filio (at quantis Viris!) accidiſſe legimus, & in ſcriptis hodie animadvertimus. Si tamen & erga amicos quandoque vehementior fuit, illud viciſſim meminerimus oportet, facilè etiam placabilem fuiſſe, & nimio calori frigidam deinde ſuffudiſſe. Quid facias, ubi ſic fert naturæ ratio, & ipſe inſitus corporum habitus? Dum juvenis fuit, & nativi humoris plus habuit, etiam tardior ad iras viſus eſt: poſtquam lapſu ætatis humorem calor abſumſit, etiam affectuum ratio immutata. Iniquum ergo videtur, ut ei imputemus, quod neceſſaria Naturæ lege & corporis morbo accidiſſe videri debet. Ægrotat aliquis, febri, tabe afficitur, an illi imputabis quod ſuum officium non facit? an febrienti vitio vortes ſi paulò difficilior & ſolito moroſior videatur. Certe, ſi æquus es, id morbo potius adſcribes. Idem eſt de affectibus, qui pro ratione corporum, eorumque mutatione, variare aſſolent. Adde, quod hoc ipſum moleſtum ſibi accidere ſæpè ingenuè amicis privatim & coràm confeſſus ſit ipſe CLAUDIUS noſter, & publicè etiam in Præfatione ad *Epictetum* & *Simplicium*. Tum re quoque atque opere idem teſtatus eſt, cum paulò ante obitum ſollicitè admodum Uxori injungeret, ut quæcunque adverſus V V. CLL. & amicos acerbius conſcripſerat, quamvis tuendæ veritatis cauſa, omnia ac ſingula, ſeorſim in quadam arca ſepoſita, flammis mandaret.

At voluit Deus O. M. hoc tum corporis tum animi incommodo admonere eum ſuæ conditionis, ne forte nimia mentis præcellentia, ut homines ad arrogantiam & ambitionem proclives ſunt, hominem ſe eſſe oblivíſceretur; Nam qui ingenii dotibus omnes homines facilè anteiret, corporis tamen incommodis, quam plurimis conceſſit. B. Paulum (2. Cor. XII. 7.) vehementi malo vexatum olim legimus, ne ſe nimium efferret

ferret τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, excellentiâ revelationum. Ità prudentiſſimus Deus ſapientiſſimè conſulit bono & utilitatibus ſuorum.

Cætera quæ objectare illi ſolent, aut calumniæ meræ ſunt, & otioſorum hominum commenta, aut admodum frivola, neque rationis quicquam habentia, & omnino ridicula.

Criticum ajunt fuiſſe, quaſi hoc immane peccatum foret, Criticum eſſe. An, quæſo, illi qui hoc Ei criminis (ſi Dis placet) objectant, ſciunt quid ſit Criticus? arbitror eos ignorare, & omnino ignorant. Diſcant ergo, ſi placet, ab ipſo Salmaſio, in *Dedic. Hiſt. Aug. Script.* & videbunt quo ſenſu Criticus dici poſſit, imò & dici velit Salmaſius noſter; tum quid interſit inter ſuas de Criticorum officio, opiniones: & rem ipſam. Sin alium malint, magiſtrum illis Voſſium do, *Libr.* I. *de Arte Gramm.* c. VI. Huic alterum adjungunt, quod *Grammaticus*, fuerit: & certè hoc Scaligero, hoc Caſaubono etiam vitio ab illis datum. At idem Grammaticus, qui Literatus. Ergò literas quoque omnes & univerſam πολυμαθείαν damnent, conculcent, exterminent. Verùm hos item remittimus nunc ad *Specimen Confut. Heraldi.* c. I. Et cæteros hujuſmodi furfuris accuſatores ad Judicia Regum, Principum, & maximorum virorum, quæ ſupra paſſim enarravimus, nunc ablegamus, & bonam mentem illis optamus. Jam ut convitia, dicteria, obtrectationes, calumnias, tales ac tantas, quibus nullo ſuo merito ſæpiſſime impetitus fuit Heros noſter, prætervehar, ſolum hoc Plautinum illis regero:

Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe duco;
Verum ſi dignis, benedictum eſt, meo quidem animo.

Dum iſta ſcribo, ſignificat mihi Maximus καὶ πολυμαθέστατος SCRIVERIUS, ſparſos antehac de ſe rumores fuiſſe, quaſi SALMASIO minus faverit, aut malè illi voluerit; eos verò eſſe quàm falſiſsimos. Se enim maxima omnia ſemper ei detuliſse, amicitiam & familiaritatem ante multos annos bonis avibus inchoatam, conſtanter & continuo uſque ad obitum ejus conſervaſse. Et quemadmodùm perpetuo ſolitus fuit, etiamnunc Divinum

illud

illud & cæleſte ingenium, ſuſpicere, & venerari. Quod hic publicè à me teſtatum voluit.

Vellem hic ſi poſſem, prolixius aliquid de inſtituto hoc noſtro adtexere, verùm omnino nunc prohibeor. Illud interea profiteri hic neceſſe habeo, me multimodis obſtrictum eſſe Viris Clariſs. atque eruditiſſimis *J. Dallæo*, *Lud. Cappello*, *Jac. Golio*, *Conſtant. Hugenio*, *Joh. Fred. Gronovio*, *Iſ. Voſſio*, *Iſ. Sarravio*, aliis, qui haſce Literas & infinitas alias vel ipſi ſuppeditarunt, vel ab amicis mihi impetrarunt. Quorum exemplum ut ſequantur quoque ampliſſimi & doctiſsimi Viri, penes quos aliæ hujuſmodi Literæ aſſervantur, publicè hic rogatos oratoſque volui; tum etiam ut hanc qualemcunque operam a nobis præſtitam, æqui bonique conſulant, & ſtudia noſtra favore ſuo proſequantur. Propediem (ſi Deus volet) Libros ſecundum & tertium quos habeo jam paratos, ſimul cum altera parte hujus Voluminis, ad annum uſque: cIↄ Iↄ CXL. pro ducta, Typographis exhibebo. Dabam raptiſſimè Lugd. Bat. VIII. Id Aug. CIↄ Iↄ CLVI.

Sequitur

CATALOGUS LIBRORUM,

à CL. SALMASIO,

Dum viveret, editorum.

NIlus & Barlaamus de Primatu Papæ. *Heidelb.* cIↄ Iↄ C VIII. & *Lugd. Bat.* cIↄ Iↄ CXLV.

Florus *cum* Commentariis. *Heidelb. ex Bibliop. Commel.* cIↄ Iↄ CIX. Idem *ex iterata edit. cum* plenioribus Animadverſionibus. *Lugd. Bat. apud Adrianum Wijngaerden.* cIↄ Iↄ CXLVIII. & cIↄ Iↄ CLV. *Apud Elzev.*

Expli-

Explicatio Duarum Inſcriptionum, Herodis Attici &c. *Item* Notæ ad Doſiadæ Rhodii ovum, Alas, Securim. Theocriti Fiſtulam. *Lut. Pariſ. Apud Hier. Drovart.* cIↄ Iↄ CXIX.

Epiſtola de Regionibus & Eccleſiis Suburbicariis. *Pariſ.* cIↄ. DC XIX.

Notæ in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. *Ibid.* cIↄ Iↄ CXX.

Euchariſticon Jac. Sirmondo. Pro adventoria, De Regionibus & Eccleſiis Suburbicariis. *Ibid.* cIↄ Iↄ CXXI.

Notæ *in* Tertullianum de Pallio. *Ibid.* cIↄ Iↄ CXXII. *& Lugd. Bat. apud Joh. Maire.* cIↄ Iↄ CLVI.

Exercitationes Plinianæ in Solinum. *Pariſ. apud H. Drovart.* cIↄ Iↄ CXXIX.

Lucius Ampelius. *Lugd. Bat. apud Elzev.* cIↄ Iↄ CXXXVIII. & rurſus cIↄ Iↄ CLV.

De Uſuris. *Ibid.* cIↄ Iↄ CXXXVIII.

Notæ in Pervigilium Veneris &c. *Lugd. Bat. apud Fr. Hegerum & Hackium.*

De Modo Uſurarum. *Lugdun. Batav. apud Elzev.* cIↄ Iↄ C XXXIX.

De Fœnore Trapezitico, *Ibid. apud Maire.* cIↄ Iↄ CXL.

Diatriba de Mutui Alienatione, contra Cyprianum. *Ibid.* cIↄ Iↄ CXL. *ſub nomine* Alexii à Maſſalia.

Commentarius in Epictetum & Simplicium. *Ibid. Anno Eod.*

Tabula Cebetis cum Prolegomenis. *Ibid. Eod. Anno.*

Notæ ad Achillem Tatium. *Ibid. apud Hegerum. Anno Eod.*

Interpretatio Hippocratei Aphoriſmi LXXIX. *Sect.* IV. De Calculo. *Cum* Epiſtolis ad Beverovicium. *Lugd. Batav. apud J. Maire Eod. Anno.*

Reſponſio ad Epiſtolam Johan. Cloppenburgii. *Ibid. Anno Eod.*

Brevis Confutatio Notarum Larvati Theologi in excerpta Diſſert. de Trapezitis. *Ibid. Anno Eod.*

Diſſertatio (*ſub nomine* Wallonis Meſſalini) de Epiſcopis &

Presbyteris, contra D. Petavium. *Ibid. apud. I. Maire.* cIↄ Iↄ CXLI.

De Lingua Helleniſtica, & Origine ac Dialectis Græcæ Linguæ. *Ibid. apud Elzev.* cIↄ Iↄ CXLIII.

Funus Linguæ Helleniſticæ, & ejuſdem Oſſilegium. *Ibid. apud J. Maire. Anno Eod.*

Epiſtola ad Menagium, de Herode Infanticida. *Pariſ.* cIↄ Iↄ CXLIV.

De Coma; ſuper cap. XI. I. ad Cor. *Lugdun. Batav. Elzev.* cIↄ Iↄ CXLIV.

Dialogus de Coma. cIↄ Iↄ CXLV.

Arnobii Textus emendatus. *Lugd. Bat. apud I. Maire.* cIↄ Iↄ CXLV.

Obſervationes ad Jus Atticum & Romanum. *Ibid. Anno Eod.*

Diſquiſitio De Mutuo, *qua probatur* non eſſe Alienationem. *Ibid. Anno Eod.*

Confutatio Diſputat. Jac. Wiſſembachii de Mutuo. *Ibid. Eod. Anno.*

De Mutuo, Adverſus Joh. Tabor. *Ibid. Anno Eod.*

Item contra Fabroti Epiſtolam. *Ibid. Anno Eod.*

Epiſtola ad J. Pacium, (*ſub Nomine* Simplicii Verini,) de Libro Poſtumo Hug. Grotii. cIↄ Iↄ CXLVI.

De Tranſſubſtantiatione, (*ſub nomine* Simplicii Verini) contra H. Grotium. cIↄ Iↄ CXLVI.

Epiſtolæ ad Th. Bartholinum, de Cruce & Hyſſopo. *Lug. Bat. I. Maire. Anno Eodem.*

Tractatus De Subſcribendis Teſtamentis, & Annulis Antiquorum. *Sive* Specimen Confutationis Animadverſionum Deſ. Heraldi. *Lugd. Bat. ex Officinâ Elz.* cIↄ Iↄ CXLVIII.

De Annis Climactericis & Antiqua Aſtrologia, Diatribæ. *Ibid. Eodem Anno.*

Defenſio Regia prò CAROLO I. ad CAROLUM II. *Septies & amplius recuſa.* A. cIↄ Iↄ CXLIX. & cIↄ Iↄ CL.

Ad

Digitized by

Adjuvit præterea, & multis de ſuo ſuppeditatis luculenter emendavit & illuſtravit ,

Plautum , *Ed. Boxhornii.*
Phædrum , *Ed. Rigaltii.*
Suetonium , *Ed. Schildii.*
Virgilium , & Servii
Comment. ad eum , *Ed. Schrevelii.*
Juvenalem *&* Perſium , *cum* Scholiaſte , *Ed. Schrevelii.*
Sulp. Severum , *Ed. Hornii.*
Et alios ſine numero.

Libri partim confecti ;

Et parati jam olim ad editionem , partim affecti , & inchoati.

Exercitationes Plinianæ, quas inter & *Libri de Herbis & Plantis*. Aliquot voll.
Diſſertatio de Saccharo & Manna.
Tractatus Theologici Miſcellanei. ingens volumen in 4.
Notæ in Ammianum Marcellinum. Quarum Specimen extat Epiſt. IV. & VI.
Commentarius in Concilium Eliberinum.
Epigrammatum Græcorum Anthologia, infinitis locis auctior, *Latina item interpretatione & luculentis Annotationibus* illuſtrata.
Commentarius de Officiis Domus Auguſtæ : ingens opus.
Commentarius in Arnobium : cui Præfixerat *Diſſertationem de*

ratione Nominum, *Cognominum*, *& Agnominum apud Veteres.*

Libri De Ordine, *Rebus*, *ac Ritibus Eccleſiaſticis.* Vaſtum opus, & cujus exigua portio eſt *Liber de Primatu Papæ.*

Annotationes in Novum Teſtamentum. magnam partem abſolutæ.

Commentarius de Militia Romanorum.

Exercitationum De Philoſophia Stoica, in Simplicium & Epictetum, pars Altera. Cum Prolegomenis uberrimis, de manuductione ad eandem Philoſophiam.

Annotationes in Tertulliani Apologeticū, Librum de Corona Militis, De Spectaculis, De Habitu Muliebri, & De Cultu Feminarum.

Emendationes in Heſychii Lexicon, & Hæ brevi excudentur.

Commentarius & emendationes in Stephanum De Urbibus, cum Interpret. Lat.

Liber de Inſtrumentis Muſicis Veterum.

Obſervationes & emendationes in Ovidium.

Diatriba de Termino Vitæ.

Commentarii De Re Veſtiaria & Coloribus.

De Acia & Fibulis Antiquorum.

De Uſuris Iuſtinianeis.

Commentarius in A. Gelli Noctes Atticas.

-------- *in Diogenem Laërtium.*

-------- *Lucium Ampelium.*

-------- *M. Antoninum de ſeipſo & ad ſe ipſum.*

-------- *Hygini Gromatici Librum de Caſtrametatione.*

-------- *Martialem.*

Libri De Re Nummaria.

Diatriba de Vita Joſiæ Merceri.

Commentarius in Rationale Imp. Romani.

Exercitatio de Scriptis Plinianis.

Commentarius De Sibyllis.

Animadverſiones in Annales Card. Baronii.

Liber de Aromatis.

Diſſer-

Digitized by Google

Diſſertatio de variis Annorum Formis.
-------- de Gemmis.
Dialogi aliquot de Coma.
Notæ in Antiquas Græcas Inſcriptiones.
Etymologicum Latinum.
Apologia contra Miltonium pro Defenſione Regia.

Et infinita alia quæ nunc non occurrunt. Potuiſſe autem omnia hæc dare, ſi longiorem Vitæ uſuram ei Deus conceſſiſſet, patet tùm ex iis quæ de ingenii ejus dotibus pauca de multis ſupra narravimus; tùm quoque ex iis quæ de his rebus paſsim in aliis operibus intermiſcet.

DIPLOMA REGIS CHRISTIANISSIMI.

LOUIS *par la Grace de Dieu, Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans noſtre chambre des comptes à Paris, Salut.*

Eſtans bien informés que l'Eminente doctrine du S^r^. de Saumaize, *Conſeiller en noſtre conſeil d'eſtat, & ſa ſinguliere Erudition en toutes ſortes de Sciences, joinctes aux belles qualités qui accompagnent ordinairement ceux qui ont de ſi grandes lumieres d'eſprit, l'ont fait rechercher par divers Princes, & Republiques, pour ſervir d'ornement à leurs eſtats, & les rendre plus Illuſtres par la demeure qu'y feroit un ſi grand perſonnage; nous avons eſtimé à propos le dit* S^r^. de Saumaize, *eſtant né noſtre ſubject, d'ancienne & Noble Raçe de noſtre Duché de Bourgogne, de l'appeller de la Ville & Univerſité de Leyden en Hollande, où il eſt depuis pluſieurs années en grande conſideration, en la place du defunct S^r^. de l'Eſcale; & luy donner moyen dans noſtre Royaume parmy les Siens, de produire avec repos & tranquilité d'eſprit ce que ſes longues & laborieuſes eſtudes luy peuvent fournir de plus rare & de plus exquis. Pour ces Conſiderations, de l'advis de la* Reyne Regente, *noſtre tres-honnorée Dame & Mere, avons par ces preſentes, ſignées de noſtre main, accordé & accordons au dit* S^r^. de Saumaize

maize

maize *la ſomme de ſix mille livres de penſion, par chacun an, à prendre ſur les deniers de la Recepte particuliere de l'eſlection de Paris; voulans que par chacun an, & à commencer de la preſente année, la dite ſomme ſoit employée en deſpenſe au nombre des charges de la dite Recepte particuliere, & qu'elle ſoit acquittée par les receveurs, ſans aucune nonvaleur n'y retranchement. Si vous mandons & ordonnons que vous ayez à faire regiſtrer ces preſentes & du contenu en icelles jouir & uſer ledit* de Saumaize *pleinement & paiſiblement. Mandons auſſi à nos amez & feaux Conſeillers en noſtre Conſeil d'eſtat & Treſoriers de Noſtre Eſpargne, preſens & à venir, chacun en l'année de leur exercice, de payer bailler & delivrer au dit* de Saumaize *la dite ſomme de Six mille livres de penſion par chacun an, aux termes & en la maniere accouſtumée, en vertu des eſtats qui en ſeront par nous expediez par chacune année; & rapportans par eux ces preſentes où copie d'icelles deüement collationées pour une fois ſeulement, avec la quittance du dit* de Saumaize *ſur ce ſuffiſante, nous voulons la dite ſomme de ſix mille livres eſtre paſſée & allouée en la deſpenſe de leurs comptes, deſduite & rabatue de la recepte d'iceux par nos gens de nos comptes. Vous mandant ainſi le faire ſans difficulté;* CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. *Donné à Fontainebleau, le troiſieſme jour de Sept. l'An de Grace, Mil ſix Cens quarante quatre, & de noſtre Regne le deuxieſme. Signé* LOUIS: *plus bas*, par le Roy, la Reyne Regente ſa Mere preſente, *Signé* de Lomenie; & ſeellé ſur ſimple queue du grand ſeau de Cire jaulne; & ſur le dos eſt eſcrit, *enregiſtrée au Controlle general des Finances. Par moy Conſeiller du Roy en ſes conſeils & Controlleur general des Finances de France. A Fontainebleau, le vingt cinquieſme jour de Septembre,* CIↃ IↃ C XLIV. *Signé* Particelle.

Collationné à l'original par moy ſoubſigné Conſeiller du Roy, en ſa Court du Parlement de Paris, ce premier Octobre MDC XLIV.

SARRAU.

Digitized by Google

A Madame SAUMAISE, PAR LA REYNE CHRISTINE.

MADAME,

SI la mort du grand SAUMAISE *eſt aujourd'huy le ſubject de deſplaiſirs de tout ce qu'il y a de gens raiſonnables au Monde, & que de toutes parts l'on vous en conſole; jugez quel doit eſtre mon reſſentiment dans cette perte irreparable : vous ſçavez quel eſtoit l'eſtime, dont j'honnorois ſon merite; & vous eſtes teſmoing, que j'avois pour luy des ſentimens de tendreſſe auſſy veritables, que je les aurois peu avoir pour un Pere: j'étois ſur le point de luy en renouveller les proteſtations, lors que la funeſte nouvelle de cette mort inopinée me fiſt tomber la plume de la main, & me laiſſer ſans autre penſee, que cette, de regretter la perte d'une perſonne qui m'étoit ſi chere. Imaginez vous apres cela quels ſont les mouvemens des douleurs que j'ay reſſentis; & n'eſperez pas de moy que j'entreprenne de vous conſoler: voſtre douleur eſt juſte, & vous devez employer le reſte de vos jours à pleurer cette perte, & le crime d'hommicide, que vous avez commis ſur ſes eſcrits. Eſtes vous ſi ennemie de voſtre propre gloire, & de la memoire du deſſunct, que vous avez oſé profaner vos mains par un tel ſacrilege? voſtre obeiſſance eſt cruelle, & je ne vous pardonneray jamais, d'avoir fait mourir pour la ſeconde fois celuy de tous les hommes qui meritoit le mieux d'eſtre immortel. Pardonnez je vous prie le tranſport, l'indignation m'emporte, & je ne puis m'empeſcher de vous reprocher cette perte ineſtimable, que je voudrois pouvoir rachetter par un treſor. Mais puis que le malheur à voulu que nous euſſions un ſi ample ſubject de regretter cette mort, il eſt juſte que par les reſſentimens que j'en teſmoigne, je me juſtifie des ſoubçons d'eſtre mediocrement intereſſée à la gloire de ce grand homme; c'eſt ce qui me*

me reſte à faire pour me laver du crime que vous m'impoſez. Et quoy que vous ayez fait pour me donner ſubject de me plaindre de vous, je me ſouviendray pourtant toujours que vous eſtes la vefve de ce meſme Saumaiſe, *que j'ay aymé comme un Pere, & dont j'honoreray toute ma vie la memoire. Ie m'en ſouviendray toujours, & je feray voir en vous, & en ſes enfans l'amitjé & l'eſtime que j'ay portée au defunct; il ne tiendra qu'à vous de me faire ſçavoir en quoy je pourray vous favoriſer, & ſoyez certaine qu'il n'y a rien que je ne faſſe pour voſtre ſatisfaction, pourveu que je n'ignore pas en quoy je pourray vous eſtre utile. Et pour ce qui eſt de voſtre Fils, dont vous me parlez, ſachez que je pretend d'avoir part à ſon education, & que je veux que vous meſme m'en rendiez conte, puis que je veux contribuer autant qu'il dependra de moy à le rendre digne Fils d'un ſi grand Pere.*

CHRISTINE.

ERRATA

Benevolus Lector ità emendabit.

Præf. p. iv. l. 21. del. *ſeu Reginam Matrem*. p. v. l. 21. leg. πέπινυσαι; l. 30. *Litteræ*. l. 33. Pariſiis, leg. *Rothomagi*. p. IX. l. 21. quin. l. *quàm*. In Epiſt. p. IV. l. 5. leg. *premiere*. p. XXIX. l. 2. poſt *nugat*. pone comma. p. XXXII. l. 32. τὰν λιγυρὰν Μυρτίδα, ὅπ &c. p. XLVI. l. 23. leg. *cæpit*. xlvII. 10. poſt *tantum*. pone comma. lI. II. l. *moveor*. lvII. 25. l. *fourbe*. *lxxx*. 30. l. χροκίδας 33. l. χροκιδίζειν. CXVII. 9. l. ὅτι μάλιστα, & ὅτι μᾶλλον. CXXVIII. 10. ἠγύρθυια. CXXIX. 11. الراحلة cxl. 25. *Dauſquejus*. cl. 30. hoc. l. *homine*. clxxxvII. 9. *Euge*. cxcv. 24. leg. *literæ* u, *facile ex ea feceris* j c. Alia feſtinanti mihi nunc non occurrunt. Et hæc ipſa, ſtatim ut animadverti, indicavi Typographo, & emendata ſunt in pleriſque exemplaribus.

Digitized by Google

EPISTOLA I.

A MONSIEUR
DUPUY,
Advocat en Parlement,

A Paris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MONSIEUR,

LE nombre des courtoiſies que j'ay reçeües de vous m'oblige d'en avoir un tel reſſentiment, qui, peut eſtre, n'eſt pas egal au merite de la choſe : mais autant que le peut eſtre celuy qui ne ſera jamais ingrat de tant de plaiſirs reçeus, & en retient ferme la ſouvenance. Si c'eſtoit un payement bien loyal que des belles paroles pour des bienfaits, je taſcherois à me ſurpaſſer moy meſme, & d'en coucher ſur ce papier autant qu'il me ſembleroit eſtre ſuffiſant pour me decharger d'une ſi groſſe ſomme, dont je vous ſuis redevable. Mais le bien dire ne peut pas payer le bien faire. Et quand ainſi ſeroit, je me trouverois auſſi empeſché au payement de l'un que de l'autre. C'eſt pourquoy vous demeurerés s'il vous plaiſt content & ſatisfait de la ſeule ſouvenance que j'ay & auray touſiours des plaiſirs que vous m'avés faits, à moy qui auparavant n'avois point cet honneur d'etre cognu de vous. I'ay tantoſt achevé la conference de vos deux Manuſcrits, ou j'ay trouvé le voſtre beaucoup meilleur que celuy de Monſieur de Thou. Il eſt grand dommage qu'il n'eſt plus entier. Luy ſeul en vaudroit une douſaine. A la fin du livre il s'eſt trouvé un Poëme non encore imprimé, duquel Monſ. Iuret avoit la copie, qui luy avoit eſté envoyée autres fois par feu Monſ. Pithou, diſant l'avoir tireé de voſtre Manuſcrit, mais ſi different de l'Archetype que

 je

je ne puis quaſi me perſuader qu' elle n' ait eſté extraite d' un autre livre que du vôtre. Ce Poëme eſt fort ancien, & du temps meſme de Prudence car parlant de Symmache, il dit; Poſuit nuper quod Symmachus hæres. *Au reſte, Monſ. Milletot eſt touſiours apres ſon livre, Il le revoit, il l' amplifie & le fait latin. Monſ. Juret luy à fourni un beau paſſage pour la defenſe de ce qu' il avoit mis en ſon livre, que* le Roy eſt chef & Protecteur de l'Egliſe; *ce mot de* chef *deplaiſoit à pluſieurs* malè feriatis *de cette ville, qui ne le pouvoyent digerer. Le paſſage que luy donne Monſ. Juret eſt pris d' une Epitre de Zacharias Pape à Pepin, ou il dit s' adreſſant a Pepin,* Tu es caput & fundamentum omnium Chriſtianorum. *Ie vous eſcris tout ce que je ſcay & les petites & les grandes nouvelles, Vous ſcavés que ce pays icy n' en eſt pas trop fertile, c' eſt donc de vous que nous les attendrons plus grandes & de plus grande importance. Cependant je ſuis.*

MONSIEUR

Vôtre plus humble & tres-affectioné ſerviteur

C. SAUMAISE.

EPISTOLA II.

A MONSIEUR DU PUY,

Advocat en Parlement,

A Paris.

MONSIEUR

I*E me ſens & me tiens tellement voſtre obligè que j' en ferois le ſubject de toutes mes lettres; n' eſtoit que je crains vous eſtre autant facheux à vous remercier, comme je me ſuis rendu importun a vous prier des choſes qui meritent remerciement. Monſieur Milletot, que j' ay veu au ſubject de vos lettres, à eſte bien aiſe d' apprendre le nom de celui qui a traduit ſon Livre en*

en latin. Il m'a dit avoir changé de reſolution & vouloir le laiſſer françois. Seulement il ſe defend ſur ce mot de Chef *pardeux ou trois pages quil y adjouſte. Nous avons recognu que ce paſſage du Pape à Pepin ne lui peut ſervir la deſſus, & qu'il ſe doit entendre comme vous le prenez. Les Epiſtres qu'a fait imprimer Gretſerus ſont toutes pleines de ſemblables paſſages ou par tout la ſoubmiſſion des Papes eſt treſgrande: mais comme vous jugez bien, c'eſt lors quils eſtojent preſſez: autrement ils ſe fuſſent bien gardés de faire des confeſſions ſi prejudiciables. Ie vous renvoyeray bientoſt voſtre M.S. de Prudence, avec celui de Monſieur de Thou, ſi je trouve une comodité qui ſoit ſeure; ſi non, j'attendray a vous le porter moy meſme. Je vous prie me mander ſi le S^r. Mauſſac faict imprimer ſon Harpocration, & ſ'ils ont deſia commencé. Je trouvay l'autre jour parmi mes papiers des Letres de Jungerman ſur ce ſubject, qui poſſible lui pourrojent ſervir. Il eſt vray que ſon bel eſprit qui remplit les lacunes ſans aucune ayde & faveur de Manuſcript, ſemble n'avoir pas beſoing de ſecours. A tant je ſuis,*

MONSIEUR

Voſtre treshumble & affectionné ſerviteur

SAUMAISE.

EPISTOLA III.

A MONSIEUR DU PUY,

Advocat en Parlement.

A Paris.

MONSIEUR

VOus m'avez tant donné de ſubject d'avoir ſouvenance de vous, que je ſerois le plus ingrat du monde, & le plus oublieux, ſi je ne taſchois par tous mojens de vous témoigner quil m'en ſouvient. Vous en pouvés dormir ſur l'une & ſur l'autre oreille. J'y veilleray pour vous, & mes amis pour moy. Nous en ſçavons desja un bon nombre, qui ne ſont point ſur

GRatias ago tibi ingentes, Vir magne, pro opera & pro voluntate, quam oſtendis propenſam juvandis ſtudiis noſtris. Non agnoſco tamen laudes, quæ tuæ propriæ ſunt, & meæ quoque forent, ſi animo reſponderent vires, & conatibus par eſſet effectus. Obſervatione tua de *Salichali* nihil verius, nihil doctius. Cum verò inter omnes conveniat non omnem caſiam eo nomine vocari, ſed certam ſpeciem, eamque quam Græci ξυλοκασίαν & κασίαν ξυλικὴν appellant, in ea ferè nunc ſum ſententia *Salicha* vel *Selicha* ex ξυλικὴ corruptum fuiſſe; idque eo maxime firmatur, quod non ſolum Arabes, ſed etiam Ægyptii, Indi, & Perſæ voce illa uti dicuntur ad ſignificandam ligneam caſiam, ſive xylicam. Videntur omnes ab eadem origine habere, Græcâ ſcilicet Mercatorum olim Alexandrinorum. Nam communem *caſiam* vulgò *Kerfe* ab Arabibus dici annotant. Repudio itaque meam illam conjecturam de *Siliqua*, & hanc præfero, quam non dubitem eſſe veram, ſi tibi ita videatur. Qui tàm benignè operam tuam præbuiſti in hac obſervatiuncula, noli quæſo eam gravari in eo, de quo nunc te rogabo.

bo. Zoſimus Panopolitanus Græcus Auctor eſt, Chemiſta vetus, ut in arte vana & nugatoria non ſanè contemnendus. Is in Tractatu *de tinctura æris* meminit φοινικοπαστίλλου τοῦ ἐρυθροῦ τοῦ λεγομένου Νατῆφ ἐν Ἄραψι, vel νατῆφει Ἄραψι. Ex Græco non poſſum colligere, quid ſignificet Arabicum. Ergò ex Arabico inveniendum, quæ ſit vocis Græcæ ſignificatio. Rogo te igitur, ut hanc opem mihi adnitaris, & me, ut ſolitus, ames. Ex Griniaco, VIII. Kal. Febr. a. CIƆ. IƆ. CXXVIII.

EPISTOLA XII.

A MONSIEUR DU PUY,

Advocat en Parlement,

A Paris.

MONSIEUR,

JE vous renvoye la Lettre de Monſr. Peyreſc, & vous en remercie, comme je luy fais pour les remarques de l'antiquité, qu'il a daigné rechercher ſi curieuſement à mon ſubject. Quant aux Thirſes Bacchiques, il faut neceſſairement qu'il y en ait eu de deux ſortes, & les Autheurs anciens en marquent la difference. Les uns eſtoient tout entortilles de papier & de feuilles de lierre; Anacreon les appelle κατακισσοὺς θύρσους, id eſt, hederâ inductos thyrſos. *Il s'en voit de cette façon dans l'Agathe gravée, qui eſt au devant du Perſe de Caſaubon, & dans ſon livre* De Satyra, *& qui eſt expliquée par Scaliger en l'une de ſes Epiſtres. Elle a pour argument les myſteres ou Orgies de Bacchus, & une bacchante y tient un thyrſe, fait en la façon que je dis. C'eſt un baton ſimple qui a du lierre à l'entour. En quelques uns le bout du javelot eſtoit enuelopé de fueilles de vigne ou de lierre, & en ce ſens Macrobe interprete* thyrſum, haſtam vel jaculum, cujus mucro hedera lambente obtectus eſt. *Les Grecs les appellent* λογχωτοὺς θύρσους, *ou* θυρσολόγχους. *Quant aux autres remarques par le dit*

Sr. Peyreſc, c'eſtoient des batons au bout deſquels il y avoit une pomme de pin, qui eſtoit entre les jouëts de Bacchus, comme il ſe voit dans un vers d'Orphee chez Clement Alexandrin, où entre les jouëts de Bacchus eſtant encore enfant il nomme κώνους, *qui ſont des pommes de pin; & de la vient que les Bacchantes les portoient au bout de leurs batons, qu'ils appelloient* θύρσους κωνοφόρους. *I'expliqueray cela fort au long en mes Prolegomenes. Sans mon indiſpotion, je faiſois eſtat d'aller à Paris cette ſemaine, ce ſera pour la prochaine, Dieu aidant. Cependant, je demeureray,*

MONSIEUR,

A Grigny, ce 13. Iuillet, 1628.

Voſtre tres-humble Serviteur

SAUMAISE.

EPISTOLA XIII.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

GRatias tibi ago ingentes, Vir maxime, pro impetrata abs te mihi à Gabriële Sionita loci Aviſenæ interpretatione, in quo mihi aqua hærebat; & cui non iſtic hæſiſſet? Quaſi duæ voces eſſent Arabicæ *Bis Mus* ubique reddit interpres. In qua etiam me opinione confirmabat corruptela vulgaris appellationis *Napellus Moyſi*. Quod etiam nunc vehementer miror, unde illud portentum verbi fluxerit *Moyſi* ex *Mus*, tam ignota vox ex tam nota? Si *Farat Albis*, aut *Napelli Mus* dixiſſet interpres, nihil difficultatis foret. Sed ita etiam in aliis ſoliti ſunt. Ut C.ccccxxxi, de *Labni*, ſive Storace; *Et dicitur illa quæ liquida eſt, Mel Lebni, ſive Storacis, vel Aſtorach*. En *mel Lebni*! Cur non utrumque Latine extulit, vel Arabicum in utroque non retinuit? Cuperem ſcire per te ex eodem Gabriële

le quomodo ſit in Arabico. Suſpicabar pro *mel Lebni* legendum *Meha Lebni*, quod Arabice liquidam ſtoracem ſignificat. Sed hoc eſſet augurari ſine avibus. Libenter etiam diſcerem an illud *Lebni* originem habeat in Arabica Lingua; ut & *Miha* quod pro ſtorace liquida poſuit Aviſena in alio capite. Quod ad *Lebni* attinet, videtur depravatum ex λιβάνιν, quod Græci recentiores pro thure uſurparunt. Scio aliàs *Lovan* vel *Loban* Arabice thus dici ex Hebraico. Quoniam autem tam libenter ſuſcipis, quicquid ego tibi oneris tàm liberè impono, utar licentia quam ſemel dediſti. Cap. DCIX ejuſdem Aviſenæ, Titulus eſt vulgo *de ſanguine draconis*, id eſt Achillea. Succum rubeum notum eſſe dicit Auctor. Atqui Achillea illa, quæ quarta eſt ſideritidis ſpecies, nullum fundit Medicinæ ſuccum, qui mereat hanc appellationem. Aut igitur falſus Aviſena, aut falſi interpretes. In Arabico ajunt eſſe *Alhachun*. Quæro quid illa vox Arabice ſignificet, & an aliquid habeat quod de dracone vel de ſerpente intelligi poſſit. Apud Serapionem vocatur *Dem Alachuen*, quod ſignificat ſanguinem Alhachuen. Tota difficultas in nomine *Alhachun*, vel *Alhacuen*. Tædet me quod ita tibi ſim moleſtus. Sed nihil refugere te ſcio, quod ad litterarum bonum redundat. Vale & me ut ſolitus ama. Ex Grinæo, XVIII. Sept. CIƆ. IƆ. CXXVIII.

EPISTOLA XIV.

JOHANNI GERARDO VOSSIO,

Eloquentiæ & Hiſt. in Illuſtri Amſtelodamenſium Gymnaſio, Profeſſori excellentiſſimo.

ITer capeſſens in Burgundiam, præſtantiſſime Voſſi, facere non potui quin has ad te darem, vicemque tuis redderem quas ante aliquot menſes accepi, quibus ideo reſponſum me diſtuliſſe velim ſcias, quia expectabam exitum operis quod una cum his litteris accipies. Non dignum ſatis te munus, nec tuo pro quo & gratias infinitas ago tibi, ἀντίῤ-

ῥοπον,

Digitized by Google

ρόπον, niſi mole æſtimetur, qua una re prævalere meum audeo tibi affirmare, & facile credes ipſe ubi videris. Quod ad alia ſtudia me adhortaris, currentem incitas, & jam dudum in his ſum; certoque pignore id oſtendam in Eliberini Concilii editione, quã commentario libro in illuſtratam dabo, ut omnes ferme antiquæ Eccleſiæ ritus accuratè explicatos habitura ſit. Sed certũ eſt prius tertium Tomum *Plinianarum Exercitationum* duobus prioribus accudere; qui jam exiſſet, ſi habuiſſem heic qui Arabica poſſent excudere. In eo ſiquidem Volumine non tantùm Plinii peccata quæ in re Herbaria commiſit, ſed etiam Arabum in Græcis quæ ad eam rem pertinent vertendis errata in apertum exhibere aggreſſus ſum. Ea gratia totum me Arabicæ Linguæ ſtudio ab aliquot his menſibus dedi, in quo magis proficerem, ſi magiſtrum aliquem vivâ voce docentem audire mihi liceret. Non tamen aliter Græca didici, quibus Arabica non eſſe difficiliora, ubi prima rudimenta tranſieris, reapſe comperi. Audio te de Etymologico Latino ſive Æolico jam ſeriò cogitare, quæ dialectus Latinam totam antiquam, quanta eſt, paucis exceptis formavit. Quaſdam origines per occaſionem attigi in Exercitationibus Plinianis, & poſſem, ſi tecum una eſſem, nonnulla expedire, quæ certo ſcio nec tibi nec alii cuiquam venire in mentem poſſe; non quod ingenio aut ſagacitate magis valeam, ſed quia bono quodam fato in ea Scripta Veterum incidi, quæ tibi videre non contigit. Inter alia vidi Apollonii Alexandrini τεχνικά, & Arcadii Grammatici opera; in quibus, præcipuè in Apollonio, multa reperiuntur citata teſtimonia, Alcæi, Sapphonis, Corinnæ, Rinthonis, Sophronis, & aliorum qui Lingua Æolica aut Dorica mera ſcripſere, ex quibus duabus dialectis non te latet conflatam eſſe Romanam priſcam loquelam. Guſtum aliquem hujus rei tibi propinare libet. Inveniebam nuper hęc verba Corinnæ citari ab Apollonio in Libro *de Pronominibus*, Μέμφομαι ἰώνγα τὰν λιγουρὰν, Μυρτίδα μέμφομαι, ὅτι βάνα φοῦσα ἔβα Πινδάροιο ποτ᾽ ἔριν. Quantivis pretii hoc fragmentum etiam ad Hiſtoriam. Vides hoc nomine argui Myrtidem poëtriam à Corinna, quod mulier nata deſcenderit in certamen cum Pin-

Pindaro. Atqui Ælianus & cęteri Antiquorum de Corinna hoc ipſum tradunt. Notat & Heſychius *βάννα* vel *βᾶνα* ex Ætolica Lingua eſſe *mulierem*. Plura non addam, quia plura per otium quo nunc careo non licet, ut pote jam præcinctus ad viam. Si quid litterarum ad me voles, per Grotium noſtrum curabis. Et rogo ut deinceps frequentioribus inter nos contendamus. De me promitto non defuturum vicibus, ſed nec moras tracturum reſpondendo. Quin & provocabo ipſe, & ceſſantem interpellabo. Vale vir ἐξοχώτατε, & ſi jam pateris, φίλτατε. Lutetiæ Pariſiorum, Idib. Auguſti, CIƆ. IƆ. CXXIX.

EPISTOLA XV.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

TUas accepi, Vir ſumme, rure poſitus in medio febris horrore, quo tum maxime premebar, lev'ioremque inde multo fieri ſenſi ex earum lectione. Eo ſeceſſeram experiendi gratia ecquid aëris urbani mutatio in liberiorem illum purioremq; reciperando quod amiſeram conferre poſſet. Fruſtra id expertus, ut & alia multa opis medicæ tentamenta; quibus hoc unum debere fateor, quod jam ſcio non eſſe amplius periclitanda. Tempus igitur hoc præſtabit, & major Medicus, quod puſilli iſti & terreſtres Machaones ex arte ſua dare neſcierunt. Quinimo & aſſuetudine jam uſuque familiarior mihi facta ac mitior hæc hoſpes; etſi nihil dum de rigore ſuo remiſerit. Sed quod diu paſſus ſum, nunc melius fero, quamvis nihilo mollius. Maximum tamen ex eo morbo incommodum ſuſtineo, quod per illum mihi non licet ſtudiis inſiſtere & propoſitum urgere. De Floro itaque fruſtra eſt exſpectatio librarii Lugdunenſis. Vix in hanc urbem pedem intuleram cum me malum corripuit, & cogitationem illam de Flori Notis recenſendis, aliiſque omnibus prorſum amovit. Sed quid tu cenſes?

ſes? Fac paratas eſſe illas. Scis me eas promiſiſſe Berneggero Profeſſori Argentoratenſi. Cui potius ſuades committendas? Nitor hinc editionis & typorum elegantia; ex alia parte viri doctiſſimi diligentia me trahit. Sed non integra nunc, nec libera mihi hæc deliberatio. Statim atque dimiſerit me moleſtiſſima iſta Quartana, quæ nunc duplex, nunc ſimplex fit, & in alias ſe vertit facies, nihil prius agam. Interim rogo te Lemairio ſcribas, caveat edere Notas meas, ſicut ſunt. Hoc ſi fit, meas negabo. Voſſio etiam noſtro, ita enim eum vocare auſim, ſalutem plurimam meo nomine dicas. Neſcio an Plinianas receperit, quas Drouardo reliqui ad eum mittendas. Vale & me ama. Divione Idib. Nov. CIↃ. IↃ. CXXIX.

EPISTOLA. XVI.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

MIror, ἐξοχώτατε Groti, nihil me tuarum vidiſſe tanto tempore, nec te quicquam meis repoſuiſſe, quas pridem ſcripſi. Avebam inter alia ſcire quid ſentires de editione Notarum noſtrarum in Florum; utrum dandæ eſſent Germanis typographis, an Batavis veſtris. Utrique ſanè urgebant; & Germani quidem auctore Berneggero, à quo jam hic annus vertitur nullas accepi, nec ſcire potui an exemplar *Plinianarum Exercitationum* receperit, quas ad eum miſeram. Dedi eas Dano illi quem noſti; qui in comitatu erat Legati Regis Daniæ. Gratum igitur feceris imo gratiſſimum, ſi per te cognovero ſi forte quid ex Berneggero per litteras audiſti, tam de illo exemplari, quod ei propriatim dicâram, quam de altero quod etiam miſeram Lingelſhemio eadem via eodemque Dano procurante. Quid rerum etiam geras, ut valeas, non aliunde melius quam ex te noverim, nec amantiorem tui quemquam poteris facere omnium certiorem, quæ ad te pertinent, quam

quam ego ſum. Quod ad me attinet, ſtrenuè Arabicari pergo, tantumque jam in ea Lingua profeci, quantum poſſit, qui nullo alio præter ſe adjutore ac magiſtro utitur. Adhuc ſum in Plinianis Exercitationibus, & Herbaria re, præcipuè quam tractant Arabes, illuſtranda. Ad id propoſitum dum perluſtro Herbariorum recentium ſcripta, incidi fortè in zoophyti imaginem planè illi ſimilem, quam ante annum mihi oſtendiſti, quale in Batavia veſtra quaſi ex nova productione tùm primum naſci cœptum vulgò credi affirmabas. Pena & Lobelius tale omnino zoophytum vidiſſe aſſerunt Londini ex putridis lignis vetuſtæ naviculæ ad ripam Tameſis enatum, cujus inſtar apud eos non ſine voluptate conſpexi; quod etiam exhibet Dalecampius in Herbario ſuo libr. XII. cap. 41. pag. 285, Tomi ſecundi. Vide quæſo & miraberis. Quinimo ex ipſis illis conchulis, quæ in ſummo extant, prodire ejuſmodi aviculas confirmant, quæ *Bernacæ* vocantur apud vetuſtos Hiberniæ Scriptores, & ſimiles ſunt parvis anſeribus; *Bernaclas* vulgò audio vocari. Hoc te ſcire volui. Vale Vir præſtantiſſime, & nos, quod facis, ama. Divione XIII. Kal. Mai. CIϽ. IϽ. C XXX.

EPISTOLA XVII.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

SI putarem, præſtantiſſime Groti, tibi perſuaſum non eſſe, quantopere curem ut tibi curæ ſim, factis non minus quam verbis adlaborarem, quò id crederes. Sed otioſa res eſt credulo fidem facere velle. Ne illud quidem puto, ignoras, quanti te faciam & merito tuo: quod hic prædicare alienum eſſet; certè in re minimè apud te dubia, minimè omnium neceſſarium. Benè eſt quod ex te audio Berneggerum noſtrum exemplaria accepiſſe, quæ ad ipſum deſtinâram. De cætero moram ſcriptionis liberam illi eſſe volo, nihilque ab amicis unquàm niſi quod ipſorum commodo fiat, poſtulare ac ne

deſiderare quidem animum induxi. Feſtinat mihi manus & calamus ad illius amici mentionem, quem revocari ad ſopitam colluctationem cum Aurelianenſi haud ſcio an debeam dicere, ſed certè dicam ἄγχι σχὼν κεφαλήν, lætus ex tuis accepi. Habeat ſane, ut meritus. Sic datur qui ex vultu nutuque ἐπαλόφυ Vejovis ita dependent, ut ne hiſcere quidem præter voluntatem ejus ac præſcriptum habeant fas. Non poteſt ſibi non prædictum dicere, quid illi tandem afferet hæc tam ſordida & humilis ancillatio. Mirandum prorſus hominis judicium, qui Romæ minus valere gratiam Epiſcopi putârit, quam Lutetiæ; cum ſcire debuerit totum illis in Italia licere, in Gallia dimidium. Quid igitur cogitabat cum Romæ apud Pontificios eum Epiſcopum dictis liberioribus tangeret, quem hic adeò ſervilibus blanditiis mitigare ſtuduerit & exorare? Nihil magis præpoſterum potuit ab illo fieri. Vidiſſe te cenſeo quæ pro cauſſa Ducis Mantuani ſcripſit; quinimo & idem mecum ſentire ſi vidiſti cenſeo. Si ſeſquipedalia & phalerata verba detraxeris, & compoſitionis concinnitatem deſtruxeris, totum opus præterea ab argumentis ac ſolidis probationibus vacuum. Satis habuit in hæreticos perorare, eodem quo in aliis ſolet ſcriptis conſilio; nempe ne pro hæretico habeatur. Vin ſcire & aliud lepidum ejus facinus; ſed non de genere hoc. Miſit ad me nuper de novo recuſam .... editionem, ſcripſitque in litteris ad me unà datis ſe omnes conjecturas meas, quas ipſi ante aliquot annos indicâram, ita probaſſe ac certas judicaſſe, ut etiam in textum recipiendas crediderit, non facta cujuſquam mentione. Scilicet ſi auctorem nominaſſet, multum illis deceſſiſſet auctoritatis, nec tam certæ viſæ eſſent. Nonne palam eſt hoc ipſum eum timuiſſe? Exigui Nemauſenſis auguror etiam tibi lecta Miſcellanea. Si quid veri quoque mihi augurari licet, ἀνίγνως & καπέγνως. Profecto de meo permittes mihi ut ſenſum tuum qualis ſit conjectura aſſequar. Non puto tibi probaſſe ut deinceps *Caniſſam* pro *Caſina* legamus, cum certum ſit tribus brevibus illam dictionem in Plauto conſtare. Nec *Caniſſam* eſſe Κυνίζουσαν cenſebis, nec inde dictam cum id autumabis à loco Atticæ urbis Κυ-

νὰς

νόσταργες nomine. Idem ferendum judicium de cæteris omnibus correctionibus Plautinis. Nulla quippe eſt ex omnibus quam pro vera ac probata ſumere auſim ; multæ abſurdiſſimæ. Quas in Græcis Auctoribus excogitavit, nihilo meliores. Legem Senarii Jambici apud Græcos Comicos non videtur tenuiſſe, adeo ſæpe contra metri menſuram offendit. In Punicis Plautinis an melius illi ſucceſſerit, tuum eſto judicium. Non tantus ſum Hebræus, ut me interponere audeam. Video tamen multa eſſe quæ non cohæreant ; & videor etiam id poſſe oſtendere, cum paulò plus acceſſerit firmitatis ſtudiis meis in Hebraiſmo, & Arabiſmo, quibus nunc conjunctim & totus incumbo ; eo maxime ſine properans, ut ſi poſſim evitem oſtentationis in parvis vitiũ, quod ſequi ſolet ὀψιμαθεῖς, præſertim ubi ſtudia trahunt. Etenim qui ad ſcribendum accedunt quę ad perfectum nondum didicerunt, multa pro abſconditis vel reconditis temere venditant obvia & in promptu poſita longiùs provectis. Sed de his aliàs tecum. Digna profecto res diſquiſitione *Vermicaulis* illa oſtrea, quam ex lignis putrefactis in aqua gigni compertum eſt. Operæ pretium præterea quærere, cur non ubique naſcatur, ubi aqua & mare & ligna ſimiliter ex vetuſtis navigiis putredine labefacta. Dicendum & cœlum quoque conducere. Nam cur in Hibernia & Anglia tantum ? Cur hodie atque heri in veſtra Batavia idem quoque exploratum ? Et videndum an non ligna illa quæ producunt apud vos hunc conchiferum vermem, ex Britannia per mare delata eò ſint, & in veſtrum littus ejecta. Nec verò illis habenda fides, qui *Bernaculas* aves ex eodem conchylio generari affirmant. Et bene tu admonuiſti de nova Zembla, ubi ova viſuntur & aves inde ortæ iſtiuſmodi. Quid deinde ſimile, volucris & conchylium? Certè & papiliones ex erucis fieri notum. Sed & corpus papilionis formam refert erucarum: iiſdem coloribus pennę papilionis variegatę, ac tergum erucę ex qua prodiit; & alia multa ſimilia. Nihil cognati eſt conchæ cum ejuſmodi avibus, quæ *Bernacæ* vocantur. Vale ὦ θαυμασιώτατε. Divione. VIII. Id: Mai. CIↃ. IↃ. CXXX.

EPISTOLA XVIII.

HUGONI GROTIO,

Lutetiam.

GEminæ mihi lætitiæ cauſa acciderunt litteræ tuæ & Voſſii noſtri, quas ſimul accepi; quo me amico nunc uti idque tuo debere beneficio, ne vivam niſi nimio quanto opere gaudeo. In ejus litteris ambigebam quis eſſet Somerdicenſis Dominus, quem impenſius ait favere illi negotio, de quo aliquid te audiſſe nullus dubito. An idem qui & Aerſſenius proprio nomine? Ita quidem eſſe ex re ipſa videor conjecturam facere poſſe. ***** Ad me quod attinet, parum ſum ſollicitus quem exitum res iſta habitura ſit, niſi quod doleo cum in locum deductam eſſe, ut neceſſe ſit aut vincere aut vinci. Sed & commiſſum me cum illo homine moleſtè fero, cui multum defero, quem & loco illo & ſucceſſione quam ambit digniſſimum judico, ut nec digniorem alium profitear me ſcire aliquem. Cur igitur alii detur quod ipſe ſupra omnes meretur & ante omnes? Quod ſi adfuiſſem in illo Conventu Academico, quo tractatum eſt negotium, & ſententiæ dicendæ jus habuiſſem, ad victoriam nec illi meus defuiſſet calculus. Exſpecto quid ſtatutum fuerit, nec dum apud me ſtat utram in partem malim propendiſſe ſententiarum ſummam; adeo multa ſunt, quæ me dehortantur à vertendo ſolo. Sed hæc aliàs tecum pluribus. Lætor Thuanum arbitrium in ſe recepiſſe componendæ litis inter Aurelianenſem & amicum illum noſtrum. Aliud tamen ipſe timuit in illis quas nuper ad me dedit. Aurelianenſem ſcribit irarum plenum libros adverſus ipſum parturire, & quidem Latinè concipiendos, ne noſter ille glorietur ſolum ſe hodie exiſtere qui Latinè ſciat ſcribere. Hanc ejus eſſe mentem non obſcuris indiciis ſæpe mihi in communi converſatione oſtendit. Eat nunc, & Latinitatem Charactere inſignitam cincinnis illis ſuis & calamiſtris oppugnet. Si Character ſcientiam etiam ἀδιδάκτοις infundit; quidni & ſti-

lum,

Digitized by Google

lum , & quidem phaleris omnibus N. N. potentiorem ? Satis hoc illi negotii fuerit, etiamſi novam uxorem non duxerit; de qua audire cupio quid faciat, an etiam nunc trahat miſeram ? De Exiguo permoleſtum mihi accidit quod ſcripſiſti, Plutum illi Ariſtophanis, quem elucidavit, nihil profuiſſe, ut Æſculapium ſaltem aliquem reperiret, qui veri Pluti oculos aperiret in ſui gratiam. Diſcrucior non in talem incidiſſe, qualem inducit Comicus. De Punicis Plautinis tecum ſentio, vel Pluto cæciorem in plæriſque deprehendi. In primo verſu omnes aberrarunt, quem ſic componendum judico & judicii etiam tui facio , את־עליונים ועליונות שקרת הזאת מקום ית ; quod eſt *Deos Deaſque, quibus urbs hæc habitatio eſt.* Plautus ad verbum, *qui hanc urbem colunt*. ירת pro יש. Non dubito quin illud *Corath* Plautinum ſit *urbs*, Hebraicè *Kereth*, quæ Syris *Kartha*. Eadem illa quæ ſcribis animadverteram de repetitis verſibus ex διττογραφίᾳ; ut & *Autidamas con*, Antidamas fuit, idque ex Arabiſmo meo, quibus كان eſt, *fuit*. Hebræis autem puto & Phœnicibus perpetuum eſt, ubi eſt Arabicum *Elif* ponere *Vau* , quod in ſexcentis obſervavi. Mirum vero Pœnos Phœniciam linguam vel uſque ad extima tempora pæne puram conſervaſſe, ut conſtat ex multis Auguſtini locis; apud quem *Namphanio* ille, in quo hæret Seldenus, debet eſſe *Namphamio*, ut ſæpe in libris vetuſtis N. pro M. reperitur exaratum. Nullus certè liber eſt Plinii aut Solini, quamlibet antiqua ſcriptus manu, in quo non *Minas* pro *Mimante* monte offenderim. *Namphamio* plane Punicum proprium nomen, quod *boni pedis* hominem ſignificare ſcribit Auguſtinus, nempe נעם פעם. Ita ſum totus in Hebraicis & Arabicis, ut tamen priſtina ſtudia non deſeram, & illas linguas, quibus pueritiam meam exercui. Non totum illis tempus do, ſed horas tantùm ſubciſivas, quæ nihil agenti aut aliud perirent, niſi iſtis impenderentur. Linguarum harum cognitionem diu eſt cum ſtudiis meis deeſſe animadverto, & citius incepiſſem ſi magiſtri copia fuiſſet. Dum hoc expecto, penè factus ſum ſenex fruſtra deſidendo. Placuit tandem experiri ecquid ſine magiſtro poſſem proficere , ut in

Græcis

Græcis & Latinis feceram. Satis hoc bellè procedere ſentio, nec memoria provecto magis decoquit, quam puero fecit. Siquid deinceps litterarum ad me voles, Drovartio trades; is curabit mittendas, cum in ejus vico ſtabulentur veredarii noſtri, qui ſingulis nunc ſeptimanis eunt redeuntque. Vale, Vir magne, & qui te magni facit, ſaltem amare digneris. Divione Kal. Jun. CIƆ. IƆ. CXXX.

EPISTOLA XIX.

GERARDO JO. VOSSIO.

Amſtelodamum.

TUis, quas nudiustertius accepi, jam reſpondeo, amiciſſime Voſſi, ut ne in mora ſim; præcipuè ubi nihil excuſationis ſuppetit aut cauſæ qua reſponſum differam. Otio enim hic fruor, eoque abundantiſſimo, nec quicquam nunc ſuccurrit quod agam, aut in quo me occupem. Cum Lutetia Pariſiorum in hanc urbem veni, tertium Tomum parabam *Exercitationum Plinianarum*, & earum quidem ſelectarum, non ſub Solino duce detexendarum. In eo adhuc ſum, ſed lentius procedo & mihi parco, ſegnior redditus ex febre quartana, quæ per quattuor menſes ſatis exercitum me habuit. Jam alter hic eſt menſis quo ea careo, faſtidium tamen reliquit ſtudiorum & priſtinæ diligentiæ curſum nonnihil tardavit. Pro volumine *Oratoriæ* tuę gratias ago, etſi nondum acceperim; ſed in acceptum referre debeo quod jam manu tua emiſſum eſt, ad hoc ut meum ſit. Cur gratiam facias promiſſi voluminis Exercitationum cauſæ non eſt, niſi fortaſſe metuis magno libro quaſi magno infortunio mactari. Sed non debes melioris eſſe ſortis quam cęteri mei amici fuerant, quibus malum illud grande objeci. Si quid in eo erit boni, conditionem tuam pejore loco eſſe nolim, quàm illorum omnium fuit quibus hoc munus impertii, cum neminem eorum merito tuo tibi anteferam. Lutabam

tabam jam ad te miſſum, & Librario diſcedens in hoc dederam ut prima quaque occaſione curaret perferendum. Dolet mihi nondum hoc eſſe impletum. Scribam ad eum ut ſciam quid illo fecerit. Ad negotium illud quod attinet διαδοχῆς Scaligerianæ, ſi ſciſſem rem difficultatis aliquid habituram, aut eum hominem quem ſcis, ********* Deſideriis ejus votiſque nunquam me opponam, quin potius meo calculo, ſi res in eo verteretur, adjutum velim ac promotum. Profectò, quamcunque in partem vergat Academiæ deliberatio, ſecurus ſum. Immo & in alteram malim quæ homini docto placebit, ut placatum potius habeam quam inimicum. Sed quodcunq; acciderit, amicis meis ſatis erit datum, qui me ad eam conditionem, ſi offerretur, accipiendam impulerunt. Per me certè non dicent ſtetiſſe. Vale vir magne, & crebrioribus tuis deinceps me bea. Divione Kal. Jun. CIↃ. IↃ. C XXX.

EPISTOLA XX.

HUGONI GROTIO,

Lutetiam.

PRæterita ſeptimana qui tuas mihi reddidit tabellarius, idem & amici noſtri attulit, quæ ne γρῦ quidem ſignificabant de libellis, quibus invicem certarunt ipſe & Epiſcopus. Hoc tantùm obiter tetigit, per aliquot hebdomadas intermiſiſſe officium ſcribendi, quia turbas ſibi de novo concitaſſet implacabilis Epiſcopus, quibus denuò conjectus ſit in magnos animi æſtus. ******* Gratiſſimum porrò mihi feciſti, quod me neſcire nolueris quid novi haberent illa ſcripta, quibus magno opere contendunt duo Doctiſſimi Viri, alter ut bonam cauſam deſerat, alter ut deſtruat; quorum alterum prævaricatoris eſt, alterum calumniatoris. Neſcio an patientiam meam diutius potero tenere, ne veniam aſſertor veritati. Statueram hoc differre in tempus editionis Commentarii mei in Eliberinos Canones, cui totam illam quæſtionem

fuſe diſceptatam inſerui ad canonem XXXII. quo ſancitur etiam lapſo & pœnitentiam agenti, cogente infirmitate vel Diaconum poſſe communionem præſtare. Pœnitentium & lapſorum ſcimus odioſiſſimam ſemper fuiſſe cauſam. Apud ſolum Epiſcopum pœnitentiam agebant, & per eum ſolum reconciliabantur. Vult tamen ἀνάγκης κατεπειγούσης vel à Diacono accipere communionem. Nulla tunc temporis neceſſitas venire poterat, qualis ſæpe contingebat ætate Tertulliani ſævientibus tum maxime perſecutionibus. Si Epiſcopi abeſſent, Preſbyteri ſaltem aut Diaconi aderant, quibus in caſu neceſſitatis agere licebat, quæ muneris erant Epiſcopalis. At Tertulliani ævo in perſecutionum curſu non raro accidebat, ut in tota aliqua provincia nulli eſſent nec Epiſcopi nec Diaconi, quod eos præcipue petebat tyrannica vis temporum. Quo caſu laicis, quoniam aliter non poterat, permiſſum fuit communi Eccleſiæ conſenſu tingere & offerre, hoc eſt, in duobus neceſſariis Sacramentis hanc licentiam uſurpare. Et ſane nulla neceſſitas ſingi poteſt, niſi ſit de re neceſſaria ac neceſſariò facienda. Eam ſi præſtare non poterat cujus jus erat, neceſſitas poteſtatem illi dabat quam jure non habuiſſet ſine neceſſitate. Quo magis ridicula videri debet interpretatio Characteris, qui *offerre* in eo loco Tertulliani accipit de oblatione panis benedicti. Nulla neceſſitas obligare laïcum potuit ejuſmodi oblationi faciendę; non enim ad ſalutem neceſſaria. Præterea nunquam ejuſmodi oblationes uſurpari ſolitæ, niſi eo tempore & eo loco, quo τελεία προσφορὰ fiebat, Sacramentum nempe corporis & ſanguinis Domini. Ridiculus præterea qui putet *offerre*, cum abſolute ponitur, de alia oblatione accipi poſſe. Nullum exemplum produxerit. Quæ ad eam rem produxit, falli eum docent. Nam ſemper aliquid habent adjunctum quo deſignatur genus oblationis. Late hoc pertractabo, & infinitis exemplis rem firmabo. Decrevi partem illam reſectam ex Commentario meo ſeorſim edere: quod brevi fiet, & jam feciſſem niſi me tenuiſſet exſpectatio Lugdunenſis negotii quorſum evadat. Si ibi non poterit edi, Sedani curabo per Juſtellum noſtrum.

Mirum

Mirum porro eſt Can. LVIII. Concilii VI. in Trullo laïcis interdici, ne præſente Epiſcopo, aut Preſbytero, aut Diacono Sacramenta ſibi ipſis adminiſtrent, & qui contra fecerint tam levem imponi pœnam, ut per hebdomadæ tantum ſpatium abſtinuerint cætu fidelium. Inde ſequitur potuiſſe hoc jure facere per abſentiam Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi. Quod & notat ad eum locum Zonaras: ὁ δὲ ἄνευ ἀνάγκης, μὴ παρόντος δηλονότι ἱερωμένου, μεταχειρίζεται ταῦτα τολμῶν καὶ ἑαυτῷ τούτων μεταδιδόναι, ἱερωσύνης αὐτῷ δοκεῖ περιελθεῖν ἀξίωμα. Reus qui nulla neceſſitate urgente, hoc ſibi ſumit; Ergo ubi neceſſitas eſt, etiam jus eſt laïco ſacerdotis agere partes in ſacramentis adminiſtrandis. Poſſet aliquis contendere hoc intelligendum de pane conſecrato, quem domum ferebant, & in hos uſus ſervabant, ut ſi quando neceſſitas incideret ſe ipſos communicarent; Sed vinum ſervare non poterant. Atqui certum nunquam eos communicaſſe niſi ſub utraque ſpecie, quicquid contra pertendant duri capitones. Eo caſu reperio uſos quidem eſſe pane illo ante conſecrato & ſervato; ſed vinum ipſi benedicebant. Sic interpretor canonem xxv. Concilii Laodiceni, quo vetantur ſubdiaconi ἄρτον διδόναι & ποτήριον εὐλογεῖν. Quia dicit ſimpliciter ἄρτον διδόναι, poſſet dici & intelligi de pane jam ſanctificato. Sed non ſcius ſum & aliter poſſe accipi. Nam per panis traditionem etiam ſanctificationem intelligi nihil vetat. Ut cum dicit Paulus τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, per *fractionem* nemo eſt, qui non videat etiam intelligi conſecrationem. Paulò ante dixerat, τὸ ποτήριον ὃ εὐλογοῦμεν. Video cur noluerit in hoc Sacramento conceſſam laïcis licentiam, quam in Baptiſmo dant vel mulierculis. Magnum certè hoc myſterium, & quod peſſumdat totam illam μετουσιώσεως ſcenam. Ideo non putant rite eam confici poſſe, niſi ab eo cui character impreſſus ſit. Alioqui nulla hic differentia inter Baptiſmum & hoc Sacramentum corporis. Si laïco illud permiſſum adminiſtrare neceſſitate cogente, cur hoc negatum? Profectò quantivis momenti locus ille Tertulliani ad oſtendendam non ſolum Eccleſiæ illius temporis πρᾶξιν, ſed etiam in praxi doctrinam circa Sacramentum hoc. Aſſerendus itaque.

Vidi nuper Teſtamentum Muhammedis. De veritate ejus nullus dubito. Sed nollem ita reddidiſſet Interpres. Nihil enim minus quam Teſtamentum. Fœdus eſt & pactio, qua ſecuritatem Chriſtianis dedit; cujus & mentionem facere videtur Almachinus in vita Muhammedis: ubi narrat ex hiſtoriis Chriſtianorum, addictum fuiſſe Chriſtianis illum impoſtorem & benevolum; & cum ad ipſum quidam Chriſtiani veniſſent petentes ſecuritatem, impoſuiſſe his tributum, atque in fidem eos ſuſcepiſſe: in Arabico plus eſt وكتب له بالامان, quod ſonat *& ſcripſit eis ſecuritatem.* Quod de hoc fœdere patet intelligendum, العمل non ſemper *teſtamentum* ſignificat, ſed etiam fœdus & pactionem. Inter alia, quæ Interpres male vertit, illud etiam eſt quod pagina 4. في معاملي vertit *in Provinciis meis*: Imò in arcibus & propugnaculis. Tanta tunc impoſtoris nec tam extenſa ditio fuit, ut plures Provincias ſub ſe haberet; aliquot tantum præſidia & arces & propugnacula in aliquot Provinciis. Prӕterea vox Arabica non Provinciam deſignat, ſed caſtella, ثغر ex Hebræo שער, more ſolenni Arabibus mutandi ש in ث; Portas in ea lingua ſignificat, imo & habitationes, ut in Decalogo, *& Peregrinus qui in tuis portis* בשעריך, ubi habet Arabs في منزلك اوبيتك *in domo tua, vel habitatione*. Et hæc obiter. Si videris locum Almachini, non dubitabis de ſcripto. Habetur p. 11. Hiſtoriæ Saracenicæ Erpenii. Vale ſæculi decus, & me ama. Divione III. Id. Jul. CIƆ. IƆ. CXXX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

NOn ſolum Cardinalibus, ſed etiam mihi rem minime gratam facis, qui me donesეo titulo, quo tu dignior, ſupereminentiſſime Groti. Quid enim te non ſic appellem, cujus me multo ſimilem eſſe malim, quàm omnes purpurati illius gregis divitias & honores poſſidere? ſed illi valeant cum ſuis divitiis & honorum eminentiis. Pluris ego & merito fecerim à te amari, atque æſtimari, quàm eo modo eminentiſſimum fieri. Non jam autem Græcis aut Arabicis mercibus, quibus plus abundas, hæc onuſta ad te veniet; ſed Batavicis è Burgundia, quod inſtar erit miraculi, ad Batavum importatis. Scito igitur menſe Junio ſub finem, quo die jam non memini, Conventum Academicum extra ordinem fuiſſe coactum, ac decretum de me vocando factum. ****** Reſpondi quod volui, imò & quod debui ***. Ut video tuus ſemper ero, etſi nunquam Batavus. Non difficile fuit animum meum ab omni migratione abhorrentem, minimeque aventem vagari, multò minus in ſolo externo, & fortaſſe inſalubri, degendi cupidum ab illa cogitatione in totum avertere, quam amici quidam mihi inſeverant. E Batavia tam cito excipiet me hinc iterum Lutetia veſtra ſtudio inviſendi amici de quo tam ſæpe ac tam multa inter nos. Leviſſima erant quæ antea de illo querebar. Furtum aliquod aut plagiolum tenuis correctiunculæ, aut obſervatiuncula clanculum ſublecta. Nunc injurius ſim ipſe mihi, & formæ meæ iniquior, ſi muſſitem injuriam quam ab illo nuper accepi, inſigniter gravem. Vidiſti, nam & vidiſſe per literas mihi ſignificaſti, ſcripta illa quibus Aurelianenſis, & iſte inter ſe velitati ſunt. In ſententia hujus explicatiore, ultima obſervatione hæc verba poſita leguntur, quæ in me intenta niſi ſcirem, non ita fortaſſe interpretari auderem. *Scio virum cætera probum, magnumque*

gnumque quem ad Catholicæ pietatis officia reduci ſummoperè mecum boni omnes cupiant, & reduci quidem poſſe minime deſperabant nullo magis impedimento quàm hujuſce meæ vexationis indignatione retentum, & conſimilis conditionis metu deterritum. Imò vero nihil eſt quod æquè mihi indignationem poſſit movere, quàm hæc verba tam ab omni parte mendacii, impoſturæ ac perfidiæ pleniſſima. Scilicet niſi Aurelianenſis *** vexaſſet, ſpes erat, immo certa res erat me Catholicum Romanum futurum? ſcilicet ego indignatus ſim tam malè *** ab Aurelianenſi tractari, qui ipſi in os dixi non ſemel, ſed ſæpius hoc ipſi ſibi intriviſſe, hoc meritum eſſe, nec de alio, quàm de ſemet ipſo quæri poſſe? Ego denique nimium timidus ac meticuloſus quem nulla præmiorum ſpes, nullus impendentium periculorum huic profeſſioni metus de ſententia potuit demovere leviculæ vexationis quaſi aciculæ punctionis formidine deterrerer? Non ſolum hæc omnia quantum ab omni ſimilitudine veri, nedum veritate abſint qui mea intima optimè noſti, unus maxime tenes, ſed etiam ipſe ſibi conſcius eſt *** nullam impudentiorem à ſe potuiſſe confingi calumniam. Qui ſæpiſſime fruſtra me interpellaſſet de mutanda Religione, ubi ſe, libenter ejus verbo utor, vexari ſenſit ab Epiſcopo propter illam Tertullianici loci interpretationem, aliam derepente ad me cepit canere cantilenam, & impenſius dehortari, ne in illas ubi ipſe erat partes tranſire vellem. Etiamſi multa mihi promitterent non ſtaturos promiſſis, viderem præterea quomodo acciperentur apud eos qui veritati lucem commodare cuperent, bene inquam tum reſpondi, quod tuum nunc conſilium eſt, meum ſemper fuit propoſitum. Quod ſi hæc omnia ut ſe habent, atque ut dicta ab illo fuère proferrem publice, quid? Quid fieret illi miſero? Nihil certè foret miſerius. Proſpicere videor qua mente uterque tam familiariter de meo corio inter ſe ludere ſibi permiſerint. Voluit Aurelianenſis homini ſuo invidiam conflare de loco Tertulliani, cùm diceret eam emendationem & expoſitionem obſtitiſſe mihi ne hęreticarum partium transfuga fierem. Rejicere in illum contendit alter onus iſtius

iſtius invidiæ prædicando per illam potius perſequutionem quam eo nomine pateretur factum eſſe, ne cupido me inceſſeret ejus religionis capeſſendæ quæ ſtudiorum libertati adeo iniquam ſe præberet. Tales habere amicos nihil moror, qui reapſe ſunt inimiciſſimi. Sed hæc alias. De Teſtamento Muhammedis tecum pugnare nolo. Operio jam noſtro reſcribo, cui velim meas reddas, & ſi per te licet libet heic Ampliſſimo Bignonio plurimam impertire ſalutem, & gratiſſimas agere gratias pro miſſitatione Lexici Spelmani, de quo nihil reſcieram, niſi hoc tantùm ab authore adornari. Vale Divione VI nonas Aug. CIↃ. IↃ. CXXX.

EPISTOLA XXII.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

SIlentio tuo non offendor, ἐξοχώτατε Groti; nihil enim me poteſt offendere quod tuum ſit. Sed ex eo ſuſpicio nec vana fortaſſe incidit poſteriores meas non ad te perveniſſe, in quibus quia ſat multa in quendam tibi notum evomueram quæ ſtomachus concoquere non poterat, vereor ne quoquo modo interceptæ in ejus manus ceciderint. Audio enim illum jam parum amicè de me loqui, nec amplius me pro amico habere. Sed parva mihi cura quid ille de me ſentiat, haud ſane major quàm quid illi Patres, quorum in ſpeciem totus eſt, cùm animum aliò habeat. Vidiſſe te puto quid Petavius in me nuper ſtrinxerit in Uranologio ſuo, qui me comitem Hiſpano dedit, quod genus tamen familiare ipſis magis quàm mihi. Utut ſit, illum reprehendit quod non ſatis ſit Grammaticus, quo probare intendit aliis in rebus imperitum eſſe, me verò quia nimius ſim in re Grammatica, ideo nihil ſcire contendit. Quis quis igitur eſſe debeat, ut illis placeat? Nempe Jeſuita: Quomodo Stoici olim ſapientem ſuum quidvis eſſe aſſerebant, Rheto-

Rhetorem, Regem, Grammaticum, Philoſophum, fabrum; ſic ut aliquis ſit unus omnia, eum oportet nunc eſſe Jeſuitam. Me totas aliquando paginas in ſinum meum avertiſſe inſimulat ex Biſciola quodam, qui nec de nomine mihi notus. Et hunc de grege illo eſſe neceſſe eſt quem honorificè ſemper appellat & Noſtrum. Solo ſilentio deinceps me vindicare decrevi. Quis enim futurus eſſet finis aut modus, ſi in illud cum talibus altercandi pelagus me darem? Video præterea quid agant. Hoc nimirum ut à melioribus abducant ſtudiis, & tempus in his frivolis & ſpinoſis ἐριστικοῖς conſumere cogant. In hoc ipſo quod nunc eſt ad manum argumento, abunde materies ſuppetit qua redhoſtiam. Ab incepto opuſculi, quod moliri me tibi ſignificaveram, ſenſim delapſus ſum in majoris operis propoſitum, materia, ut fit, ſub manum creſcente. Ad hanc rem quam tracto maximo mihi eſſet adjumento Canonum illa collectio Epheſina, quæ Amburgi eſt. An ſpes penitus decollaverit ejus obtinendæ cupio ex te cognoſcere, de quo & ſcripſi nuper ad Juſtellum. Operio, ſi adhuc hęret Lutetię, multam ſalutem meo nomine velim impertias. Dubito & an meas receperit, quæ cum illis unà erant quas ad te ante duos menſes dedi, quibus adhuc reſponſum expecto. Vale, Vir maxime; IV. Kal. Octobr. CIↃ. IↃ. CXXX.

EPISTOLA XXIII.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

QUi ceſſationis tuæ cauſas à te expetebam, nunc tibi meæ cogor reddere, ſumme virorum, quibus intermiſſum officium litterarium potius quàm omiſſum excuſem. Sanè quod in reſpondendo ſolito tardior fuerim, multa afferre poſſum. Domeſticas primum occupationes, & quædam περιςατικά, quæ ab illo tempore meæ ſpontis non me eſſe ſiverunt. Deinde & valetudinem tentatam non tam illo morbo perni-

Digitized by Google

perniciali, quàm ἀκηδίᾳ quadam & rerum omnium, imò & hominum ſatietate. Quis enim hodie vivere volupe habeat, hoc prærertim ſeculo, quo niſi parem te geras improbis, vix probari poſſis? Unus aut alter ſaltem efficitis, ut ne ἀποκαρτερεῖν optare libeat, ut tu & Ampliſſimus Bignonius noſter, quibus tertium vix invenio quem adnumerem. Nam quid ego dicam de illo amico quondam noſtro, cujus cauſa cùm omnia ſemper facere ſtuduerim, quemque etiam nuper adjuverim totis viribus in illa liticula quæ eum in hac Curia hactenus cum conſortibus exercitum habuit, eam tamen vicem rependit, ut nunquam ulla in re à me rogatus ſit, niſi fruſtra. Cùm ante menſem eum interpellaſſem de obtinenda ab amico Canonum Arabicorum collectione, cujus ipſe ſalivam mihi moverat, & ſpem etiam habendæ oſtenderat, tergiverſationes quæſivit, & honeſtè quidem, ſed ſatis apertè operam ſuam ad hoc negavit. Valeat igitur ille & alios quærat qui tam ſterili amico gaudere queant. Eum ego ſuſpicor æquè doluiſſe Nomophylacis remotione, quàm lætatus fuerat Aurelianenſis morte. Ut audio ſane turbæ ſunt in aula & ſchiſmata, quæ quò tandem eruptura ſint Deus novit ſcilicet, ſed & hominum ſagaciores prævident. Hæ dividiæ urbem noſtram ſervarunt ab imminenti immani vexatione ac præſidii militaris impoſitione, qua ſe multandam putabat ob rebellionem vel pertinaciam potius in repudiandis Electionibus. Reſpondi Voſſio noſtro, & literas ad eũ, ſi placet, curabis. ··· Vidi editionem Juſtini nitidam, ita me Deus amet, atque elegantem. Tam politos ac lepidos characteres in ea urbe reperiri vix putaſſem. Probaſſem tamen magis (ut libere dicam quod ſentio) Notas in ultimum rejici locum, nec nitorem textus tot paragraphis & litteris inſertitiis maculari. Puto te vidiſſe Miſcellas Exercitationes Petavii quas Juliano addidit. Similes ſunt cæteris ejus in me ſcriptis. Quod ſi illa omnia peccaſſem, quæ adnotavit, non tamen deeſſet quo gloriari poſſem, adeo pauca ea ſunt contra immanem numerum τῶν οὐκ ἐσφαλμένων. Atqui vel ea ipſa quæ pro culpis numeravit, in laudum habenda cenſu diligens æſtimator videbit. Ridiculus planè eſt in obſervatione prima de Heſſenis, ubi omiſſionem typogra-

phicam unius voculæ mihi imputat, atque in eo triumphat, & in tantum ſtupidus eſt ut perſuaderi poſſe ſperet me eo ſtupore fuiſſe ut crediderim ſolem nocte lucere. Talis eſt in omnibus. Si ullus modus aut finis futurus eſſet cum hujuſmodi hominibus altercandi, facile ac libenter omnia confutarem. Sed nulla adeo manifeſta dari poteſt veritas, cui manum dare ſuſtineant. Accepi nuper litteras à Germano quodam Johanne Weitzio, Grottà Thuringorum ſcriptas: nec homo mihi notus, nec locus. Si tua opera notius utrumque mihi fieri queat, fac quæſo ſciam, de homine præſertim. Nam Thuringos ex Geographia novi. Apparet hominem eſſe in hoc noſtro ludo doctum. Petit à me Valerii codicem manu ſcriptum, & Marium Victorem. Neutrum habeo nunc, utroque uſus ſum à Jureto. Ei reſcribo, ſi qua tibi erit occaſio litteras rectè ad eum curandi, in meam gratiam hoc enitaris rogo. Fortaſſe hoc & illi tribueris, ſi quidem tibi non ignotus ſit; Francofurtum ad Mœnum ex ipſius præſcripto eas deſtinavi ad Tabernam librariam Clementis Schleichii. Ampliſſimum Bignonium ſaluto, teque ſalvere jubeo. Divione, v. Kal. Decemb. CIƆ. IƆ. CXXX.

EPISTOLA XXIV.

GERARDO JO. VOSSIO.

Amſtelodamum.

TUis litteris me invitari ad Scaligerianam διαδοχὴν capeſſendam non invitus audio, doctiſſime Voſſi. ***** Vellem ſanè hoc mearum rerum ſtatus ferret, ut omnibus quæ heic poſſideo divenditis, transferre illuc fortunas poſſem, Laremque apud vos figere atque inter vos verſari liceret. Satis magnũ ex veſtro convictu ac familiaritate pretium migrationis mihi videretur, nec amplius quidquam ſpectarem. O me beatum, ſi tot doctorum hominum colloquio, qui iſtic degunt

gunt frui daretur. Nunc vero id agitur ut *******. Longe honeſtius mihi ducerem nullo propoſito prçmio ſedem iſtam ſenectuti meæ deligere, ubi libertati ſtudiorum pariter & conſcientiæ vacare contingeret. Quod & facerem, ſi mei res penitus eſſet arbitrii. Sed patrem habeo jam ſenem, & in ampliſſimo honore, cui obſequi debeo. Is vero me à ſe avelli in longinquas oras diſceſſurum non poteſt niſi ægerrime ferre; præſertim *****. Huc adde conjugem patriæ ſuæ cœlum ac omnia hic molliora, ne meliora dicam, rigidiſſimo, ut perſuaſa eſt, ſolo ſaloque mutare recuſantem *****. Mulierum ſenumque iſta ſunt. Non ego his moveo, & poſſem tendere contra tot obſtacula, niſi *****. Hæc & cætera his ſimilia veſtris per eruditiſſimum Rivetum reſpondi. Verùm hæc omitto. Habeat qui dignior eſt. Nunquam indignabor, ſed nec invidebo. Non eſt quod gratias agas pro Exercitationibus noſtris. Abundè fuerit, ſi à me illas redditas interpreteris pro tot litterariis donis, quibus me ante beaſti. Opus illud, niſi mole æſtimetur, haud ſcio cujus pretii. Haud ſanè magni. Ad mea errata acceſſit typographorum ampla ſeges. Nec aliter potuit, cum per abſentiam meam excuderetur, & me ruri morante, ubi librorum penuria acerrima laborabam, ac petendi erant ex urbe cum magna moleſtia. Tertium tomum addere parabam, in quo & Plinii errores cçteros, & Herbariorum etiam noſtrorum aperio, & jam in fine eſt; jamque excuderetur, ſi Lutitiæ Pariſiorum manſiſſem. Intermiſſum verò hoc Opus, ob eamdem qua heic premor librorum penuriam, præcipue Arabicorum. Medici hodie pauci ſunt, immò nulli, qui litteras norint Arabicas. Ex his vero qui Arabicè ſciunt, neminem ſcio qui rei Herbariæ ac Medicæ ſtuduerit. Hinc tot commiſſa peccata in ſimplicium cognitione, quorum vocabula certa & incorrupta vix ab Herbariis noſtris tenentur. Hinc etiam συνωνύμων tanquam ὁμωνύμων, & contra, immanis confuſio, aut imperita diſcrimina. Quibus elucidandis ac diſtinguendis totum illud tertium Volumen datum eſt. Nunc aliud ſum aggreſſus dum illius edendi copia detur. Controverſias omnes, quæ Religio-

nem hodie dividunt, explico, auſpicatus ab Ordinis Eccleſiaſtici inſtitutione, & in eo Primatu Papæ in Monarchiam, mox & Tyrannidem degenerante; à quo tanquam à capite omne malum in Religionem inceſſit. Sed hoc non unius anni negotium. Pro Eliberini Concilii commentariis quos moliebar, in hanc cogitationem diſceſſi, cui & totum ferè illud Concilium cum aliis impendi. Vale, & ama, quamvis loco diſſitum, voluntate ac ſtudio tibi conjunctiſſimum. Divione, IV. Cal Decemb. CIↃ. IↃ. CXXX.

EPISTOLA XXV.

A MONSIEUR DAILLE.

F. M. D. S. E.

A Paris.

MONSIEUR,

M'Attendoy touſiours à vous faire reſponſe, que quelque occaſion s'en preſentaſt; non que je n'en euſſe touſiours aſſez de ſubject, mais crainte de vous divertir de vos ſainctes & ſerieuſes occupations; & ce que j'en fay maintenant, n'eſt que pour me ramentevoir en voſtre ſouvenir, n'ayant voulu laiſſer aller Monſr. Durant Paſteur de noſtre Egliſe, ſans le charger de ce mot pour vous, puis que c'eſt ſon deſſein de vous voir, y eſtant obligé par l'affaire qui le meine à Paris, quand la ſocieté du Sainct Miniſtere, & la particuliere familiarité qu'il me dit avoir avec vous, ne l'y obligeroit pas, Il y va pour une notable vexation qui luy a eſte faicte, & laquelle vous ſçaurez mieux par ſa bouche. Je ne ſçay ſi vous aurez eu reſponſe de Monſr. Rivet; ce n'eſt pas que j'y treuve aucun intereſt, d'autant que ma reſolution eſt abbuttée à ne plus rien attendre, ni entendre à rien de ce coſté la. Je ſuis encore ſollicité du coſté de Venize; mais je n'y auroy qu'une demie liberté. Il me

faudroit

faudroit pour le deſſein que j'ay à preſent en main, quelque lieu plus libre, & plus ſeur que la France. Car j'ay quitté toute autre ſorte d'eſtude, pour me livrer & manciper à celle où j'ay tousjours eu ma viſee. A cet effect j'ay entrepris de traicter toutes les Controverſes, & en chemin faiſant reſpondre aux principaux traictez du livre du Cardinal. Ie commence par l'Ordre Eccleſiaſticq, *&* l'Hierarchie, *dans laquelle je recognoi le Primat du Pape, comme primat d'ordre, qui eſt degeneré en Monarchie, & puis en Tyrannie. Tout ce qui ce peut dire ſur ce ſubject je l'eſtalle amplement, & par un chemin non encore frayé. Ce premier Traicte eſt deſia fort avancé, & pourroit s'imprimer ſeparement: j'y attacheray en ſuitte par une liaiſon, qui les joindra enſemble, tous les autres Traictes; comme apres les degres de l'Ordre, le* Primat, *la* Function; *puis les* Sacrements, *& tout ce qui en depend, & qui appartient proprement au Miniſtere; & enfin tout ce qui eſt en controverſe, entre nous & nos Adverſaires. J'avoy achevé mon Exercitation ou Diatribe, ſur le paſſage de Tertullian; mais ne ſçachant comment la faire imprimer, j'ay trouvé plus expedient, de l'inſerer & l'employer dans un plus grand œuvre. Tout ce que j'avoy auſſi remarqué ſur le* Concile Eliberin, *ne manquera d'y eſtre mis, ayant jugé qu'il ſeroit plus à propos de me donner la liberté de courre en un champ tout plein, que de m'aſtreindre à ſuivre le texte d'un Autheur, en faiſant des Notes; où je ne pourroy tout dire ce que je voudroy, que par des grandes, & quelque fois impertinentes digreſſions. Voilà ce qui eſt de mon deſſein, outre celuy que j'ay de demeurer à jamais,*

MONSIEUR,

A Dijon, ce 27 Novemb. 1630.

Voſtre tres-humble & tres-affectionné Serviteur,

SAUMAISE.

EPISTOLA XXVI.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

DEinceps ad te ſcribenti non ingenium in numerato, ſed verba & ſub clave eſſe debere video; nec ſpargenda amplius, ut ante ſolebam, ſed parcente manu eroganda. Apparet enim qui Opitio aſſentiaris ſilentium interpretanti ſtudiorum reverentiam, parem quoq; tuis haberi velle honorem, nec paſſurum niſi ægre tibi fieri quod alteri non faciundum judicâris. Nempe qualem exhibes brevitatem, exigis & ipſe talem. Utar itaque lege quam uterque veſtrum præſcribitis; ille nihil, tu pauca ſcribendo. Et leviſſimè quidem erga illum defungar, cui ut reſpondeam tacere ſatis eſt. Tu verò cui aliquid reddendum eſt, curam etiam injicis de ſolvendi modo, utrum ad menſuram eandem etiam pondere paria facere tenear. Ut enim tua aurea ſunt, mea ex ære, niſi pluribus congeſtis, monetę, quam credidiſti, pretium ac vim ęquare non potero. Sed quum cogito verboſum eſſe hoc negotium, ſubit etiam non minus eſſe verba quæ leviſſima ſunt, imò etiam magis. Pręterea quantum eorum numero detraxero, tantò plus apud te ponderis & gratiæ habebunt pauciora; quia vel ſilentio meo contentus eſſe poteras, imò ſic te magis honorari cenſeres. In pauca igitur contraham. Gaudeo Opitii judicio, tuoque amore. Nam niſi amares me, non illud probares. Et niſi probares, non judicaſſes. Scis tamen quàm iniqui plerunque judices alienæ ſint exiſtimationis, qui favent vel æmulantur. Quid qui amant, vel oderunt? Profectò niſi eſſent qui me injuſtè carperent, haud magnopere curarem eſſe qui me laudarent. Et ſi hi quoque immerito id faciunt, juvat tamen habere me quod opponam illis meis reprehenſoribus. Quęrebam prioribus meis quis eſſet Johannes Weitzius Grottenſis qui ad me ſcripſit, cuique reſpondi, litteraſque tibi miſi ad eum curandas.

randas. Tu nihil ad hæc, credo verborum nimis parcus, aut parum otioſus, vel etiam oblitus; niſi verius ſit te meas non recepiſſe. Non addam plura, ne videar tuæ legis immemor, aut exempli tui parum fidus imitator, nimiſque porrò garrulus, ac tuorum ſtudiorum minus reverens. Vale, ὦ φιλτάτη κεφαλή, meque, ſi mereor, amare ne deſine. Divione; pridie Idus Februarias, CIↃ. IↃ. CXXXI.

EPISTOLA XXVII.

A MONSIEUR DAILLE.

A Paris.

MONSIEUR,

ζόντων λέγεσθαι τὴν θέσιν ἐντεῦθεν ἔλαβεν. Plinius quoque loco ſuprascripto Hippocratem primum ſigna illa letalia in ægritudine ſapientiæ de phrenitide prodidiſſe autumat. Iam hinc certo certius *ſapientiæ morbum vel ægritudinem* ab eo vocari, quæ Græco auctori, unde accepit, φρενῖτις nominatur. Ita ergo & *ſapientiam* uſurpaverit capite præcedenti, etſi verba paulò obſcuriora ſint & intricatam contineant ſententiam: *atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori.* Quod Græcis verbis ſic fortaſſean expreſſum fuerit: ἐστι καὶ τὶς νόσος τὸ φρενιτικὸν ἀποθνήσκειν. Hoc certe innuere videtur, multos nulla alia valetudine niſi ſola τῶν φρενῶν ἐκστάσει mori. Aliquando φρενῖτις ac *ſapientiæ morbus* acutis morbis ſupervenit, aliquando per ſe morbus eſt, *& moriuntur multi per ſapientiam*, hoc eſt φρενιτικοὶ τελευτῶσι. Multa dixi & nihil fortaſſe dixi. Tui facio judicii, an ſcopum attigerim. Mea certè hæc non eſt opinio, ſed ab aliis jam expoſitam confirmare, quantum in me eſſet, optimum duxi, quia nihil reperiebam quod eſſet probabilius. Vellem in alia re quæ melius mihi ſuccederet experiri tibi liberet, quantopere me tuum feceris tam prolixâ humanitate ac benevolentia, quæ in literis quas ad me dediſti eluceſcit, omnibus relictis rebus, apud omnes teſtarer nihil me non tuâ cauſâ velle. Perge itaque me amare, Vir clariſſime, & quoniam incepiſti, caveſis in medio curſu, cui auſpicium dederis ipſe, in amicitiæ tuæ ſinum tendentem deſeras. Vale. Leydæ, Nonis Decemb. CIↃ. IↃ. CXXXII.

EPISTOLA XXXVII.

GERARDO IO. VOSSIO.

Amſtelodamum.

TAm propinquos nos, Clariſſime Voſſi, & tam raras inter nos commeare, id vero eſt quod mediutiuspati non poſſe tibi denuntio. Statui itaq; deinceps frequentioribus te laceſſere; & ſi provocatus adhuc taces, non tamen deſiſtam

ſiſtam priuſquam vel tuas eliciam, quibus decretorio ſtilo ſignifices tibi non placere ut ſtudia tua interpellem, & ſic publica morer commoda. Mirum etiam mihi viſum eſt Hugonis noſtri ſilentium qui integro jam cum dimidiato hoc anno vertente non ſolum nihil litterarum dedit, ſed ne quidem mentionem ullam mei fecit in his litteris, quas ad communes amicos ſcriptitavit. An malę linguæ etiam aliquid illi de me inſuſurrarunt, ut mihi de illo ſequiora quædam inſtillarunt in aurem, ········ Facile tamen eos fero & de his alias dicendi major & melior erit occaſio cum incoram ſermones cędemus. Ad Hugonem noſtrum ut revertar, cum litteras ab amico quodam ejus, Senatore Divionenſi, acceperim, ut curarem perferendas, occaſionem tam bonam dimittere nolui ad illum ſcribendi, ut veterem renovarem amicitiam, ſi tamen hoc de illa dici poteſt quæ non poteſt inveteraſcere. Tu pro communi amicitia meas ad illum ſi placet, curabis. Quæris fortaſſe jam quid agam, quid moliar? Nondum certe me compoſui., & animum vixdum ex itineris labore collegi, nec quidquam ago niſi hoc unum ut iſti aëri aſſueſcere tentem & valetudinem curem, qua ex quo hic ſum non adeo firma ſum uſus. Habeo tamen multa parata ad prœlum & plura affecta. Arnobium volui nuper dare Elzeviriis, ſed majoribus occupati, recipere illum non potuerunt. Tradam itaq; Mario tuo, cui & Florum jam diu promiſi. De variis annorum formis opus etiam aggredior, quod ex Diatriba, quam amico eram pollicitus de Ægyptiaco anno quærenti, in majorem molem exibit. Miraberis quantum in his hallucinatus ſit noſter ὁ πάνυ & quam non meliora afferat, ὁ Σχαλανομάστιξ. Dum ἀεροβατοῦντες τὰ μετέωρα ſectantur, obvia & ante pedes poſita non viderunt. Profecto non in deviis tantum ipſi devii, ſed in obviis ac perviis adeo deflectunt & aberrant, ut nuſquam curſum teneant. Audebo ne ſciſcitari ipſe quid agas? & quid victuris chartis committere pares? Audebo certe tuas flagitare crebriores, etiam ſi res hæc tibi ſtatura ſit bonarum tuarum horarum diſpendio. Vale & me ama, quod pauci hic faciunt. xv. Kal. Februarias CIↃ. IↃ. CXXXIII. Leydæ.

EPI-

EPISTOLA XXXVIII.

HUGONI GROTIO.

Hamburgum.

CAſſium tuum ad te ire ſine meis nolui, Vir magne, nec ſane oportuit. Quum enim tamdiu in officio litterario ceſſaverim, hac ſaltem occaſione oblata tam bona, moræ cauſas indicare debui, quæ me hactenus à ſcribendo retardarunt. Quas & ſi nullas indicarem, ſi bene me noſti, non alias credere poſſes niſi ſonticas, ab illa lenta qua conficior tabe ex quo hic ſum, vitio ſi forte ab aëre contracto, ſed & ut non nemo putat interno meoque; vel quod verius eſt, ab utroque. Malos enim ac peccantes humores quemadmodum huc me attuliſſe verum eſt, ita & hic pejores me offendiſſe vero verius. Aërem meæ valetudini nocentem ſic expertus ſum, ut hominum innocentiam laudare non queam. Mala mens in pleriſque, malus animus, & qui præſenti in os blandiuntur, mox abſenti detrahunt. ******* : ſed relinquamus illum hominem ſuis ipſius moribus puniendum. Non alium ultorem quàm ipſum mihi volo. Studia mea, ſi quid agam jam ſcire cupis, plane jacent: Arnobii textus editus eſt, Notæ expectantur, & credo etiam diu expectabuntur. Vix legendis quibus ab nimio otio maloque tædium evincam ſufficio. Decrevi me hoc vere Medicis totum committere; ſi eorum ars fruſtra erit, repetam natale ſolum. Iam ante ſex menſes Aulicus medicus qui me vidit, morbum meum ad hydropem vergere pronunciavit. Animo tamen ſum forti, & quicunque exitus me ab hac lenta valetudine manet, generoſè feram. Caſſius veſter jam & noſter tibi plura referet quæ chartis committenda non fuerunt. Vale, vir ſumme, & me ama. Lugduni Batavorum. Idibus Martiis CIↃ. IↃ. CXXXIII.

EPISTOLA XXXIX.

GERARDO IO. VOSSIO.

Amſtelodamum.

TUas accepi una cum litteris noſtri Grotii, hoc eſt duorum optimorum & amiciſſimorum mihi virorum. Debebam & prioribus tuis reſponſum, ſed in diem id differebam, non quia mihi volupe ſit frequentius hoc litterarium commercium tecum reciprocare, ſed ne moleſtus turbator intervenirem feriis illis occupationibus, quibus poſteritatem demereri ſtudes. Credas enim hoc mihi velim ὦ φιλόδης, non me pigritia ulla, etſi familiari pridem mihi malo, ſed tua potius diligentia tardiorem ad ſcribendum exiſtere. Quid hoc inquies? aliena diligentia te pigrum reddit? Ita certe eſt. Cum enim cogito te dies noctesque libris non immorari, ſed immori atq; intabeſcere, nolo mea cauſa vel tantillum minus ſis diligens. Hoc enim nolo, illa impedire ſtudia quę ſe tam bene publico adprobant, quibuſque ipſe doctior evadere poſſim. Non communia tantum itaque commoda, ſed meam multo magis utilitatem morarer, ſi meo facto mora adderetur utiliſſimis ſcriptis tuis, quò tardius in hominum manus exirent. Ad me quod attinet ex quo heic ſum, faſtidium omnium bonarum rerum ſtudiorumque meorum ita me percepit, ut nihil aliud vigilans ſomnianſque mediter, quam reditum ad meos. Nec hominum tantum iniquitas, ſed etiam aëris injuria eo me compellit, valetudini meæ parum commoda nec meorum. Uxor moribunda vix ſeſe fert. Ego moroſiſſima impetigine adeo graviter laboro ſex hos totos menſes quibus hic fui, ut moleſtiſſimum hic in otio negotium experiar, quod occupato otium futurum eſſet longè tędioſiſſimum. Omnia feci ut hac lue liberarer quę pertinax inhæret ac negat relicturam, niſi ſimul & locum relinquam in quo me deprehendit. Omnes mei etiam parvuli aut ægrotarunt, aut adhuc ægrotant. De ***** etiam quererer, niſi me conſolarer

larer exemplo tuo, &c. Præterea recte mones aliquid boni debere eſſe in illis quibus invidetur. Hæc reputans, virtute mea me involvo, ac illam pro clypeo prætendo adverſus omnes ejuſmodi inſultus atque impetus. Arnobius noſter adhuc trahitur à Typographo. Miraberis quam multa in illum Auctorem poſt tot Criticos & Commentatores obſervaverim. Reſcribam Grotio poſt paucos dies, tibique litteras mittam. Interim vale & majorem natu filium quem hic vidi magnæ ſpem alteram Romæ, ſed antiquæ, ſalvere meo nomine jube. Leydæ, III. Idus Majas, CIↃ. IↃ. CXXXIII.

EPISTOLA XL.

JOHANNI BEVEROVICIO,

Dordracum.

QUi factum ſit, clariſſime Beverovici, ut meæ ad te non pervenerint, quæ tuis poſterioribus reſpondebant, ego vero divinare non poſſum: hoc tantummodo mihi conſtat; & doleo, tibi redditas non fuiſſe, ſive culpa tabellarii id acciderit, ſive famuli cui eas tradidi ad tabellarium perferendas, interim nollem certè id accidiſſe, quo meritò poſſim parum diligens hujuſce officii literarii cultor argui, cujus ego me ſemper ſuperſtitioſum obſervatorem profeſſus ſum, modica ac legitima in his religione minimè contentus. Si me talem veteribus amicis uſque probavi, quid me facere oportuit in iſtis naſcentis commodùm inter nos amicitiæ initiis, quæ cum alias cæteris in rebus ſoleant teneriora eſſe, ſic in amicitia delicatiſſima ſunt, & minimæ etiam offenſæ obnoxia. Reſpondi igitur, reſpondi jam tibi, Virorum amiciſſime & ampliſſime, & de Plinii loco etiam ingenuè faſſus ſum, non me mirari ſi tibi non ſatisfecerim, cum nec ipſe mihi. Profectò cum locum eum repetitis ſubinde vicibus ſæpius verſarim, nunquam memini me ab eo recedere fiduciæ plenum,

quaſi quidquam profeciſſem : τὰ σκληρὰ Theocriti, veteres notarunt Critici, ut & Virgilii, ex quibus expedire ſe non poterant; ita locus iſte merito inter Plinii σκληρὰ recenſendus. Non dubium quidem, quin *ſapientiæ ægritudo* apud eum cap. XXI, de eo morbo accipienda ſit, quam Græci φρενῖτιν dixere, qui & φρενῶν νόσος dici queat, ut *lateris morbus* ἡ πλευρῖτις: ſed in ſuperioris capitis loco tota in eo difficultas vertitur, quod dicit *aliquem etiam morbum eſſe per ſapientiam mori*. Quid enim morbum per mortem definit? multi moriuntur ſine morbo, ut omnes qui morte violentâ ac ſubitâ vivis eximuntur, quibus ægris eſſe non vacat. Correctiones omnes illius loci libri veteres refutant, ſed & magis ipſarum abſurditas quæ per ſe refellitur. Si quid eſſet concedendum, probabilius putarem illud *mori* repetitum ex ſequentis dictionis ſimilitudine *morbis*, adeoque expungendum, ut ſcripſerit tantum: *atque etiam aliquis morbus eſt per ſapientiam*, διὰ φρενίτιδος. Ita ſanè videtur vertiſſe verba Græci cujuſdam Auctoris, aliud agens, ut alia multa; cum enim Græci φρενήρη vocent etiam virum ſapientem, putavit ille τὴν φρενῖτιν recte verti poſſe *ſapientiam*. Inde & *ſapientiæ ægritudinem* capite ſequenti reddidit τὴν φρενῖτιν. Ut ut ſit, vix putem de aliâ ægritudine aut morbo intellexiſſe. Hæc aut ſimilia de illis Plinianis verbis memini tum reſpondiſſe. De *Sternutamento*, quæ pars altera fuit Epiſtolæ tuæ, quid ſcripſerim haud jam memini, niſi hæc, nihil poſſe addi ad ea, quæ doctiſſimè obſervaſti. De re conſtat, Veteres nimirum Sternutamentum ſacrum ac divinum habuiſſe. Τὸ διότι verò non adeò in promptu; niſi rationem eam admittamus, quam adfert Ariſtoteles, quam tamen peritè admodum elevas & confutas. Ut in ominibus captandis ſuperſtitioſiſſimos fuiſſe Antiquos certum eſt, ad cujuſque rei fortuitò incidentis, & ex tranſverſo venientis occaſionem, aut hominum animaliumque, prout fauſtus aut infœlix variis ex cauſis, quas ſibi imaginabantur, occurſum; ita in Sternutamento bonum omen videntur conſtituiſſe, non alia, ut puto, ex cauſa, quàm quod ſalutare ipſi videretur, cui hoc eveniret, ideò præſentibus adſtantibuſque

que

que fauſtum quoque eſſe exiſtimarent, quia res auctori ſuo fauſta eſſet. In ominibus bonis aut malis ſtatuendis multa talia, ut dixi, imaginabantur. Quod autem Sternutamentum ſalutare putarint ei qui ſternuiſſet, ex ipſo Ariſtotele colligi poteſt. Qua in opinione, ſive ſuperſtitione, vulgus quoque Galliæ noſtræ eſſe deprehenditur. Cum enim aliquem ægrotum ſternutare audiunt, Medicum ſuum ab eo dimitti ajunt. Fortaſſe ex eo colligebant, impulſionem illam & concuſſionem cerebri à ſpiritu fieri, qui vires teſtaretur decubantis vel adhuc exiſtentes, vel de novo recuperatas. Hinc ſenex Theophraſtus ſcripſit difficilius ſe ſternuere, ob defectum nimirum virium illarum naturalium ac ſpirituum. Bonum igitur illis omen viſum eſt ſternutamentum, quia ſalubre ſternuenti id putarunt. Idcircò & ſternuentes ſalutabant, id eſt, ſalvere jubebant, quaſi rem per ſe ſalutarem, fauſtam illis fœlicemque procedere precati. Plinius: *Cur ſternuentes ſalutamus, quod etiam Tiberium Cæſarem, triſtiſſimum (ut conſtat) hominum, in vehiculo exegiſſe tradunt. Et alioquin nomine quoque conſalutare religioſius putant.* Nempe ita ſalutabant, ut apud Petronium habetur, *Salve Gnython. Dum hæc ego jam credenti perſuadeo, Gnython collectioris ſpiritus plenus, ter continuo ita ſternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus converſus* ſalvere Gnythona *jubet*. Item apud Apuleium de ſternutante: *quod cum putaret ab ea profectum, ſolito ſermone ſalutem fuerat ei imprecatus.* Eodem pertinet Græcorum mos etſi non nomine conſalutabant ſternutantes, ſed aliis verbis ſalutem iis precabantur, Ζεῦ σῶσον dicentes, vel σῶσον, ut alibi obſervo. Omnibus autem ominibus & auguriis Deos intervenire exiſtimabant, ac quaſi præſentes adeſſe, cum illa offerrentur & acciperentur, putabant. Ipſe ille Plinius noſter lib. XXVIII, cap. II. *Nam ſternutamento revocari ferculum menſamve, ſi non poſteà guſtetur aliquid, inter dira habetur, aut omnino non eſſe. Hæc inſtituère illi, qui omnibus negotiis horiſque intereſſe credebant Deos, & ideò placatos etiam vitiis noſtris reddiderunt.* Omina igitur illa, & auguria non ſolum à Deo præſente mitti

ac

Digitized by Google

ac offerri, ſed etiam ipſum Omen & Augurium pro Deo habebant. Hinc boni Augurii ſerpentem, cujus occurſus fœlix habebatur, Ægyptii ἀγαθοδαίμονα vocarunt. Aliàs in auguriis etjam ſerpentes ſpectati Veteribus, ut ex his Heſychii conſtat, οἰωνὸς ὄφις. ἐπιεικῶς γὰρ λέγεται ἐν ταῖς μαντείαις τοὺς ὄφεις ἔχειν, οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον. Ad omnem porro boni ominis aut augurii ſibi objecti interventum ſolebant adorare, vel Deo ipſi, à quo immitti & offerri hoc omen credebant, id honoris exhibentes, vel etiam ipſi Omini, ſi per ſe aliquid divinitatis habere videretur. Sic ille Xenophontis, quem citas, locus accipiendus: τοῦτο δὲ λέγοντος αὐτοῦ πτάρνυταί τις. ἀκούσαντες δὲ οἱ στρατιῶται, πάντες μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν θεόν: ipſum nempe Sternutamentum, quod ſacrum habuerunt, & quaſi Deum: nam in his loquutionibus idem fermè valet *pro Deo habere*, & *ſacrum* vel *divinum habere*. Θεὸν, ἢ θεῖον τ. Nam & Græci τὸ θεῖον pro Deo ipſo plerumque uſurpant. Nero ſub finem vitæ, cum undique omnes, & præcipuè Galli, adverſus eum conjurarent, levi ac frivolo auſpicio in itinere recreatus dicitur Suetonio, objecta ſcriptura monumenti, in qua miles Gallus ab equite Romano oppreſſus crinibus trahebatur, cum eam ſpeciem pro Deo habere, & adorare non poſſet, cœlum adoravit. Bonum porro omen Veteres in ſternutamento poſuiſſe, ſcripta ubique Veterum teſtantur. Catullus, *dextra ſternuit approbatione*. Ovidius, *dextrum ſternuit omen amor*. Quin & crepitus lucernarum pro ſternutamento luminis habitus, ac fauſtus eo nomine exiſtimatus. Idem Ovidius in Epiſt. Herûs ad Leandrum:

Intereà lumen (poſito nam ſcribimus illo;)
Sternuit, & nobis proſpera ſigna dedit.

Ita legendum ſuadent veteres libri, non, *ſtertuit*. Sic in Græco Epigrammate, λύχνος ἐπέπταρεν. Meliora, an pejora neſcio, ſed magnam partem in hanc ſententiam ad te ſcripſiſſe ſcio in ea Epiſtola, quam queror amiſſam. Quod nunquam ſciſſem factum atque æternùm ſine reſponſo jacuiſſes, niſi hoc mihi ſignificaſſet reverendus urbis veſtræ Paſtor, qui nuper mihi adfuit & tuo nomine me ſalutavit. Huic velim meo quoque nomine

mine plurimam impertias, & tibi majorem inde partem ſumas. Vale, Vir ampliſſime, ac me, quo cœpiſti pede, amare porrò perge. Lugduni Batav. Idib. Junij, CIↃ. IↃ. CXXXIII.

EPISTOLA XLI.

JO. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

AB eo tempore, quo heic te vidi, Clariſſime, & tuo caſu miſerande Voſſi, non deſtiti cum variis morbis conflictari, qui me partim lecto affixum, partim domi reſidem detinuerunt, adeò ut per totum hoc trimeſtre ſpatium domo pedem non extulerim, immo vix extra cubiculum proceſſerim. Quę res non ſolùm me prohibuit deſiderio meo & promiſſis ſatisfacere te Amſtelodami videndi, ſed etiam ſalutandi officio per litteras, cum ipſa vita mihi tædio eſſet, & etiamnum ſit oneri, ingraveſcente indies malo, quod ad Hydropem vergere, niſi præcaveam, Medici minantur. Sed hæc mea incommoda ludum jocumque fateor eſſe, præut eſt illa clades, quæ te cœlo caput ſublime ferentem, repente ad inferos preſſum demerſit, optimi, cariſſimi, doctiſſimi, & ad omnia ſumma nati filii obitu, quem tu non ſolus lugere, ſed omnes una tecum debemus, quicunque litteras amamus; cum ſatis conſtet iis quibus notus fuit, non privatam ſane eſſe jacturam, ſed publicam, & communiter bonis omnibus doctiſque dolendam. Non tu, inquam, filium tantùm tui amantiſſimum, tuam ſpem, tuum ſolatium amiſiſti; ſed Reſpublica etjam litteraria ſummum ſuum alumnum, ac præſidium, quale ſe futurum eſſe non levicula aliqua ſpe oſtendebat, ſed re certa, manifeſtoque pignore jam ſpondebat. Nec promittebat fructum duntaxat, ſed etiam præſtiterat. Quod ad me attinet, cum heri mihi, nec enim ante reſcivi, triſtiſſimus hic nuncius & acerbiſſimus allatus eſſet, haud aliter inhorrui, ſtu-

puique defixus, ac ſi fulminis aura afflatus in veſtigio hæſiſſem. Nec potui me per aliquot horas colligere; ſtatim obverſabatur animo elegantisſimi juvenis vultus, inceſſus, geſtus, & omnia dicta factaque miro lepore & amænitate condita. Sed & celeri mæſtæ mentis agitatione varia deinde cogitabam, quantum detrimentum accepiſſent litteræ, quantum denique luctum ea tibi mors adferret; nunc miſerabar tuam vicem, nunc fatum publicum, nunc etiam meum ipſius, cum ſcirem me amatum fuiſſe non leviter à præclaro adoleſcente, cujus ego virtutibus & doctrinæ adeo notabili incremento adſurgentibus, nimium quantum favebam. Noli expectare, amiciſſime Voſſi, ut heic te conſoler. Alii melius hoc facient. Alio tempore hoc etiam melius feciſſem. Præterea hoc vulnus dum recens eſt, & in curſu primo adhuc dolor, ſupra omnem conſolationem mihi eſſe videtur. Si quæ autem dari poterit, per te ipſe capere, quâ ſapientiâ es, quam tot librorum lectione, tot exemplorum admonitione tibi comparâſti, facile poteris. Pro re pauca dixi, pro officio meo, pro mœrore in quo nunc es; ſed pro eo ſtatu in quo ipſe ſum, fortaſſe ſatis multa. Illud velim te ſcire ac credere, ex omnibus qui tibi merito tuo amici ſunt, quique te ob conſummatiſſimam eruditionem admirantur, neminem plus indoluiſſe dolori tuo, quàm me. Inter tot amicorum turbam te in tempore tali per litteras & in re præſenti adeuntium, & luctum tibi lenire conantium, ipſe comparere tantum volui, taciturno vultu & confuſo humectoque; verba conſolantia cæteris relinquam, qui minorem partem luctus habebunt. Vale Vir amicisſime ac præſtantisſime. Leydæ, Nonis Novembribus, CIↃ. IↃ. CXXXIII.

EPI-

EPISTOLA XLII.

IO. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

ANte aliquot ſeptimanas ſcripſi ad te, Vir magne, ut meum tibi dolorem teſtarer, quem ex morte præſtantiſſimi Iuvenis, ac Muſarum Gratiarumque manu facti filii tui ceperam, non eo certe animo ut tuum luctum levarem; quem non dubitabam eſſe maximum, ſed ut me quoq; ejus participem oſtenderem, qui non ſolum amicum amiciſſimi Viri filium amiſiſſem, ſed etiam litterarum olim magnum tibicinem futurum, magnumque decus, ſi vita illi, Dei voluntate, longior eſſet data. Ab eo tempore quo illas ad te ſcripſi, variis etiam ipſe malis exercitus fui, morbis meorum, meo ipſius, ſed lento illo & languido, quem ad Hydropem vergere Medici opinantur; tum etiam proxime uxoris graviſſimo & acutiſſimo, quo pæne abſumpta eſt, eodem certè, qui tibi chariſſimum adoleſcentem abſtulit. Illa meliuſculè nunc habet, & quaſi jam in tuto eſt, cum diu pro deſperata habita ſit à Medicis. Nunc ipſe quoq; ſpirare paulò liberius incipio, ex quo melius de illa ſperare datum eſt. Libros itaque nunc retracto, quos planè cum cæteris vitæ voluptatibus abjeceram. Ad id opus igitur quod in manibus eſt, opus mihi inſpecto libro Aphrodiſæi περὶ εἱμαρμένης. Si librum illum habes, rogo te quamprimum ad me transmittendum cures; faxo brevi recipias, ubi locum unum aut alterum ex eo deſcripſero. Non fuit hic reperiundus liber apud eos qui mihi bene volunt. Ad te recurrere ſum coactus, quem niſi mihi benevolentem eſſe crederem, ne vivere quidem liberet. Hæc tantum te volebam. Vale, Vir clariſſime, ac me ama. 11. Decemb. CIↃ. IↃ. CXXXIII. Accepi nuper litteras ab Ampliſſimo Viro Hieronymo Bignonio, in ſumma Curia Pariſienſi Advocato Regio, qui te officioſiſſimè ſalutat.

EPISTOLA XLIII.

A MONSIEUR DU PUY.

A Paris.

MONSIEUR,

I'*Ay reçeu la Figure du* Papyrus, *dont je vous remercie. Ce ne peut eſtre la meſme Plante que nos Herbiers rapportent pour le* Papyrus *d'Ægypte : & ne ſert de rien, de dire que cette-ci eſt eſpanouïe, & l'autre encore en bouton. Ce ſeroit une extreme negligence & ſupinité à des gens qui ont demeuré ſi long temps en Ægypte, comme Alpinus, & qui ont ſi ſouvent veu ceſte ſorte de Ionc Ægyptien, de nous la repreſenter imparfaite; qui eſt tout de meſme, comme ſi à qui n'auroit jamais veu des roſes, on luy faiſoit voir le bouton, pour la fleur, lors qu'elle eſt en ſa perfection. Alpinus donc eſcrit que les filaments de la tige, qui fait le* Papyrum, *ſont droits & longs, & ceux-ci ſont couchés & eſparpillés. Il luy donne auſſi des feuilles, au pieds de la tige droites, & en forme de glayeul, triangulaires & molles. La figure que vous avez envoyée n'en a point. En ſomme ce ne peut eſtre la meſme Plante. Le Nil produit deux ſortes de joncs aſſez ſemblables, dont l'un ſe nomme* Πάπυρος, *& l'autre* Σάρι, *ainſi que l'eſcrit Theophraſtus. Ie ne ſçay ſi l'on pourroit dire, que l'une d'icelles ſoit le* Σάρι. *I'euſſe deſiré qu'on euſt auſſi envoyé à Mr. de Peyreſc la deſcription de la groſſeur & longeur de la tige du dict* Papyrus. *Il euſt eſté plus facile de juger de la verité. Pour ce qui eſt du filament que j'ay trouvé avec la figure, qui reſſemble à une feuille de* Gramen, *ce n'eſt pas cela dont on faiſoit anciennement le papier, car on en pourroit auſſi toſt faire de noſtre foin, que de cela; mais des membranes qui ſe trouvent en la tige, depuis la premiere eſcorce juſques au milieu. De la premiere eſcorce l'on en faiſoit le gros papier, qui ſervoit à emballer & envelopper; & puis de là en avant juſques au cœur, les philyres ſe rencontroient touſiours plus tenües & plus deſliées,*

deſliées, dequoy le plus fin papier ſe faiſoit. I'ay la Deſcription d'un Autheur Arabe, nommé Ebenbitar, comme ſe faiſoit le papier, qui eſt fort ſemblable à ce qu'en dit Pline. La tige de cette Plante eſt groſſe, comme le poignet du plus puiſſant homme, en forme de triangle, de la hauteur de cinq ou ſix coudees. Les Philyres tirées de cette tige, preparées ſe colloient l'un à l'autre en long, & puis on en couchoit d'autres en travers, collées ſur les premieres, en forme de tiſſu. Ce que vous avez d' Alcuinus, *& ce qui eſt en la Bibliotheque du Roy, qui eſt un* Inſtrumentum ſecuritatis *du temps de Iuſtinian, qu'on voit eſtre d'eſcorce d'arbre, c'eſt du papier fait de ce jonc d'Ægypte.*

Pour nouvelles: les Deputez de Brabant ſont touſiours à la Haye, qui attendent leurs compagnons, y ayans touſiours eſté depuis, & crois qu'il n'auront pas perdu leur temps. Le Duc d'Arſchot eſt parti pour aller en Eſpagne querir la concluſion de la Treſve; cependant l'Infante s'eſt laiſſé mourir, qui fera que les affaires changeront de face. Car celuy, qui lui ſuccedera, voudra ſignaler ſon entrée au gouvernement par quelque acte memorable, & pluſtoſt de guerre, que de paix, ou de Treſve. Il y a deſia dix ou douze jours que le froid eſt ici ſi Hollandois, que les caneaux ſont tous pris. Pour moy je ſuis touſiours avec mon incommodité, qui a eſté aggravée d'une grande & juſte apprehenſion de perdre ma femme, laquelle a eſté deſeſperee des Medicins, d'une maladie de petite verole, qui a fait un grand ravage en cette ville depuis IX. *ou* X. *mois en ça, qu'elle y regne, emportant toute ſorte d'aage & de ſexe. Ils tiennent ici par traditive, que ce mal eſt un treſcertain avancoureur de Peſte. Ma femme en ſera quitte pour remporter des marques en France, comme elle aura eſté en Hollande. Il s'imprime ici une notable Queſtion,* De Humanæ Vitæ Termino; *s'il eſt fatal & inmuable, ou s'il ſe peut prolonger par regime de vivre, & par l'art des Medecins. Tous les ſçavans d'ici y ont donné leur jugement: on a auſſi voulu avoir le mien. Le Pere Merſenne a donné le ſien, que j'ay veu. Je vous en envoyeray un Exemplaire, lors que l'impreſſion en ſera achevée. I'attends touſiours le* Tertulian *de Monſ'. Rigault.*

Ie vous avois mandé de le faire bailler à un homme, qui ſe tient à l'enſ[illegible]ne du Roy François, *à la porte S. Michel, qui a charge de me faire tenir quelques habits. Vous ne m'en eſcrivez rien par vos dernieres, dont je m'eſtonne. Ie ne puis vous en dire d'avantage, car l'encre gele dans la plume, & mes doigts ne peuvent plus aller. Mon affection eſt touſiours fervente à voſtre ſervice, non obſtant le froid du Païs; & ſuis veritablement,*

MONSIEUR,

A Leyden, ce 10. Decemb. 1633.

Voſtre tres-humble & tres-obeiſſant Serviteur,

SAUMAISE.

EPISTOLA XLIV.

Clariſſimo atque Eruditiſſimo Viro,

IO. FRED. GRONOVIO.

HUmanitate tua partim fretus, præſtantiſſime Gronovi, partim etiam cauſis, quas habere me ſentiebam legitimas ac ſonticas, confiſus, reſponſum ad tuas, mero eruditionis atq; elegantiæ flore conditas, tamdiu diſtuli. Non noluiſſe me reſpondere vel hoc fidem fecerit abunde, quod nunc reſpondeo. Voluiſſe me citius nec potuiſſe ipſe tibi nuncio, non difficulter credituro, ſi ſcias me ab illo tempore, quo tuas recepi, ad hunc uſque diem varia conflictatum valetudine, qua necdum liber ſum, cum & illo ipſo articulo quo redditæ ſunt mihi tuæ, Uxorem haberem decumbentem citra ſpem ſalutis à Medicis relictam. Ubi reſpirare ab his malis cœpi, ac meliora jam de me meiſque ſperare, etiam rediit illa cogitatio, qua tuis peramantiſſime pridem ad me ſcriptis tandem aliquando poſſem facere ſatis, ac par pari referre. Quod certè amore ac benevolentia me conſecuturum confido; non ut tecum pariem lepore ac doctrina, qua tuas temperaſti. Quæ enim ad Martialem

tialem notaſti, ejuſmodi ſunt, ut non ſolum εὐστοχίαν tuam prodant, ſed etiam manifeſtò indicent, quam profundè his literis immerſus non levem fugacemque inde tincturam veluti perfuſorie aſperſus retuleris, quin imò ὀθυσσοποιΐα ac plus quam dibapho penitus imbutus. Palmaria ſanè illa, quæ agmen ducit correctio, quæ nobis *externos truncos*, unde manant opobalſama, pro *Heſternis draucis* pudori noſtro male oſtentibus atque obſcœnis, repoſuit. Sic certe & Doſiades in Ara, quam primi edidimus, Tus vocat, ἶζὸν θυώδη τρεχνέων νυζίων, *Truncorum Nyſiorum viſcum odoratum*. Quæ ſequitur, non minus mihi certa videtur, etiamſi vocem turpiorem pro minus turpi vocabulo reſcribat. Si ita ſcripſit Martialis, cur non admittamus? Evirandus alioquin eſſet, ſi omnia obſcœna, quæ apud eum leguntur, honeſtioribus profatu permutarentur. De Rufa illa cum ſeptem crinibus, hæſit etiam olim mihi aqua, & fortean erraverim quoq; cum Scaligero circa ſeptem ſertas Crinium. Nihil melius tua interpretatione. Quod ad lectionem ſcripti codicis attinet, pro *Capta* lubentius legerim *Compta crinibus ſeptem*. Nullus autem ambigo, quin convenientius ſit *lună ſeptam Colchico Rhombo vapulare* dici, quam *ſectam* præ multitudine nimirum Rhombum illum volventium ad Lunam laborantem. Qui *ſectam* repoſuerunt, ad illud *vapulare* reſpexerunt. De *niſus* in eodem Epigrammate, quod corrigi velles pro *r.ſus*, magis dubitarem. Sic ſatis mihi arridet vulgata. Phaſiani porrò illi, quos in Xeniorum Librum reducis, qui tamdiu inde aberraverant, ſunt genuinæ Martialis alites, & ſaporem ejus præferunt. Magis me beaſti illo diſticho, quam ſi ipſos phaſianos duos, marem cum fœmina in prandio appoſuiſſes. Vale vir eruditiſſime, & me amare perge, & ſi pergis, fac crebriores iſtiuſmodi deliciæ ad me veniant. Idibus Martiis, Lugduni Batavorum. CIↃ. IↃ. C XXXIV.

Digitized by Google

EPISTOLA XLV.

A MONSIEUR DUPUY.

A Paris.

MONSIEUR,

IE reçeus hier la voſtre du XXVI. *May, & avois reçeu quelques ſemaines auparavant le pacquet de Monſieur de Peyreſc, auquel je n'ay peu faire reſponſe pluſtoſt. I'attends avec impatience ſes Rituels. Je vous prie, lors que vous les aurez reçeus, les faire bailler à celuy que je vous avois addreſſé pour me faire tenir le livre de Monſieur Rigault, qui vous baillera les preſentes. I'ay en fin reçeu le dict livre de Monſieur Rigault, & le remercieray par le premier ordinaire. ça eſté la faute de ma belle Mere que je l'ay reçeu ſi tard. Je ſeray bien aiſe auſſi de voir le livre du S. Valois, afin de juger ce que l'on doit eſperer de ce nouveau Critique. Ie ſuis bien aiſe que vous ayez à gré la Dedicace de mon traicté* de Acia, *qui ſera un grand ouvrage, par le loiſir que m'ont baillé les Imprimeurs, I'y traicte quaſi toute l'antiquité Veſtiaire. Il le falloit ainſi, pour monſtrer la difference des habits* in Fibula, *& de ceux qui ne l'eſtoient point, afin de faire voir quelle a eſté la Fibule des anciens, de la quelle ils ſe ſervoient à agrafer les habits: laquelle eſtoit de metal, cuivre, argent, ou or, & fort differente de celle dont parle Celſus pour retenir les bleſſures en eſtat. I'entends celles qui ne pouvoient pas eſtre couſues. Et ces Fibules n'eſtoient pas de fil de fer, comme s'imaginent quelques uns de nos Medecins Eſpagnols, & autres qui ſont de leur opinion, mais de lin, ou d'autre matiere ſemblable. Il ne falloit ja ſe tant tourmenter, pour prouver que la Fibule des habits eſtoit de metal, car il n'y a rien olus vray: mais il ne s'enſuit pas, que la Fibule à lier & retenir les Bleſſures, fuſt auſſi de fer; puis que de là il faudroit auſſi conclure, que la ſuture dont ils ſe ſervoient à coudre les Bleſſures, qui pouvoient ſouffrir la couſture, fuſt auſſi faite de fil de fer, ce qui eſt treſridicule, & impoſſible. Et m'eſtonne*

que

Digitized by Google

que de ſi grands hommes en Medicine & Chirurgie ont peu tomber dans une ſi abſurde & extravagante imagination. La fibule des habits ſe nomme chez les Grecs πόρπη *ou* περόνη, *& eſtoit, comme j'ay dit, tres-indubitablement de metal. Mais qu'ils me monſtrent, que Galen ou Hippocrate ou quelqu'un des Anciens Medecins ait appelle ceſte Fibule, faite pour arreſter & approcher les bords des bleſſures* πόρπην *ou* περόνην. *Galen la nomme* ἀγκτῆρα, *auſſi fait bien Paulus Ægineta, & tous les autres Grecs: lequel mot ne ſignifie qu'un lien pour ſerrer & arreſter quelque choſe. Celſus dit auſſi que les Grecs la nommoient ainſi, & luy tourne en Latin* Fibula; *parce qu'elle fait le meſme effect* in vulneribus ligandis & vinciendis, *que fait la* Fibula in veſtibus conſtringendis. *Cependant ceſte Fibule des Medecins n'eſtoit autre choſe qu'un fil paſſe avec une aiguille par les deux bords du* Vulnus, *& ſerré avec un nœud pour les tenir en eſtat, & approcher le plus pres qu'il eſtoit poſſible, lors qu'ils ne pouvoient eſtre joints tout à fait par une couſture. Ils paſſoient ce fil par pluſieurs endroits, ſelon que la bleſſure eſtoit grande. C'eſt donc ce qu'ils appelloient* ἀγκτῆρ, *que les autres nomment* δεσμὸς, *& Celſus auſſi en quelques endroits* Vinculum & Fibula. *Les Grecs, où ils traittent* de ligandis *ou* glutinandis vulneribus, *font mention de ces deux moyens* ἀγκτήρων & ῥαφῶν, fibularum *ou* vinculorum & ſuturarum: *je monſteray cela ſi clairement, qu'il n'y aura pas moyen d'aller à l'encontre. Pour le mot* d'Acia *c'eſt une grande impertinence & ignorance, de le deriver du mot* acies, *& d'inferer de là que ce ſoit un fil metallique; puis que* acies *ne ſe peut prendre pour de l'acier, s'il n'eſt mis en œuvre pour couper & avoir un trenchant. Car autrement il n'eſt pas* acies, *lors qu'il n'eſt point d'*acies, *c'eſt à dire, de trenchant. Et nous avons pris ce mot d'*acie, *du Latin* Aciarium, *qui eſtoit un fer endurci par la trempe, & raffiné pour faire des trenchants de couſteaux ou d'eſpées,* ad acies faciendas. *Mais vous ne ſçauriez faire du fil de cet* acies; *& vous ne pouvez non plus faire que le mot* acia *ſoit derivé du mot* acies. *Il n'ont pas ſçeu que le mot* Acia *vient du Grec* Ἄκεια, *qui eſt du fil à coudre, & qui eſt fait du verbe* ἀκέω, *qui ſignifie coudre,* unde ἀκέστης & ἀκεστρία, *&*

meſme le mot acus. *Et quand* acia *ſeroit fait d'*acus, *il ne peut ſignifier autre choſe, & n'a jamais ſignifié, que du fil à coudre, que les Grecs appellent* ῥάμμα. *Pour nos nouvelles, elles ſont auſſi ſeches, que le temps. Il part demain des Ambaſſadeurs extraordinaires d'ici, qui vont faire des complimens & des remerciemens pour le nouveau traicté. Mr. le Conte de Laval a bien fait parler de luy en ces Quartiers. Vous aurez veu ſon Manifeſte, & les lettres quil a eſcrites au Roy, & au Prince d'Orange. Il y a un Capitaine Rochellois priſonnier à Fleſſingue par l'ordre du Prince, ſur les avis qu'on a eu, qu'il avoit une entrepriſe ſur la ditte Ville, pour la mettre entre les mains de l'Eſpagnol en faveur du dit Conte. Je crois que nos gens ſe repoſeront tout cet eſté, s'il ne ſont attacquez, & l'ennemi n'eſt pas en eſtat de ce faire. Les affaires d'Allemagne proſperent tousjours pour les Suedois, & peut eſtre plus que nous ne voudrions. Pour moy, j'attends la ſanté que je n'ay pas, je ſuis entre les mains des Medecins pour cet effect, & ſuis,*

MONSIEUR,

A Leyden, ce 5. Juin. 1634.

Voſtre tres-humble & tres-affectionné Serviteur

SAUMAISE.

EPISTOLA XLVI.

A MONSIEUR PEYRESC,

Conſeiller du Roy, en ſa Cour de Parlement

A Aix.

QUant au Barachias du Pere Kircher, par l'eſchantillon que vous m'en avez fait voir, j'ay beaucoup diminué & rallenti de l'ardeur que j'avois d'en jouïr, depuis les voſtres qui me donnoient avis de ſon merite par le ſeul titre de l'ouvrage. Car ſur ce mot de Hieroglyphiques *je m'ima-*

Digitized by Google

m'imaginois tout ce qu'en avoit autrefois eſcrit Chæremon, fort renommé de l'antiquité, & cité par Porphyre, & Jamblique. Il m'euſt fait plus de plaiſir, s'il euſt envoyé la Preface de l'Autheur, que cet eſchantillon, qui n'eſt rien à mon jugement. Car ce ſont des mots pris de l'Alcoran, & qui ne reſſentent rien des Inſcriptions des anciens Ægyptiens; & par la Preface nous euſſions peut eſtre mieux decouvert une partie de ſon deſſein, & jugé plus aſſeurement ce qu'on peut eſperer de l'ouvrage entier. Tant y a, que par ce que j'en ay veu je porteray plus patiemment le delai, où il nous renvoit de ſa verſion & edition d'iceluy; apres qu'il aura fait & dreſſé ce grand & myſterieux baſtiment de ſes Hieroglyphiques. Pour ce qui eſt de Georgius Sincellus, j'ay conferé tout ce qu'en a pris Scaliger, pour nous donner le Grec de ſon Euſebe, qui avoit eu à cet effect le M. S. de la Bibliotheque du Roy, qui eſt le meſme que j'ay auſſi, où de fortune ayant rencontré quelques paſſages qui me ſembloient differents d'avec l'edition de Scaliger, il me prit envie de le conferer tout; où j'ay trouvé tant de difference, que j'euſſe eu peine de croire, qu'il euſt pris ſon Grec de ce meſme livre, ſi je n'en euſſe eſté bien informé d'ailleurs. Le Manuſcript eſt l'unique en toute l'Europe, & eſt un Originel fort ançien, d'une lettre aſſez menuë & fuiante, & avec beaucoup d'abbreviations; ce qui a fait que Mr. de la Scala, ou ceux qu'il avoit employez à cette tranſcription, ſe ſont mépris en une infinité d'endroits. Pour le Georgius, il commence ſa Chronique dés le commencement du Monde, & finit en Diocletian; non qu'il ait veſcu de ce temps là, mais la mort l'a vaincu au milieu de ſa courſe, & ne lui a pas donné le temps d'aller juſques au bout, c'eſt à dire, juſques aux Empereurs de ſon temps, Michaël & Theophile. Theophanes ſuit dans le meſme M. S. qui commence où Georgius finit, & dit avoir entrepris expres l'ouvrage, pour achever ce que Georgius ſon ami & contemporain n'avoit peu faire, ayant eſté prevenu par la mort. Apres Theophanes vous avez Leon Grammaticus, qui continue l'Hiſtoire juſques aux Empereurs qui regnoient de ſon temps.

Quant au mot de Coxgyptus *qui ſe trouve dans les Notes de Tyron, j'eſtime qu'il ſoit corrompu, & qu'il faut lire* Coptos,

Coptitia, Coptiticus. Κόπτος *eſtoit le nom d'une tres celebre Ville d'Ægypte ſur le Nil, où toutes les Marchandiſes qui venoient de l'Arabie, Æthiopie, & des Indes arrivoient, ainſi que l'eſcrit Strabon. En ſomme, c'eſtoit un* Emporium *des plus celebres de ce temps là, pour la navigation des Indes. Car d'Alexandrie on alloit par le Nil juſques à Copto, de Copto avec voiture des Chameaux on gaignoit un Port de la Mer rouge, ou du ſin Arabique, nommé* Berenice. *De* Coptos, κοπίτης Κοπτιτικὸς, & Κοπτιτική. *I'ay creu autrefois que le nom des* Cophtes *d'aujourdhuy eſtoit pris de cette ville* Coptos. *Car comme dans l'Alexandrie, qui eſtoit une ville baſtie par les Grecs, la langue Grecque eſtoit plus commune que l'Ægyptienne ancienne, qui ſembloit avoir comme quitté la place en toute cette baſſe Ægypte, la Dialecte antique des Ægyptiens s'eſtoit retiré en la haute Region d'icelle Province, vers Coptos, laquelle apres Alexandrie eſtoit une de places la plus renomée de toute l'Ægypte; de façon que j'eſtimerois que ceſte appellation des* Cophtes *auroit eſté conſervée pour ceux qui parloient l'Ægyptien ancien. Et defaict les Arabes meſme font diſtinction en leur langage entre l'Ægypte, quand ils la prennent pour le nom general de ceſte Province, l'appellans* Miſri; *& quand ils veulent parler de ces Cophtes, qu'ils nomment* Elcubt, *& qu'il prennent pour les originels, & anciens habitans d'Ægypte. Dans l'Hiſtoire Sarracenique d'Erpenius parlant de la monnoye qui avoit cours dans toute l'AEgypte, il fait mention de* Viuar Miſri, *d'eſcus d'or d'AEgyptiens. En la vie d'Omar, & un peu apres dans la meſme vie pag. 29. il fait difference entre les Cophtes, & les Romains qui tenoient l'AEgypte; comme prenant ceux là pour originaires d'AEgypte, & les Grecs ou Romains pour nouveau venus. Toutefois ce qui m'empeche à preſent de perſiſter en cette opinion, eſt que les Arabes eſcrivent autrement en leur* Geographie *ce mot de* Coptos, *que le nom des* Cophtes, *qui ne peut eſtre deduit que du nom* Αἴγυπτος, *s'il ne l'eſt de celui de* Κόπτος. ***

Je n'ay jamais leu que les Grecs *appellaſſent d'autre nom que* ἀστράγαλον, *ce que les Latins appellent* Talus, *les quels n'ont point*

eu

eu d'autre appellation pour deſigner cette choſe; je n'ay jamais auſſi veu dans aucun Autheur ou Gloſſaire, que Talus *appartient à un javelot ou à un eſpieu; & le paſſage de Ciceron,* ita jacere talum ut rectus aſſiſtat, *ne peut s'entendre que de l'aſtragale, d'ont on jouoit comme aux dez, lequel n'avoit que 4. faces ſur lequelles il pouvoit ſe tenir, quand on le jettoit, & neant moins il ſe pouvoit faire, quoy que rarement & par hazard, qu'eſtant jetté, il ſe tint droit ſur l'un des bouts de ſa longuer, & c'eſt ce que Ciceron veut dire.*

Pour la maniere de compter ſur les doigts, j'en ay veu un traitté Grec conforme à celuy de Beda: ou pluſtoſt celui du quel Beda ſemble avoir traduit ce qu'il en a ecrit.

Je ſerois fort aiſe de voir une figure de cet Abacus de bronze ancien que vous avez recouvré. Je crois avoir expliqué la façon de jetter des Anciens ſur l'icon de celui que Velſerus nous a donné. **.

Je n'ay jamais peu rencontrer de M. S. de Marcellus Empiricus. I'en avois fort à faire à cauſe de quelques noms de Simples en noſtre vieille Langue Gauloiſe, qui peuvent eſtre mal eſcrits: & qui teſmoignent aſſez que noſtre Langue n'eſtoit pas la Germanique, comme beaucoup de ſçavants nous veulent perſuader. Ce mot de Cutis, *qui ſignifie ce que nous appellons aujourd'huy* cochon, *qui ne ſe trouve point en Alleman, en faict foy, & beaucoup d'autres. I'avois oublié de vous dire en ſon lieu, que la compilation des Notes de Tyron ſemble avoir eſté faicte telle que nous l'avons aujourd'huy, environ le temps de Gregoire le Grand. I'ay veu une Preface dans un ancien livre, qui porte qu'il a faict ce recueil par le commandement de Gregoire le Pape, & lui dedie l'ouvrage qu'il entrepris à ſon inſtigation. Ce peut eſtre d'un autre Gregoire; mais je le donne pluſtoſt à celui là. Il y a beaucoup de mots qui monſtrent, qu'il a eſté faict par un Chreſtien; ou que ces mots ont eſté adjouſtés depuis à ceux de Tyron & de Seneque.* ****

A Leyden, ce 10. Juin. 1634.

EPISTOLA XLVII.

JOH. GERARDO VOSSIO,

Amſtelodamum.

REdiit nuper, ὦ παντάγαθε Voſſi, Amſtelodamo Elichmannus noſter, qui mihi ſalutem tuo nomine nunciavit, quam ipſe ut haberem meliorem, cura ſua & ope poſt Deum procuravit. Nihil mihi gratius quam hæc tui in me amoris ſignificatio per hominem amiciſſimum facta. Hoc tamen in ejus verbis me mordebat, quod te haud uſque quaque benevalere narraret. Dolebam, inquam, cum ipſe è tam diuturno morbo quaſi è longa navigatione ſalvus enataſſem, te non adeo firma valetudine frui incipere. Quod de me falſo dicitur nec mihi unquam nocuit, hoc te perdit, nimia in ſtudiis animi contentio & vigiliæ aſſiduæ. Serva te publico, cui te totum dedicaſti; ſerva te nobis, quos tibi dicatiſſimos credere debes. Inhorreſco ego cum amicos tales, qualem te mihi eſſe ſcio & ſentio, valetudine mala tentari audio. Hoc enim poſſum dicere, niſi tu eſſes, tanta me alias penuria laborare, ut quem pro amico vero habeam nominare in his locis vix ullum audeam. Multi ſe eſſe fingunt; uno te excepto nemo ferè eſt. Ægrè mihi fuit tantum me hîc temporis abſumpſiſſe, nec potuiſſe hoc tibi teſtari, aut re aut verbis ſaltem. Sed pertinax illa ſcabies qua infeſtabar, vix me mei juris eſſe ſinebat, vix animi compotem. Tædebat me rerum, hominum, temporum ac mei ipſius, meæque adeo vitæ; quam tam miſerè trahi nec inviſo hoc corpuſculo excuti, non minus odioſam mihi quam amicis dolendam, iniquo animo ferebam. Sed cum jam ut ſerpentes ſub vernum tempus, novis exuviis exultare incipiam, non tamen novus fiam, ſed veterem pellem meam reſumam. Cum libris in gratiam redibo, amicis gratior exiſtam, magiſque frequens ero in hoc litterario officio, quàm dudum fui. Gratias jam primum tibi ago quam poſſum maximas, quod ante aliquot menſes uxoris

Digitized by

uxoris meæ fratrem, magni Merceri filium, magni nepotem tam officioſè exceperis. Rediit nuper in Galliam ſubitis litteris matris revocatus. Alexandrum tuum Aphrodiſæum *de Fato* nondum potui remittere, quia intermiſſum illud opuſculum *de Termino Fatali* plane nunc jacet, quando terminum accipiet neſcio. Urget noſter Beverovicius, & ſi urgere etiam nunc pergat, fortaſſe abſolvam. Vix mihi ipſi ſatis faciebam in tam moroſa & ancipiti Quæſtione. Sed morbus in cauſa præcipuè fuit ne exorſum opus liceret detexere, cum tamen liberet. Quæris in quibus nunc ſim? *Rem* Veterum *Veſtiariam* exponere ſatago, & jam Liber in magnam molem exiit. Accurate iſtud argumentum pertracto, & multa obſcura in Scriptis Veterum ab hujus rei ignoratione elucidare ſatago. Neminem qui hanc materiam dedita opera proſequutus ſit ſcio, præter Bayſium noſtratem. Si ſcis aliquem, quæſo mihi indices. **** noſter non ceſſat ***: ego rideo. Valè vir maxime & me ama Leydæ III. Auguſt. CIϽ. IϽ. CXXXIIII.

EPISTOLA XLVIII.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

GRatiſſimæ mihi tuæ fuere, doctiſſime Gronovi, ſed minime in iis gratum, quod te audio malis artibus circumactum, ut nihil ageres eorum, quæ tibi promiſſa fuerunt. **. Hoc urge, cætera etiam ſuo tempore inambita venient. Quæ ad Lucretium notata in ſcedula ex ſcripto Voſſii noſtri codice miſiſti, valde mihi placuerunt. Quin multis locis emendatior dari queat ille Sophus vates, etiam poſt operam illi navatam à Viris doctiſſimis, nunquam dubitavi. Nunc minus etiam quam antea ut ambigerem feciſti. Nunc mea viciſſim vide. Non placet in iſto verſu cum Giphanio legi:

Vites autumno fundi ſudante videmus.

Magis adlubeſceret quod habent omnes ſcripti, *Suadente*.

Id

Id eſt, autumno ita ferente & eo impellente. Sic alibi locutus noſter: Lib. II.

Ut jam cætera mortales quæ ſuadet adire,
Ipſaque deduxit dux vitæ blanda voluptas,
Vt res per Veneris blanditim ſecla propagent.

Et lib. VI. *Multaque vis ſubita & paupertas horrida ſuaſit.* id eſt, compulit, coëgit. Inde *Maleſuada fames* Virgilio. Ergo vites funduntur *autumno ſuadente*, quia ita cogit autumnitas, & natura illius temporis, ut tunc vites uvasdent. Sed quid ſi legamus:

Vites autumno fundi ſua dante videmus.

Ver ſua dat, cum dat roſas, calor frumenta, & autumnus uvas. Verſ. 272.

Principio venti vis verberat incita portus.

Ita quoque plerique habuêre libri, quos Lambinus vidit. Quod velles *corpus*, vereor ut poſſit locum habere. Et ſi animum attendas, haud certe poteſt. Veterem meam conjecturam quaſi ſomnium, nec pluris fortaſſean faciendam, tibi narrabo.

In charactere Longobardico quem vocant, quo plurimi olim libri deſcripti fuêre, *V* & *A* plane confunduntur. *Portas* igitur ſcriptum putarim non *Portus*, & id pro *Porcas*. Cave nares corruges. Id verbum videtur & Auctor veterum Gloſſarum ita legiſſe, cum ſcribit: *Porta*, τὸ μεταξὺ τ͂ κυμάτων. Non dubium quidem quin pro *Porca* quo id quod inter duos ſulcos eminet, ſignificatur, poſuerit. At *Porta* & eo ſenſu legit, *porta* τὸ μεταξὺ τ͂ αὐλάκων ὕψ☉. Nec error eſt librarii, ſed compilatoris, qui ita in veteribus legit & ſic diſpoſuit, *porta, portat, porta* ἡ πύλη. Cum venti mari incubuere, faciunt ut in arato, porcas liraſque. Hoc eſt ergo quod dicit Lucretius,

Venti vis verberat incita porcas,
Ingenteſque ruit naves. Fluctuum ſulcos vis venti verberat, & naves ſubvertit. Reliqua quæ notaſti bene habent & vera ſunt uſque ad verſum 164. Lib. II. Ubi ex ſcripto codice plane legendum opinor: -------- *Materiäi*

Naturam non poſſe Deûm ſine numine rentur,
Tantopere humanis rationibus admoderatè Tem-

Digitized by Google

Tempora mutare annorum. Putant, inquit, qui τὴν πρόνοιαν aſſerunt, ſine divino numine tempora annorum mutari non poſſe admodorate humanis rationibus, id eſt, prout humanæ rationes poſtulant. *Admoderate*, ut *adtemperate* apud Comicum: *Adtemperate venit in ipſis nuptiis.* Tantopere admoderate, adeo conſentanee humanis rationibus. Nec *admoderare* nec *admoderari* ſatis placet. *Volventes* etiam *frigora fontes* ex tuo codice impenſe probo. Frigida enim ut plurimum flumina ob auras quas remittunt. Si qui non tales, ἄναυροι Græcis dicti. Apud Tibullum legitur: *Atque Aretino frigidus amnis agro.* Ita enim libri. Multa obſervavi ad hæc confirmanda. At verſ. 596. *Fluidas frondes* prorſus expungendas judico, & reſtituendam veterem tui libri lectionem:

Unde etiam fluviis, frondes & pabula læta
Montivago pecori poſſit præbere ferarum.

Habet etiam, inquit, terra ob illa pluria principiorum quæ habet in ſe genera, unde fluvios, id eſt, aquas, præbere poſſit montivago pecori ut bibat: Frondes ac pabula læta ut edat. Id prorſum confirmat, quod ſequitur verſ. 87. qui ſic legendus è ſcriptis codicibus Lambini, quæ aſſerenda etiam foret lectio adverſus codices ſcriptos, ſi eam non haberent:

Vertunt ſe fluvii, frondes & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora noſtra.

Fluvii, inquit, quos bibunt pecudes, frondes & pabula læta, quibus paſcuntur, vertunt ſe in pecudes ipſas. Nam potus & cibus vertitur in naturam animalis. Pecudes autem ipſę quibus veſcimur, vertuntur in corpora noſtra. Obiter addam de meo ad finem hujus ſecundi libri *Scopuli* vocem pro ſcopulo fuiſſe interpretibus, cui navem adliderent ſuarum interpretationum:

Nec tenet omnia paulatim tabeſcere, & ire
Ad ſcopulum ſpatio ætatis defeſſa vetuſto.

Nec enim ibi *ſcopulus*, ut accipiunt interpretes, pro interitu, tralatione à navi quæ infligitur ſcopulo. *Scopulus* eſt meta vel parvus ſcopus, qui ſtatuitur curriculi terminus. *Scopulum* pro ſcopo etiam poſuit Suetonius in Domitiano, quod Viri Docti per-

Cap. xix. peram corrigunt : *Nonnunquam pueri procul ſtantis, præbentiſque pro ſcopulo diſpanſam dextræ man pusalmam, &c.* Proprie quidem de collimantibus ad ſcopum cum ſagittis dicitur, omnis tamen meta pro ſcopo ad eam tendentibus. Atque hæc raptim. Quod ad Sixtinum attinet, habeat ſibi ſuas divitias, mea me virtute poſſum involvere, & aliena non curare. De illo Paſtore Noviomagenſi Fibularum veterum poſſeſſore, an oblitus es? Nunquid & ille ſua bona nobis invidet? Si oblitus es, fac in memoriam tibi promiſſa redeant. Vale à tuo Salmaſio, & me ama, Lugduni Batavorum, XXII. Auguſti. CIↃ. IↃ. CXXXIIII.

EPISTOLA XLIX.

A MONSIEUR PEYRESC,

Conſeiller du Roy en ſa Cour de Parlement,

A Aix.

MONSIEUR,

I'Ay eu autrefois deſſein de concilier la Muſique ancienne avec la moderne, & voir en quoy elle pouvoit differer d'avec la noſtre. I'ay veu pour cet effect tout ce que j'ay peu rencontrer d'eſcrits en cette matiere par les Bibliotheques où j'ay eu entrée, & principalement en la langue Grecque. I'ay veu tous ceux que marque le Sr. Doni dans ſa lettre, & le meilleur de tous, & le plus exact, eſt le Ptolomée, qui eſt en la Bibliotheque du Roy. Pour l'Ariſtoxene que nous a donné Meurſius, comme il eſt le plus ancien, auſſi eſt il le plus corrompu. Le Nicomache eſt dans la meſme Bibliotheque, & quaſi tous les autres. Quant à l'Ariſtides, il eſt eſcrit de main recente, & il y a à la fin ces 3. hymnes de Dionyſius, que j'avois auſſi tranſcrits autre fois. I'ay conferé encor les deux MSS. de Boëce qui ſont dans la dite Bibliotheque, & fort anciens, pour en tirer le Decret des Ephores contre Timo-

Timotheus, qui ne ſe trouve que là, & que j'ay reſtitué en beaucoup d'endroits par le moien du M S. & de mes conjectures, l'ayant remis tout autrement qu'il n'eſt dans les animadverſions de Caſaubon ſur l'Athenée, ni dans les Notes de Scaliger ſur le Manile. I'ay auſſi un petit commentaire tout preſt de Inſtrumentis Muſicis Veterum, *où j'ay taché de monſtrer quelle difference il y avoit* inter Cytharam & Lyram, *que beaucoup confondent, & laquelle de deux approche le plus de noſtre Lut; y traittant auſſi de la* Cynire, *& du* Pſalterion *des Hebreux. Je penſois le donner incontinent apres mes Exercitations ſur Solin, mais d'autres penſees m'en ont diverti. Ie me rejouis fort que M^r. Doni ait entrepris cette beſogne, & eſpere d'y voir ce que je ne pourrois voir ailleurs. Pour le Pere *****, je n'entend pas grand choſe de luy: il eſt homme de grande lecture, mais il ne me ſemble pas eſcrire avec trop de jugement: & pour la piece Arabique que vous luy avez envoyée, je ne vois non plus qu'il en puiſſe bien faire ſon profit; car il n'entend pas la langue, & ne ſçay perſonne à Paris qui luy puiſſe beaucoup aider, ſi ce n'eſt M^r. Gabriel Sionita. M^r. Golius auroit fort envie de voir cette piece. Il a l'Avicenne de la Muſique, & encor un autre eſcrit Arabe. Outre cela il a encores un autre moderne Latin de* CCC. *ou* CCCC. *ans, qui a eſcrit tres-exactement en cette matiere, & m'a dit n'avoir point veu aucun Autheur, ni Grec, ni Latin, ni Arabe, ancien, ni moderne, qui l'aye mieux traitté. En fueilletant les Catalogues des Livres qui ſe trouvent és Bibliotheques d'Angleterre, j'y ay remarqué les livres de Muſique qui ſuivent:*

Auguſtini de Muſica Eccleſiaſtica, *ſeptem Exemplaria in* VII. *diverſis Bibliothecis.*

Boëthii Muſica, *in* IV. *Bibliothecis: in una adjunctum eſt opus* Anonymi de Muſica; *quod eſt etiam in M. S. Bibliothecæ Bodleianæ.*

Emanuëlis Briennii ἁρμονικὰ Βιβλία. *In duabus Bibliothecis.*

Ariſtides Quintilianus de Muſica Græca, *ſemel in Oxonienſi.*

Gualtherus Monachus de ſpeculatione Muſicæ. *ſemel in Cantabrigenſi.*

Hogeri Abbatis excerpta ex Auctoribus Muſicæ artis. *ſemel ibidem.*

Anonymi expoſitio Muſicorum inſtrumentorum Veteris Teſtamenti.

Ariſtides Quintilianus de Muſica & Ariſtoxeni Harmonica, *extant MSS. in Bodleiana.*

Cl. Ptolomæi Harmonica, cum enarrationibus Porphyrii. *Auguſtæ Vindelicorum.*

Ariſtides Quintilianus, *ibidem*, de Muſica.

Voila tous les enſeignemens que je vous puis donner touchant les Autheurs anciens de la Muſique.

Vos obſervations ſur cette union & communion des langues, procedentes d'une meſme matrice, ſont fort curieuſes, & tresbelles. Nous avons icy un tres docte Alleman, Sileſien, Medecin de Profeſſion & Chymiſte, où il ſçait de merveilleux ſecrets, au reſte fort ſçavant és langues Orientales, principalement en l'Arabique & la Perſienne, nommé Elichman; *dans la quelle Perſienne il a trouvé une ſi grande convenance avec ſa Germanique & Theudeſque, qui ne doubte point que la langue Scythique ne ſoit la matrice de toutes les Dialectes qui ont eſté en l'Europe, & dans une grande partie de l'Aſie & de l'Orient. Il a amaſſe plus de* ccccc. *mots Perſans, qui ſont tout à fait Alemands: & dans la Grammaire de l'une & l'autre langue il a remarqué une telle reſemblance pour la terminaiſon des Verbes, l'analogie des mots, & la Syntaxe, qu'il faut neceſſairement juger, qu'elles procedent toutes deux d'une meſme origine, qui eſt la Scytique. Ces peuples ont autrefois inondé toute l'Europe, & ſont allez meſme juſqu'au fleuve Indus, & ont fait porter leur nom à une grande eſtenduë de pays és environs de ceſte riviere, que s'appelle chez les anciens* Ἰνδοσκυθία. *Les meſmes Perſans ont une infinité de mots qui conviennent avec les Grecs, mais touts ces meſmes ſe trouvent auſſi dans la Theudeſque ou vieil Saxon; ce qui monſtre qu'ils viennent d'une meſme matrice. Il eſtudie à preſent la langue de Baſques, dans laquelle il obſerve un merveilleux rapport de pluſieurs paroles & à ſon Celtique & à ſon Perſan. Nous en avons meſme*

Digitized by Google

ſme chez nous des mots tout purs Perſans, auſſi bien qu' Allemans, comme Gourmand, *eſt une diction entierement Perſique, car* Gour *ou* Chour *eſt à dire* Mangeaille, *&* Mand *eſt une addition qu'ils mettent à pluſieurs vocables pour en faire l'attributif. Ctiſias en les Indiques, dit que* Μαρτιχόρας *ſignifie en langage Indien* ἀνθρωποφάγος. *Ce qui eſt Perſan plus toſt que Indien: car* Mard *ou* Mardi *ſignifie un homme, &* Chor *ou* Chur *mangeaille, & le verbe* Churdan, *manger. Mais il peut eſtre auſſi bien Indien que Perſan. Ie me ſuis un peu adonné à cette langue depuis peu, à cauſe que touts les noms de Simples dont ſe ſervent les Arabes, principalement ceux qui ſont compoſes, ſont quaſi Perſans. Je doibs encore à ce perſonage apres Dieu ma gueriſon: Car touts les Medecins Galeniſtes m'ayants condamné à l'hydropiſie, & ne pouvant plus rien pour ma ſanté, ceſtui ci m'a remis en mon premier eſtat, par le moien de certaines pilules de ſon ſecret, extraictes d'eau de Spa. Tellement que je commence à preſent à me mieux porter. Je ne reprendrai pas encores ſi toſt mes Botaniques, attendant un notable ſecours, ſoit de l'Ebenbitar ancien, ſoit de Serapion, ou de quelque autre, qui vous puiſſe eſtre envoyé du Levant par les correſpondances que vous y avez, ſoit autrement par l'envoy de quelques Simples rares. Vous avez une belle commodité de nous faire venir des ſemences d'Ægypte de Simples qui y croiſſent, & ne m'eſtoit pas ſouvenu dans mes dernieres de vous en parler & prier. Vous ne ſçaurez croire combien de belles obſervations j'ay ſur ce ſubject. I'ay à preſent une autre matiere en main, & plus preſte, qui m'a eſte ſuggerée dans ma maladie par le moien d'une queſtion meuë entre quelques Docteurs Medecins Eſpagnols, ſur un paſſage de Celſus, où il traitte de* Glutinandis vulneribus, *& fait mention d'un mot, qui ne ſe trouve gueres ailleurs, qui eſt* Acia, *pour un filet à coudre & rejoindre une Bleſſure. Ils diſputent ſi* Acia *eſt un fil metallique* ab acie aut aciario, *que nous diſons* acier, *ou bien un fil commun de lin ou de laine. Ayant voulu un peu enfoncer cette matiere, où il a eſté auſſi queſtion de rechercher que c'eſt que* Fibula, *j'ay par occaſion reveu tout ce que j'avois receuilli autrefois,* De re Veſtiaria & de Coloribus, *dont j'ay fait un juſte Volume, qui ſera bien toſt preſt d'eſtre mis ſous la preſſe. I'ay eu de vous*

la figure ſtatuæ togatæ , *que j'employeray dans cet eſcrit ou je vous nommeray, ſi vous le trouvez à propos. Mais il me manque encor bien des choſes. Si je pouvois avoir quelque figure* du Manteau Grec, *j'aurois ce qui me manque ; & encor du* Sagum *de nos anciens Gaulois , qui eſtoit la Caſaque militaire que les Romains ont uſurpée depuis , la figure en eſt aſſez exprimé dans la Colomne de Trajan , auſſi bien que du* Paludamentum *& de la* Chlamys, *qui ne differoient pas beaucoup l'un de l'autre. Ie ne fais point de doubte , que parmis les antiquités de noſtre Marſeille, où l'on a parlé Grec autrefois , il ne ſe trouve quelque veſtige de cet habillement à la Grecque , & de ce* Pallium, *dont je ne puis bonnement me tirer pour en avoir l'eſclairciſſement tout entier ; & tel que je deſirerois. Car je ne vois la forme qu'à travers un nuage.*

Pour voſtre langue Etruſque & leurs Caracteres , c'eſt un point où je confeſſe n'entendre rien du tout. I'y ay ſouvent voulu bailler des atteintes , mais je n'y ay jamais peu mordre. Ie ne ſçay comment il s'y faut prendre : s'il convient aller de dextre à ſeneſtre , ou de ſeneſtre à dextre. Les Caracteres ſemblent eſtre tout Grec. Mais de ſçavoir s'ils les ont apportez tels de la Lydie, ce que je croirois volontiers ; ou s'ils les ont pris ſur les lieux, par le voiſinage des Æoliens ou Arcadiens venus avec Evandre, c'eſt là grande queſtion. Ceux qui ont voulu interpreter ces Tables Eugubines , ne me peuvent pas ſatisfaire. Mettons donc ceci entre les choſes que nous ignorons parfaitement. Pour noſtre ver *ou* var *ou* ger *qui ſe rencontre ſi ſouvent dans nos noms de Villes ou de Rivieres , il eſt tout à fait Celtique , cet à dire Germanique ou Belgique , où* veer *ſignifie* gué *ou* paſſage. *Delà le mot de* Verdun , *Ville ſur la Saoſne , où eſt un paſſage : & de l'autre* Verdun *auſſi, en Loraine.* Varare flumen *en nos Agrimenſeurs, &* varatio fluminis , *eſt un paſſage de Riviere. Ie vous remercie des petites Inſcriptions qu'il vous a pleu adjouſter à voſtre lettre, qui ſont ſans doubte, comme vous le jugez tres-bien, des ſortes anciennes. Il s'en trouve de meſme ſorte dans l'Apologie d'Apulée , ſi je ne me trompe , ou dans l'un des livres de ſa Metamorphoſe. I'ay conferé avec pluſieurs MSS. ces Canons de l'Egliſe*

univer-

univerſelle de Mr. Juſtel, où j'ay d'aſſez bonnes remarques. C'eſt pourquoy je deſirerois voir la verſion Arabique, en beaucoup d'endroits, ou la choſe ſemble obſcure. *******.

EPISTOLA, L.

JOHAN. FREDERICO GRONOVIO.

QUod de illis fibulis, quas avebam videre, fidem liberaſti, gratias ago tibi maximas, Doctiſſime Gronovi. Tantundem enim mihi eſt, ac ſi viderem; quod eleganter eas in literis ſuis depinxit ille Smithus, cui meas curabis. Nec minori etiam me beneficio obſtrinxit, quod indicavit, ubi poſſem ſimiles illis quas habet, in re præſenti oculis hiſce meis uſurpare. Ex locis autem illis Lucretianis, quæ notaſti, video graviſſimum ſcriptorem multis poſſe rebus meliorem fieri ejus ope codicis, qui penes te eſt. Nam & ſcripturæ varietates, quas inde miſiſti, quæ pro librarii vitiis, ſed & pro monſtris, videri poſſent, Germanam auctoris lectionem, ſi parva conjectura adjuventur, mihi exhibere viſæ ſunt. Lib. III. ubi vulgo eſt,

Æternum per nos ſic eſſe ſoporem.

Scriptus codex habet, *Sic eſſe praemo*. Non de nihilo eſt tanta diverſitas. Unde enim librarius pro *ſoporem*, quæ vox & res eſt notiſſima, mente & manu in tantum exerrante poſuiſſet *praemo*. Suſpicor fuiſſe olim ſcriptum:

Nam licet æternum per nos ſic eſſe ſuprema.

Illud enim *ſu* deletum ex affinitate præcedentis ſyllabæ *ſe*, deinde ex *prema* factum *praëmo*. Quod ad ſenſum attinet, hoc vult auctor. Fruſtra, inquit, timent homines, ne in morte ſiti premantur, aut alicujus rei deſiderio torqueantur. Nec enim tum quiſpiam ſe, aut ea, quæ in vita habuit, requiret, cum mens & corpus illo ſomno letali jacent conſopita. *Nam vel per nos licet æternum ſic eſſe ſuprema.* Id eſt, ſic nos eſſe æternum, quales ſumus ſtatim poſt ſuprema, plane per nos licet. At tunc nullum

lum nos noſtri deſiderium attingit, cum tamen recentes ſimus ab ſenſuum privatione. Non longe ab ſenſiferis motibus errant primordia illa quibus ſentimus, & cum ab fine nondum procul abſimus. Pone ſic nos æternum futuros quales à ſupremis fuimus, longe certe minus ſentiemus, quo longius à ſupremis abfuerimus. *Suprema* interdum pro tempore ipſo, quo morimur. Ut *in ſupremis eſſe* dicitur qui animam efflat, ἐν τοῖς ἐσχάτοις εἶναι. At *ſuprema* etiam pro reliquiis corporis recens combuſti accipimus: ut ad Hiſtoriam Auguſtam obſervavimus, Τὰ σώματος ἔσχατα. Hoc ſenſu puto accipi hoc loco Lucretii debere. Licet, inquit, æternum ſic eſſe ſuprema noſtra; nihilo magis vitam & quæ ſunt vitæ propria deſiderabimus in æternum, quam cum nuper noſtra ſuprema fuere condita. At lib. IV. locus ille longe corruptiſſimus in editionibus. Sic Lambinus noſtras edidit:

Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Fæmina commulſit.

Dicis codicem tuum habere:

Et commiſcendo cum ſemine forte virili
Fæmina vimulcit.

Ne dubita mecum legere:

Et commiſcendo cum ſemine, forte virilis
Fæmina vim mulſit, ſubita vi corripuitque.

Cum in ſemine, inquit, commiſcendo, vim virilis ſeminis fæmina mulſit, vi ſubita. Ex illis eſt Lucretius, qui ſentiunt in coitu fœminam pariter ſemen emittere, & commiſcere cum viri ſemine. Quod ex ſequentibus apud illum clarum eſt. Nam ſimiles matribus è ſemine materno fieri tradit, & patribus è paterno. Mulgere autem ſemen viri apte fæmina dicitur. Vir autem ipſe immulget. *Vim ſeminis* quin proprie admodum dixerit, non dubitabis, ſi bene te novi. *Vim* illam *Lucilii fervidam* vocat noſter Arnobius. Vide etiam mihi illo l. IV. verſum hunc, quem è conjectura emendavi, an codex tuus eum ſic ſcribat:

Uſque adeo certe ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitaï jam mors & terra potita eſt.

Quæ nullum ſenſum efficiunt. At legendum puto:

Reddita

Digitized by Google

Reddita vita jam mors & terra potita eſt.

Reddita, ſecunda producta, à *reddire* pro *reddere*. Sic *reddibo* apud Plautum pro *reddam*. *Reddere vitam* & *animam* tralatitium eſt. Ad tua nunc redeamus. Notas lib. v. verſum hunc ita ſcribi in vetuſto codice:

Conſequiæ quoquè rerum ex ordine certo.

Unica voce addita veram feceris lectionem:

Conſequiæ quoque rerum ſunt ex ordine certo.

Nihil impurius edita lectione. *Conſequiæ* ſunt conſequentiæ. Ut enim ab *obſequor obſequium*, quî minus à *conſequor conſequium*. Imo & hæc *conſequia* enallage numeri. Quod etiam analogum. Ut enim à *carpo, carpia*, ab *adtego, adtegia* pro caſa, ſic à *conſequo conſequia* pro conſequentia. Veteres enim, ut ſcis, *conſequo* & *inſequo* & *obſequo* dicebant. Sic *offuciæ* & *offucia* ab *offuco*. Et talia ſexcenta. Lib. VI. Illa etiam omnino vitioſa in editis:

Neque enim media de clade coörtam.

Quæ eſt enim illa *media clades*, è qua coörta flammę tempeſtas ibi dicitur, quæ ab Æthna exundavit? Tuus liber habet: *Media Greciade coörtam*. Indubitanter ſcribo:

Neque enim media è re clade coörtam
Flammæ tempeſtas Siculùm dominata per agros.

Quod & ſequentia oſtendunt. Non, inquit, media è re coörta clade, incendium illud, quod per Siculos agros dominatum eſt, finitimas ad ſe gentes mirando ac terribili ſpectaculo convertit. Non è media re illa clades coörta eſt, id eſt, ex media rerum natura, ex ſumma rerum. In ſequentibus id explicat. Vide etiam mihi aliquot ab hoc verſu verſibus, quomodo ſcribat tuus codex hæc verba, quæ noſter Lambinus ſe correxiſſe gloriatur, cum manifeſto corruperit:

Scilicet & fluvius quis viſus maximus eii,
Qui non ante aliquem majorem viderit.

Sic enim hunc verſum conſtituo è veteri ſcriptura, cum ille, quem dixi, ediderit:

Scilicet & fluvius qui non eſt, maximus eii eſt.

Scilicet & fluvius aliquis viſus ei maximus, qui majorem non viderat. Quod primo loco ſignaſti è libro primo, fugerat me,

Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.

Ubi veterem codicem habere dicis, *Ora latum*. Quid ſi Poëta ſcripſit *altatum*. Cur non *altatum* pro exaltato & excelſo potuit dicere, ut *vivatum* idem dixit? Eodem libro hunc de meo verſum perſpice:

------ *Pedibus qui pontum per vada poſſent Tranſire.*

Quid enim hoc, *pontum per vada?* lego: *Pontu per vada*, id eſt, πόντου. Sic *Pelage ſonora* Græce dixit, πελάγη. In Lib. III. Hæret mihi magis aqua in illis:

At non jam domus accipiet te læta;

ubi ſignificas in libro veteri legi: *Vim non jam domus excipiet*. Nihil jam occurrit, quod placeat, niſi forte velis probare: *Quin non jam domus accipiet*. Quod tamen longius è veſtigiis abit. Somniabam etiam: *Im non jam domus accipiet te læta*. *Im* pro eum, ut *ibus* pro *iis*. ἐμφατικῶς autem dicit: Eum te non domus accipiet læta. *Is tu*, *Is ipſe*, ἐκεῖνον σε, id eſt, qualis hic es, non talem accipiet ibi domus læta, non eum te, qui hic es in vita, ubi mortuus fueris, non domus læta accipiet. Aliud impræſentiarum excudere non poſſum. In eodem libro lego è ſcriptis:

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit, ſtellas exortus uti ætherius Sol.

Ubi perperam Lambinus *præſtinxit*, contra fidem librorum, & Latine loquentium uſum. De quo nos alibi. Epicurus omne genus ingenio ſuo ſuperavit, & extinxit ſive reſtinxit ut Sol adventu ſuo ſtellas reſtinguit, cum lumen ſuum illis adimit. Sic infra lib. V. *Præclarumque velit Solis reſtinguere lumen*. Tertullianus: *Redaccenduntur & ſtellarum radii, quos matutina ſuccenſio extinxerat*. Velim etiam ſcire eodem libro non longe ab loco ſuperius indicato, quomodo legat tuus liber iſto verſu:

Et contempſit aquis inſultans murmure ponti.

Quicquid enim ibi dicat Lambinus, magis probem ſcribi:

Et contempſit equis inſultans murmure ponti.

Inſultare

Inſultare equis murmura ponti. Sic *inſultare fores* apud Comicum. Hæc raptim exaravi, quæ boni conſules. Vale, & me ama. Lugduni Batavorum. Idibus Septembribus CIↃ. IↃ C XXXIV.

EPISTOLA LI.

IO. FRED. GRONOVIO.

VIx è manibus meis heſterno die literæ ad te meæ exierant ut mitterentur, cum mentem ſubiit in loco quodam Lucretiano conjectura plane palmaria, quam tibi indicandam credidi. Lib. IV. non ſolum liber tuus, ſed etiam, qui à Lambino excuſſi ſunt, præferunt:

Et commiſcendo cum ſemine forte virili
Fœmina vimulcit ſubita vi corripuitque.

De reliqua emendatione quam tibi ſignificavi nihil nunc muto.

Et commiſcendo cum ſemine, forte virilis F. vim &c.

Sed illud *mulſit* mihi plane non arridet, & à veſtigiis ſcripturæ veteris ſatis recedit, quæ *Ulcit* habet, non *Ulſit*. Et ſane nihili eſt illud verbum hoc loco. Quod ſi diſtrahas ac diſpares verba illa veteris ſcripturæ, *Vim ulcit*, ſenties quam vim habeant ductus illi literarum ad veram lectionem eruendam. Nam ſi faſtigium ſecundæ literæ in nomine *Ulcit* demittas, & ad æqualitatem redigas, tum tibi apparebit certiſſime legendum, *Vim vicit*. Non neſcis qui ſcriptos codices tractas, quam ſæpe illa duo elementa invicem permutentur. Sic Lib. VI. *Ciade* pro *clade* tuus liber præferebat. Sic Lib. eodem III. notat Lambinus omnes ſcriptos libros habere, *Eſtolam* pro *Eſto jam*. Nihil porro melius ad ſententiam, quàm ita ſcribere. Rationem reddere inſtituit cur filii patribus ac matribus ſimiles exiſtant. Si ſemen virile ſuperavit, tum prolem patri ſimilem gigni; ſi contra muliebre, tum matribus ſimiles natos exire.

Hoc igitur dicit, ſi in commiſcendo ſemine, virilis ſeminis vim fœmina vicerit & ſubita vi corripuerit, materno ſemine fieri ſimiles matrum. Ita hic eſſe ſcribendum & qui ſequitur poſt paulo verſus oſtendit:

Et neque utrum ſuperavit eorum, nec ſuperatum eſt.

Quod ad locum alterum attinet è libro III. in quo mihi aqua hærebat, ut conſtitueram ſcripturam antiqui libri, nunc id videor reperiſſe. Nam plane legendum autumo: *I, non jam domus accipiet te læta*. Pro, I, factum ab ineptis primò *vi*, deinde & *vim*. Proſopopœia eſt & allocutio remanentis in vita ad eum qui diſcedit è vita: i, jam non quo is, domus accipiet te læta. Et hoc ἐν ἤθει. Diſcedentes quippe aliquò ſic alloquebantur cum valedicerent: *I, rediturus*. Illud *At*, quod eſt in vulgatis, nihil ad rem facit. Hoc te volebam ne neſcius eſſes. Vale & me ama. Lugduni Batavorum. xv. Septemb. CIↃ. IↃ. C XXXIV.

EPISTOLA LII.

IOH. FREDERICO GRONOVIO.

FRuſtra excuſas infrequentiam tuam in me adeundo, cum eſſem Amſtelodami. Fruſtra, inquam, ubi nemo te accuſat. Libero te culpa, quæ nulla eſt. Omnia mihi ab amicis, & quos tales eſſe ſcio, in æquo ſunt, ſive inviſant raro, ſive ſæpius: modo ne illis inviſus ſim. Hoc enim ſolum deprecor. Quin hoc etiam fruſtra. Cui enim inviſus eſſe queam, qui me diligat? Parabam tuis prioribus reſponſum, cum poſteriores ſupervenerunt. Ad utraſque igitur unum idemque habeto. De loco Arnobiano nimis diſtat à veteri ſcriptura illud tuum *carnem*. Præterea non in corpora noſtra eam verti dixit Arnobius, ut Lucretius, ſed in valetudinem. Non poteſt igitur idem eſſe. De eo ad Arnobium ipſum viderimus. Nec illud placet *deminimum* apud Lucretium. Quamvis non negem ita dici poſſe, ut *deſubito* ac *derepente*, ac *demagis*: illud tamen

tamen *ſed minimum* magis requirit Lucretiana illius loci mens. Præterea aliud eſt. Nam quod *derepente* dictum eſt ac *deſubito*, compoſitum eſt utrumque. *De repente*, *de ſubito* prius dicebatur. Ideo ſervavit regimen. At *deminimum* non ita eſt. Quin dici deberet, ut par foret, *deminimo*. *Demagis* etiam aliud. Nam illud *De* ibi auget non minuit ſignificationem, etſi non neſciam ſecundum quoſdam minuere. Verum ſive augeat, ſive minuat, non eo trahi poteſt. Sic *deſubito* dicitur, ut Græcis ἐκ τοῦ ταχίστου. *Demagis* eſt ὅτι μάλιστα, vel ὅτι μᾶλλον. *Demininum* nihil eſſet. Poſtremo, conſtructio poſtulat *ſed minimum*.

Non modo, inquit, non omne durare per ævum poſſit, ſed ne minimum quidem conſiſtere. Non omnia, quæ ſcripti codices exhibent, laudanda, ſed cum judicio eligenda, & bonæ à malis ſcripturæ diſcernendæ. Illud *Eſſeque prohibet*, quod è ſcripto eruiſti, valde mihi arridet, nihil eſt verius. In illis *neque enim ſe vindicat hilum*, agnoſco conjecturam Lambini, quæ locum veteris lectionis occupavit, *Neque enim ſe vidit*, pro quo primæ editiones habuerunt, *Neque enim ſe dividit*. Quod magis inſiſtit veteribus veſtigiis, nec abſonum habet ſenſum. Ille, inquit, qui putat ad ſe pertinere quod feræ & volucres corpus ejus laceraturę ſint poſt mortem, non ſe ſegregat, nec removet à projecto corpore, ſed quaſi individuum cum illo facit, tanquam ſi eſſet in illo corpore projecto, quod feræ lacerant. Nihil aptius nunc ſuccurit. *Fluctus* pro *Fructus* puto eſſe vitium ſcripti codicis. Dum locum, qui ſequitur, attentius conſidero, non de morte, ut in prioribus ad te memini exiſtimare, ſed de ſomno video jam debere intelligi: *Cum pariter mens & corpus ſopita quieſcunt*, nempe ſomno, cui deinde ſubjici velim hunc verſum, cui alius interjectus:

Nec deſiderium noſtri nos adtigit ullum.

Non enim, inquit, tum ſe vitamque aliquis requirit, cum mens ejus ac corpus ſomno demerſa quieſcunt, nec deſiderium noſtri nos ullum attingit. Poſt quos ſequi facio iſtum cum noſtra correctione, *Nam licet æternum per nos ſic eſſe ſuprema*. Per nos, inquit, licet ſic eſſe ſuprema, mortem nempe ipſam, ut

P 3 eſt ille

Digitized by Google

eſt ille ſomnus. Vel etiam fortaſſe prius ad ſcripturæ ductum :

Sic eſſe ſupremo.

Supremo nempe ſopore vel ſomno, ſic licet eſſe per nos æternum, ut eſt iſti quotidiano quo requieſcimus. Vides conjecturas res non ſemper eſſe certas. In loco Calpurnii non mutem, *Vmbra*, in *bruma*. Nempe umbra fuſcos artus naturaliter cogit albeſcere, ſi in umbra & ſub tecto ſemper educentur : ſic τὰ λευκὰ & τὰ ἐσκιατραφημένα σώματα Græci vocant, quæ candorem contraxerunt ex tecti umbra. Nec obſtat quod ſequitur, *Tantum tempori licet*. Tempore enim opus eſt, ut quis albeſcat in umbratili tecto. Tridui enim aut quatridui res non eſt. Dicit ergo, ſi quis diu in umbra educetur quamvis naturaliter fuſcus, albus tamen tandem evadet, tantum tempori licet. Hæc ad priores, nunc ad poſteriores tuas veniam. Difficillimus tibi videtur locus Lucretii è Libro VI.

Vndique qua circum Cœli lorica coërcet.

Certe ſi ita legamus, non ſolum difficilis, ſed plane inextricabilis. Ex veteri Scriptura ſi conſtituatur, nihil habet quod non ſit vel communi intelligentiæ pervium. Sic igitur legendum ac diſtinguendum :

----------- *Permanat odos friguſque, vapoſque*
Ignis, qui ferri quoque vim penetrare ſuëvit.
Denique qua circum Cœli lorica coërcet,
Morbida vi quacunque extrinſecus inſinuatur.

Poſtremo, inquit, quacunque, qua circum Cœli lorica coërcet, id eſt, ſub Cœli tegmine, vel ut alibi, qua nos Cœli ambit amictus, morbida vis corporibus inſinuatur. Pro corollario & mantiſſa addam ex eodem Libro verſum deſperatiſſimum, in quo Viri eruditi fruſtra diu deſudarunt, feliciter ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ à nobis, præfiſcine dixerim, reſtitutum :

Qualis apud Cumas eſt Ocris vipera montis
Pompeji calidis ubi fumant fontibus aucti.

Ita noſter Lambinus edidit à conjectura Turnebi, cum ipſius libri haberent, & tuus ille quem vidiſti :

Is locus eſt Cumas aput acri ſui per montes

Oppleti

Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Vide ſis an divinus ſit, qui conjiciat legendum:

Is locus eſt Cumas apud, acri ſulpore montes
Oppleti, calidis ubi fumant fontibus aucti.

Scis in illo codice, ut & antiquiſſimis quibuſque L pro I & contra ſæpe occurrere. Cum igitur ſcriptum eſſet *acriſni pore* pro *acri ſulpore*, ex eo factum, *acris vi per montes*. Non commendabo tibi pluribus hanc conjecturam. Per ſe bonitas ejus patet. Sed nec verbum ampliùs addam. Reſcribam intra paucos dies Smithio noſtro. Interim vale ac me ama. Leydæ. III. Idus Octobres CIↃ. IↃ. CXXXIV.

EPISTOLA LIII.

GULIELMO STAACKMANNO,

Concilii Potentiſſ. Ordin. General. Fæd. Belgii Aſſeſſori Ampliſſimo.

Nobiliſſime & Ampliſſime Vir,

NON ſatis habuiſti præſentia tua me ante aliquot dies honorare, niſi etiam litteris tuis abſentem ac verſibus condecorares & tanto quidem acceptioribus quanto minus exſpectatis. Quis enim ſperaret non dico verſus ab Staackmanno, omnis elegantiæ, omnis leporis, omnis denique eruditionis patre, ſed verſus Gallicos tam dextro Apolline, tam Muſis faventibus factos? Ut nihil magis præter ſpem mihi poterat accidere, ita nihil magis ad guſtum fuit. Verum & hic guſtus, ut fatear quod res eſt, non ſine quodam animi morſu evaſit. Inter legendum primo ſtupore defixus in veſtigio hęrebam tacitus, ut illę apud inferos animę Virgilianę quas ad conſpectum Æneæ attonitas & dicere aliquid cupientes vox hiantes fruſtrabatur. Conſumpta demum admiratione, vel potius delaſſata, recollectis ac redintegratis ſenſibus, repente in hanc

erupi exclamationem: In Hollandia natus, qui oculis ſuis Galliam nunquam vidit, tale Gallicum Carmen pangit! Deinde etiam re diutius & attentius penſiculata, pudor iraque mentem præcipitare cœperunt, cum intra me agitarem quid agendum mihi eſſet. De reſponſo quidem minimè dubitabam, quin eſſet aliquid reponendum tam obviæ & prolixæ humanitati; ſed an Latinè tantum, mihi ipſi inquiebam, reſpondebis, & pedeſtri quidem ſermone? Itane tu auditor tantum nihil rependes quod par pari faciat, Gallus ab Hollando Gallicis verſibus laceſſitus? Ab his ſtimulis animos ſumentem mox vires deficiebant, deinde protinus ab hac imbecillitatis conſcientia in ruborem dabar. Iterum tamen extimulatis animis in pudoris locum indignatio ſubibat. Hem quàm aſtutè me aggreſſus eſt ea parte qua imbellem, inopem ac nudum putavit! Non ſic abibit, & me virum ſentiet, mori me mallem. Verum poſt paulo ad meliora redibam. Non cogitas qui ſis & qualem te natura condidit? velis tantum quod poſſis. Vis oſtendere quam ſis ineptus? patere te non eſſe Poëtam. Sic reſipiſcebam. Non diu manſit hic ſtatus. Statim quippe quaſi mente captus aliovorſum rapiebar; Et minor quidem tum dicebam, pudor eſſet ſi Latino Carmine provocaſſet. Quã multi hìc ſunt Poëtę quibus debes concedere? Sit & hic ſane inter illos & numerum eorum aſſe augeat. Sed quis feret Hollandum Gallicos Verſus Gallo mittentem, & Gallum mutientem? Utinam Hollandicos Gallus poſſet facere. Sic vindicari poſſes. Ubi te abſcondes ſi ſaltem Gallicos non remittas. Age ergo exurge ac fac ſi facis. Audentes non ſolũ fortuna ſed & Muſa juvat aliquando. Quem natura negat facit indignatio ſed & admiratio verſum. Utrumque hìc militat. In hoc æſtu & œſtro mentis arreptæ quæ prima venit in manum chartæ hoc Epigramma impoſui, non tam certandi cupidus, ut inquit ille, quam propter amorem, ut oſtenderem quid de illis tuis elegantiſſimis politiſſimis & amœniſſimis verſibus ſentirem, ſimulque & gratias agerem pro hac jucundiſſima dape qua me beare dignatus es. Raptim ſcribebat Leydæ V. Kal. Novemb. CIↃ. IↃ. CXXXIV,

Amplitudini tuæ dicatiſſimus CL. SALMASIVS.

Sur

Sur les Vers François de

MONSIEUR STAACKMANS.

OU va tu chere Muſe? où eſt toute la bande?
As tu laiſſé tes Sœurs? Que fais tu ſeule icy?
Ton ſejour eſt Paris; cependant te voicy.
Quelle humeur t'a portée à venir en Hollande?
Mais me trompe-je point? Di moy, je te demande,
Ne viens tu pas de France? & pourquoy donc ainſi
Changes tu ces doux lieux en un air ſans merci,
Où tousjours pluye, ou vent, ou le froid nous gourmande?
Ie ne me trompe point, la Muſe que je voy
Au geſte & à l'habit n'a rien, comme je croy,
Qui nous face juger qu'elle ſoit Hollandoiſe.
Je ſuis pourtant trompé. Qui ne le ſeroit pas,
Voyant & ſa parole, & ſon port, & ſon pas,
Sa face, & ſa façon, & ſa robe Françoiſe?

Par voſtre tres-humble Serviteur

DE SAUMAISE.

EPISTOLA LIV.

Viro Clariſſimo

GULIELMO STAACKMANNO.

Hagam.

CUm promiſſi reus apud te ſim, ecce nunc fidem meam libero, ac mitto tibi Myſteria illa Ægyptiaca quibus abundo & quibus tu cares. Nullum hîc myſterium eſt. Res aperta & ſimplex & admodum nuda. Quem duplicem habui

Q buí

bui librum, tu neque ſimplicem, volui facere ut uterque noſtrûm poſſet habere. Quam benè viveretur ſi ſic in omnibus vita inſtituta foret; ut qui habent plus quam ſat eſt, illis adderent qui minus quam par eſt poſſident? Nihil opus eſſet Lycurgi aut Solonis legibus ἀναδασμὸν ſuadentibus. Quod vix ac ne vix quidem obtineri poſſit ut fiat in aliis rebus, hoc inter nos licet, & in libris quidem duntaxat exerceamus. Cum uſus venerit, ut gemini tibi adſint, mihi nec unicus, utar iſtac libertate ad quam hic exemplo te provoco. Cave autem ſis remittas, ne fiat illud Virgilianum: *Itque reditque viam toties*. Nam ſanè iterum ad te ibit, atque iterum, donec Ohe dicas jam ſatis eſt, ego recipio. Vin' ſcire & aliam rationem cur hunc duplicem retinere nolim. Nihil me eſt ſimplicius. Nihil ergo duplex habere volo. Idque hoc Tetraſticho expreſſi ſub manum nato, ut ſi proſa minus poſſim, ſaltem malis verſibus perſuaderem:

Vade liber, dic STAACKMANNO, *te poſſe carere*
Immò etiam Dominum velle carere tuum.
Adde quod & duplicem Dominus te nolit habere:
Cur? quia nec duplex ipſe, nec eſſe velit.

In his finiam. Vale Vir Ampliſſime, & Salmaſium, quem ſemel amare cœpiſti, ut judicium tuum tuearis, amare porro perge, qui omni obſequio officioque ſe tibi addictiſſimum profitetur. Leydæ. A. D. Pridie Kalendas Novembres. CIↃ. IↃ. CXXXIV.

EPISTOLA LV.

Viro Clariſſimo

GULIELMO STAACKMANNO,

Hagam.

Ampliſſime Domine,

CErtè illud erat quod proxima nocte ſomniavi, me, cum digito terram ſcalperem, theſaurum aperuiſſe. Mane expectabam eventum ſomnii, cùm ecce qui librum cum

cum tuis attulit. Non ad Conjectorem mihi eundum fuit, cum tam luculenter manifeſta fides pateret, me ſomniare eventura. Quid ego dicam? Nemini puto ante me natum contigit meliori conditione eſſe liberalem. Quoſcunque, avidos, aridos, avaros reperias, facile ut ſua prodigere velint, iis poſſes perſuadere, ſi tanto cum fœnore quæ expenderint ſciant reditura. Quid eſt in reditu liberalitatem habere, ſi hoc non eſt? Si totam Ægyptum miſiſſem, & ἀντίδωρον remitteretur totum Belgium, quale hodie accepi, fortean dici poſſet aliquid in eo fore ἰσόρροπον. Provincia cum provincia paria utcunque faceret. Immo Belgium una in lance cum Ægypto poſitum facile præponderaret, quæ multitudine aquarum, urbium, populorum, alteram ἐκ πολλῦ ἐπιμέτρυ vincit. Quid ſimile nunc factum? Pauca Hieroglyphica Ægyptiaca miſi, pro quibus univerſum reponitur Belgium. Tanti non ſit ne Ægyptus quidem univerſa, nedum hæc frivola quibus id pretium à te ponitur, quod ne ille quidem, à quo hęc profecta, mereri poteſt. Rem putemus ipſam ac penſitemus, liber cum libro expendatur. Sidet tuus uſque ad infimum ſolum, meus ad auras ibit aërias præ levitate. Tale illud meum munus revera levidenſe, ubi ille Diomedes qui χάλκεα χρυσείων olim mutavit? ubi ille Glaucus qui aurea pro æreis dedit? Ecce nos, tu in perſona Glauci, ego in Diomedis redivivi. Cepit me impetus facere ut eadem via qua venerant redirent, quæ pudorem meum non tantùm onerant, ſed & graviſſimè vulnerant. Sed veritus ſum ne illa quæ manu emiſi ad me reverterentur, cum majori etiam rubore & onere meo graviore. Quid igitur facerem? Veniet tempus cum munificentiam iſtam tuam ulciſcar. Sed hæc verba & in diem iſtæ minæ ſunt, interim tuo damno divitior ſum. Volui Muſam interpellare ſaltem quæ hoc nomine tecum hanc injuriam expoſtularet, ſimulque pro contumelioſo beneficio gratias ageret, ſed nihil potui ab illa nunc extorquere. Cum cauſam quærerem, otium ſibi eſſe negavit. Verum aliud eſt. Iratam illam tibi & mihi eſſe video. Tibi quod ſorori ejus fidem non habeas, ac de judicii ejus ſinceritate viſus ſis addubitare: mihi quod ejus virium conſcius

conſcius quam imbecillæ ſint, cujus rei gratia ſemper latuerit & inter privatos parietes diligenter aſſervata fuerit, nunc eam publicare incipiam & traducere; ſpero me tamen ubi quietior fuerit pacatiore etiam uſurum. Quod fiet ante reditum tuum, cui carmen parabo votivum; quem tibi jam fauſtum felicemque precor,

Leydæ IV. Nonas Nov. CIↃ. IↃ. CXXXIV.

Tuæ amplitudinis dicatiſſimus

CL. SALMASIUS.

EPISTOLA LVI.

JOHANNI BEVEROVICIO.

AMpliſſime Beverovici, Si quisquam unquam venia ſe indignum ſenſit & tamen petere non erubuit, ab illo præſertim quem facilem dandæ putavit, is ego nunc eam a te peto. Quid vis amplius, confitentem habes reum, atque adeo fortaſſe magis merentem cui ignoſcatur, quod culpam nec excuſat nec deprecatur, ſed apertè ac ingenuè fatetur. Abduc, vinci, verbera, tuo huic quamcunque pœnam voles imponere, æquo animo feram; quia plura his & majora meritum me ſcio ſupplicia. Quod enim contra mutire aut hiſcere auderem, quid cauſæ adferam? An ab eo tempore, quo tuas poſtremas accepi occupatiſſimum me fuiſſe dicerem? Verum equidem dicerem. At nulla tanta occupatio, nulla etiam tanti, cui aut quadrantem horæ ſurripere non potuerim, aut quam non poſtponere debuerim, reſponſo tuis dando. Quocunque igitur me verto, nihil excuſationum occurrit, ſaltem idonearum aut legitimarum. Melius itaque fuerit ac honeſtius ut compendium faciam mei expurgandi, cum nulla ad hoc ſuppetat via, ſed criminis veniam in tuâ facilitate & humanitate totam reponam: dum tamen vel tuo permiſſu hoc addam, cauſam unicam hanc mihi fuiſſe, cur ad te non reſcripſerim, quod ſperarem me mearum ipſum-

Digitized by Google

ipſummet tabellarium futurum; id ſane percupiebam, & faciundum fuit, ſed ſcis non ſemper bonum eventum noſtris optatis ſuccedere, ut & hic mihi accidit præter animi voluntatem ac decretum quidem, ut putabam, certiſſimum. Nunc cum videam ſpem illam te videndi intra hunc ſaltem & alterum menſem decollaſſe, mihi nunc δεύτερον πλοῦν tentandum eſſe ſtatui, quo hoc tibi indicarē, &, ſi poſſem, ſatisfacerem. Falleris enim ſi putas hoc mihi volenti accidiſſe ne te viderem, ut mihi ad humiles preces nunc decurrendum ſit, quibus id factum nolle & pœnitere coactus & invitus dicam. Mallem vel ter te inviſiſſe, quā ad hoc deſcendere. Ex animo igitur dicto credas vel etiam ex eo colligas animum mihi fuiſſe te inviſendi, cum illam mihi quod non fecerim, caſtigationem imponam, quam longe graviorem itinere quo ad te pergendum fuit ac difficiliorem cenſeo. Statim poſt recuperatam valetudinem ut ambulare potui, & aërem ferre, Hagam ivi eâ ſpe, ut etiam inde ad te rectà. Sed uxor unà mecum aderat, cui certis de cauſis, quæ inopinatæ excitæ ſunt, Leydam redeundum fuit. Sequenti ſeptimana adpetebant nundinæ Amſtelodamenſes. Invitavit me & uxorem Clariſſimus Voſſius per literas, ut occaſione nundinarum vel eam maxime viſendam ampliſſimam urbem accederemus. Lente promiſeram, cum ecce in ipsâ dubitatione nec opinantem oppreſſit, & fruſtrà moras nectentem cauſasque allegantem per vim ſecum abduxit. Inde redux volebam ad te, & animus eò volabat, cum mihi de ſubitò novæ compedes injectæ, quæ domi huc uſque me retinuerunt. Uxor jam tum erat prope terminum, non illum tuum, cujus finem adhuc videre non potuimus, & neſcio quando viſuri ſimus, ſed ejus oneris quod in ventre portat, ac nondum emiſit. Sic æque fallax illa ut ego in termino ſuo deſignando. Credebat jam tum tamen ſe propinquam eſſe partui, ac verebatur, ne, ſi mecum iret, in naviculâ ſarcinam effunderet, aut apud te ſane deponeret. Potuiſſem viam ſolus conficere, etiam voluiſſem: ſed ſolito in his locis meticuloſior, quod nullas hic habet matronas affines aut propinquas aut amicas, noluit me abſente ignotis ſe committere,

tere, præcipue hoc anno, quo tam multi difficiles ac periculoſi nixus undique ipſi nuntiati ſunt. Hæ veræ ſunt cauſæ meæ ceſſationis; quas ſi non ducis ſonticas & idoneas, ego quod contra dicam non habeo. Sed quæ tua facilitas eſt, his facile te acquieturum confido. De *Ramice* quam proponis Quæſtionem, non æque arduam exiſtimo, atque illa dudum à te fuit propoſita de *Termino Fatali*. Non dubium quin *Ramex* optimis & claſſicis Auctoribus ſit herniæ genus. Etymon ipſum vocis id clarè oſtendit, eam eſſe herniæ ſpeciem, quæ ramo ſimilis ſit. Ex omnibus generibus quam Græci κιρσοκήλην vocant, quâ venæ intumeſcunt, & ramulos referunt, eam Latini *Ramicem* appellarunt, teſte Cornelio Celſo lib. VII. Plinius non aliter hanc vocem uſurpavit: Juvenalis etiam manifeſtè herniam intellexit hoc verſu,

Jacet exiguus cum ramice nervus.

Lucilius apud Nonium his verſibus de hernia planè exponendus:

Quod deformis ſenex arthriticus ac podagroſus,
Et quod mancus miſerque exilis ramice magno.

Varronis apud eundem verba in eum ſignificatum rapienda omninò ſunt: *Rapta à neſcio quo mulione, raptoris ramices rumpit*. Scis enim hernioſos non valde juvari, ſi in Venerea palæſtra vehementius deſudent. Facilè illo opere rumpuntur ramices. Loquitur de rapta quadam formoſula, quæ raptoris ſui ramices rumpebat. Nihil etiam magis nocet ramicibus, id eſt, herniis, quam ſpiritum ex alto collectum cum vi & contentione emittere, ut faciunt tubicines tibicineſque. Hinc raros hodiè videre eſt tubicines, qui non ſint hernioſi. Idem fatum fuit & tibicinum olim. Quare & illa verba Varronis apud Nonium de herniis capienda; *Priuſquam in Orcheſtra Pithaules inflet tibias, domi ſuæ ramices rumpit*: Domi nempe meditatur tibicen, & id ipſum domi canit, quod poſtea in Orcheſtra tibiis eſt incenturus. Ideò & domi ſuæ ramices rumpit, priuſquam rumpat in theatro. Cum tot probati Auctores & antiqui non aliam *Ramicis* notionem agnoverint, an credibile eſt Plautum aliter

eâ

Digitized by Google

eâ voce uſum eſſe? Non ſit mihi veriſimile. Veterum Auctor Gloſſarum ſemper ita exponit, *ramex* ἐντεροκήλη. Nunquam in pulmonis ſignificatione apud eum legitur. Alio loco ἐντεροκήλη *ramis, ramix*; & ἐντεροκηλήτης *ramicoſus*. Arnobius ita etiam uſurpavit. Alia Gloſſa: *ramex*, κήλη. Sed Plauti locus contrarium innuere videtur. Imo idem ſi recte capiatur:

-------- *Placidè volo acquieſcere;*
Tua cauſa rupi ramices, jamdudum ſputo ſanguinem.

Duo ſunt non unum, & rupit ramices, & ſanguinem hic ſputat. Quod unum ex acri contenta & longa curſura evenire certum eſt. At quod ſequitur: *reſinam ex melle Ægyptiam vorato, ſalvum feceris,* remedium eſt, ad ſanguinis rejectionem, non ad ruptos ramices aut herniam. Nam ad herniam nullum occurrebat præſens remedium quod ipſi indicaret: ideo ad ſolam ſanguinis ſputationem monuit, ut eo remedio uteretur, quod facile erat atque in promptu. Vide doctum hominem, qui inter *ramices* ac *ramicem* diſtingueret, & *ramicem* vellet eſſe herniam, *ramices* venas pectoris ſive pulmonis. Fruſtrà: Ramices, venæ illæ ſunt quæ intumeſcunt in κιρσοκήλῃ. Nec aliter ſumendum & altero Plauti loco, quem citavit Nonius è Pœnulo:

Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quiſquam flagitat;
Tua cauſa nemo noſtrum eſt ſuos rupturus ramices.

Contentione enim vocis etiam hernia fit. Quod adeo verum eſt, ut ſciam Charthuſianos, qui ſtantes diu & iteratis vicibus multis de die nocteque in Eccleſia canunt, iſti morbo eſſe plurimùm obnoxios. Quod ex nonnullis aliquando audivi. Hæc de Ramicibus. De reſinis Plinianis in ea Epiſtola dixi, qua tibi reſpondi de *Termino Vitæ* ſciſcitanti, & id habebis quando exibit illa Epiſtola; quam non decrevi premere: ſed nondum maturitas ejus advenit. Dicam cum advenerit: interim ama me & vale. Leydæ, ipſo Martini die. CIↃ. IↃ. CXXXIV.

EPI-

EPISTOLA LVII.

Præſtantiſſimo & Clariſſimo Viro, *IACOBO GOLIO.*

LOcus ille Auctoris tui Arabis, clariſſime Goli, ex quo didici Anni Perſici Intercalaris *Ierdegirdici* ultimum diem ex ſex adjectitiis occupaſſe ipſum primum diem anni ſequentis, quantivis mihi pretii viſus eſt. Ex eo enim rem adhuc incompertam & Scaligero ignoratam didici, annum illum Perſicum in ſequentia evagatum eſſe, non in anteriora ut voluit Scaliger, εἰς τὰ ἑπόμενα, inquam, non εἰς τὰ ἡγούμενα. Quod & ipſum clarè adſtruxit Chryſococcus; cujus locum ideo non adduxit Scaliger, quia valde perturbatus eſt, & confundit duas illas Perſici anni formas, recentem ac veterem, ut fecit etiam Ignatius Patriarcha in litteris ad Scaligerum. Niſi vererer porro tibi moleſtus eſſe, & occupationes tuas interrumpere, auderem te rogare ut locum illum Scriptoris Arabis mihi deſcribendum curares, qui docet Perſas poſt centum & viginti annos menſem unum intercalare ſolitos, ita ut per omnes menſes in ordinem eatur, & quinque etiam ἐπαγομένας illi menſi intercalari adjiciantur, ut ſit dierum triginta quinque. Quo loco etjam docet eoſdem menſes in numerandis ſingulorum menſium diebus, ſeptenis quibusque apponere voculam ي ى. Quod profecto mirum mihi viſum eſt, nec hactenus à quoquam proditum. Nam in illa recenſione dierum Menſis Perſici quam adducit Scaliger, quæque etiam apud tuum Alfraganum habetur, nihil tale conſpicitur. Nihil tamen auſim à te deſiderare, quin commodo tuo fiat.

Remitto tibi Ægyptiacum tuum Auctorem, ne diutius eo careas, propter ea quæ mihi heri dicebas. Habet alioquin auctor ille multa quæ ad propoſitum meum faciunt, de Epochis Alexandri, Auguſti, & aliorum, quæ per otium majus videnda ſunt; ubi etiam indigebo auxilio tuo, quia ſcrip-

ſcriptura ſatis difficilis, & ego nondum exercitatus in legendis Manuſcriptis Arabicis. In Alfragano omnia mihi planiora, quem & retinui ad paucos dies. Non dubium autem quin ſenſus ille ſit, quem verſione tua expreſſiſti, in Auctore Ægyptiaco. Non tamen videor ſatis capere quæ ad finem ſunt: nam intercalantibus Ægyptiis, intercalant Græci anno ineunte: deeſſe quædam videntur & in Arabico ad ſententiam integram. Dicit quidem congruere rationem anni Ægyptiaci cum Græco, niſi quod diſcrepent in modo intercalandi: Nam Ægyptios intercalare في سنة *in anno*, Græcos autem, في السنة الداخلة *in anno ineunte* vel *incipiente*. Non video quodnam iſtud diſcrimen ſit, ut hæc quidem verba ſonant. Sed puto tamen illum voluiſſe dicere Ægyptios intercalare in fine anni, Græcos initio. Nam Epagomenæ ad finem anni adjiciebantur apud Ægyptios. Vale, vir Clariſſime, à tuo Salmaſio.

EPISTOLA LVIII.

IO. FRED. GRONOVIO.

Quod reſponſum ad tuas tamdiu traxerim, doctiſſime Gronovi, non mea id factum ſponte velim tibi perſuadeas, ſed voluntatem meam coactam fuiſſe ſcias aliis occupationibus multis, quæ me non paſſæ ſunt eſſe mei arbitrii. Pluribus in me excuſando immorarer, niſi candorem meum tibi eſſe cognitiſſimum ipſe cognoſcerem, ut cujus non ſit falſas & arceſſitas cauſas pro veris allegare. Hoc primum. Deinde & illud in ſecundis tibi velim eſſe compertum, quod Lucretianum exemplar à Voſſio noſtro petii ac mecum huc attuli, non alio fini ac propoſito hoc me feciſſe, niſi ut poſſem conſulenti tibi certius reſpondere conſideratis literarum omnibus apicibus atque ductibus. Quod quanti ſit momenti in his criticis conjecturis eruendis, nec ipſe ignoras. Hoc ipſum & pręme tuli apud Voſſium, cum libri illius uſum ab eo flagitavi. Quod miror, illum tibi non eadem opera ſignificaſſe, cum indicaret librum à me ablatũ. Cave igitur ſuſpiceris aliquid me in Lucretium me-

 ditari,

ditari, aut illam velle tibi gloriam præripere. Non me noſti ſi ita cogitas. Nunquam iſta mihi mens fuiſſet, & ſi eſſet, in tui gratiam eam totam ſtatim deponerem, & quicquid eſt laudis quod ex eo labore ſperari poteſt, tibi tranſcriberem. Citius fabri deerunt materiæ, quam materia fabris. Perge igitur de illo auctore bene mereri, ut cœpiſti, nec credas mihi falcem in manu eſſe, quam in tuam meſſem immittam. Totam illam tuam eſſe volo ſine æmulo ac rivali, quod ad me quidem attinet. Imo & de aliis auſim tibi ſpondere neminem hoc auſurum, niſi ſi forte ſit *** tuus, ut eſt ille omnium librorum οἰκουμενικὸς commentator & Criticus generalis. Ab illo tantum tibi cavendum eſſe video. Sed negotium tuum, ſi ſapis, urgebis, dum ille eſt in aliis occupatus. Hoc etiam de me tibi poſſum promittere, librum qui penes me eſt nunquam me manibus meis dimiſſurum ut habeat, & iſtud tibi bene cedet quod habeo. Correctiones tuæ omnes mihi mirifice placent. Ubi otio magis abundavero, tum etiam ſermone abundantior ero. Nunc hoc tantum volui, ut non neſcires cur tamdiu reſponſum differrem. Meas ſi placet curabis ad Smithum. Vale, Leydæ. Idibus Decembribus CIↃ. IↃ. CXXXIV.

EPISTOLA LIX.

IOH. FREDERICO GRONOVIO.

POſteriores tuas nudius tertius accepi, doctiſſime Gronovi, priores multo ante acceperam; quibus quod tamdiu reſponſum debuerim, iraſci te nolim, nec enim id mihi permiſerunt occupationes, quod niſi te ſcirem vel injurato credere, excuſationem pluribus firmare verbis ſatagerem. Laborabas in illis ut omnem ex animo expuerem ſuſpicionem, qua videbar augurari tibi aliquid ſiniſtri in mentem incidiſſe, quaſi mihi Lucretium corrigendum deſtinarem. Omnis ille tibi labor in tuto, nihil tale de te unquam cogitavi ſerio, volui tamen efficere ut ſi quid ejuſmodi animum vel leviter adfricaſſet,

fricaſſet, meo ſapone eluerem, ut ne vel macula inhæreret. Non ſic amicis, qui me penitius norunt, ſum cognitus. Si quis ſe obtuliſſet, cui tuto dare librum poſſem, copiam ejus tibi feciſſem ut poſſes tua relegere veſtigia, & preſſius notare, quę breviter & in tranſcurſu de veteri ſcriptura libaveras. Cyprianus ſi bonæ notæ eſt, non ſine operæ pretio poſſet excuti. Et habeo aliqua, quæ à te petam in eo inſpicienda, ubi plus otii habuero. De conjectura tua loci ad pallium Tertullianici noli dubitare quin ſit veriſſima. Mihi egregia & palmaria viſa eſt, adeo ut aliquot meas una illa velim redemptas. Pudet me *T. B.* præ tam divina emendatione. Pro ea tibi reponam ex Lucretio tuo unam, quæ modo mihi in mentem venit, non tam ut illam imputem tibi, quam ut experiar an te fugerit. In lib. 1. ſic vulgo legitur in editione Lambini, nec enim alia nunc præ manibus:

Et ſimili ratione animalia ſubtu' vagari
Contendunt, neque poſſe è terris in loca Cœli
Recidere inferiora magis quam corpora noſtra
Sponte ſua poſſint in Cœli templa volare.

De Antipodibus, ut vides, loquitur. Pro illis *ſubtu' vagari*, quæ ex ingenio ſuo repoſuit Lambinus, notat in veteribus libris eſſe partim *ſupra*, partim *ſuapte*, partim *ſuapta*. Ex quibus veſtigiis olim faciebam:

Et ſimili ratione animalia ſuppa vagari,

id eſt, ſupina, antiqua voce. Nam illi qui pedes nobis obverſos habent, ἀντίχθονες plane ſunt nobis ſupini, & nos illis. *Suppum* porro notat Feſtus antiquos dixiſſe quod nos *ſupinum* dicimus. Liber Voſſii noſtri plane præfert *ſuppa*. An & hoc notaſti? Si à te prætermiſſa tam bona tam vera lectio, profecto nimis ſuppus fuiſti in libro illo verſando. Ultimam illam editionem, quam optimo Voſſio dicis dedicatam, nullus vidi, nec ſcio à quo ſit curata. Nullam habeo præter Lambinum. De *mundo patente* nihil ſcio præter id quod à veteribus ſuper ea locutione obſervatum è Catone & Varrone. Per *mundum* intellexerunt Deûm Manium locum, qui *patere* per illos dies exiſtimabatur: Ideo nihil tum quod recte vellent ſuccedere,

Digitized by Google

incœptabant. Hæc raptim, & hic finio. Vale, & me amare perge. Leydæ, XVI. Decemb. CIↃ. IↃ. C XXXIV.

EPISTOLA LX.

IACOBO GOLIO.

VOcem Νισι, Vir clariſſime, origine mere Ægyptiacam eſſe, nec radices ejus in Arabum ſolo quærendas certiſſimum eſt; quantumvis Pagani olim Arabes ea uſi fuerint, ut & Emboliſmo, quod utrumque ab Ægyptiis vicinis mutuati videntur, rem nimirum cum nomine. Σι in ea Lingua ſignificat *capere* & *ſumere*. Quæ vocula verbum & nomen eſt, prout Particulæ quæ verbum aut nomen χαρακτηρίζουσι ei præponuntur. Duæ autem ſunt, quibus Nominum Declinatio variatur, quibus numerus multitudinis à ſingulari diſcernitur. Πι ſingularem notat, Νι pluralem. Sic enim & dictiones quas à Græcis mutuantur his notis ſolent diſtinguere. Nam Πισύμβολον dicunt, τὸ σύμβολον; Νισύμβολον, τὰ σύμβολα. Ita ergo Πισι eſt *aſſumptio*, Νισι *aſſumptiones*. Inde quoque arceſſendum Moſis Etymon quod plane Ægyptiacum eſſe conſtat, & ad verbum ſonat ἀναληφθεὶς ἐξ ὕδατος, ut vetus Poëta apud Euſebium Auctor eſt, hoc eſt, Μωυσι. Μωου enim in illa Lingua *aquam* ſignificat, σι *aſſumere*. ϣιπι, hoc eſt, *Sceipi*, apud illos *ignominia* eſt; unde σιϣιπι *ignominioſus*, quaſi ignominiam capiens. Sic σιζητ *ſuperbiam* vocant, quaſi cordis aſſumptionem dicas; nam ζητ *cor*. Paſſim addunt & illam vocem ad verba patiendi effingenda. σμου eſt *benedicere*: σιζμου *benedici*, hoc eſt, capere benedictionem. ὠου *glorificare*, σιωου *glorificari*. Inde & compoſitum fecerunt in Liturgiis ſuis ex Græco & Ægyptiaco σιζαρξ, *aſſumptio carnis*, quo Domini noſtri ἐνανθρώπησιν exprimunt. Νισι igitur ſunt *aſſumptiones*, vel aſſumptitii dies; idemque ſignificare Arabum مسترقة planè mihi perſuadeo, quas Græci perperam reddunt κλοπιμαίας. At malè ὁ μακαρίτης Scaliger Μεισι Ori Apolli-

Apollinis cum Νισὶ confundit. Serpentem quo anni revolutionem ſignabant, qui ore caudam apprehendebat, vocarunt illi Μεισὶ, quod eſt *caudam capiens*. Nam Μεὶ apud illos *cauda* eſt. Sic nomen Ægyptiaci Regis Ραυωσὶ vel Ραβωσὶ apud Euſebium Eratoſthenes Græcè reddiderat ἀρχικράτωρ; nam ῥαυὼ vel ῥαβὼ ipſis eſt ἀρχὴ, quod ex Hebraico & Arabico رب. Ità Μεισὶ eſt οὐροκράτωρ Serpens. Hæc habui quæ raptim ſuper hoc nomine Νισὶ ad Te ſcriberem. Vale.

Tibi addictiſſimus

CL. SALMASIUS.

EPISTOLA LXI.

IO. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

AB eo tempore quo à te diſceſſi, Clariſſime & Cariſſime Voſſi, tot curis exercitum me fuiſſe ſcias, tot occupationibus diſtractum, ut otii nihil mihi ſuperfuerit quo quid litterarum ad te darem. In memoria tamen mihi ſemper fuêre, humanitas illa ſumma, ſumma comitas, ſumma denique benevolentia quibus me domi tuæ complexus es, & quarum jam antea teſtimonia abſenti, immò nondum viſo, & adhuc ignoto plurima præbueras. Egone immemor Voſſii mei viverem tam cari capitis, & cui ſimiles hac ætate adeo rari ſunt! Dum memor ipſe mei. Noſti cætera. Nec pluribus apud te τὸ ἀμοιβαῖον in amicitia mihi neceſſe prædicare. Si tibi notus eſt Salmaſius, ut jam cognitiſſimum reor eſſe, haud aliter de eo judicabis & ſenties, quam de homine tibi obſtrictiſſimo. Ita ſane de me meritus es, tot officiis beneficiiſque quibus me onuſtum immo pæne obrutum dimiſiſti. Nuncio jam tibi quod lætus accipies, me unâ ex graviſſimis meis curis eſſe liberatum. Uxor onere illo ſuo, quod verebar ne apud vos deponeret, heſterno

ſterno die feliciſſimè, bono Deo juvante, exſoluta eſt. Nunc quod eam rem attinet ſolutiore ac defæcatiore animo ſum. Sed nuncius ecce horribilis nuper me percuſſit de Grotio noſtro ſubmerſo aquis in itinere, dum legatus in Galliam pergit à Sueco. Propterea in minore ſum dolore, quia nondum audeo credere. Et ſane auctor, qui præcipue hunc rumorem per urbem ſpargit, fidem facti demit. Nam *** . Si quid habes quo convincere falſi detur hanc famam, vel potius commentum dementis hominis, quæſo fac ſciam. Veſtiarius adhuc ſum, ac nondum telam meam detexui; quam ſi tam longam futuram præſentiſcere potuiſſem, nunquam ſane exorſus eſſem. Quid facerem? pergendum, quoniam ſemel inſanire cœpimus. Num oblitus es quod te rogaveram, ut per Junium veſtrum, qui Londini eſt, poſſem nanciſci Statuæ Palliatæ exemplar ex illis quæ ſunt in domo Arondelliana? Columnam Trajanam cum Alphonſi Ciacconii Notis non potui hic reperire. Si penes te eſſet, vellem ad tempus ea uti. Item Antoninianam. Veſtium antiquarum effigies inde mihi ſumendæ ſunt, chlamydum nempe, paludamentorum, & ſagorum. Magno mihi etiam uſui forent trophæa illa Mariana Arauſiacæ Urbis, quæ Princeps Mauricius ſculptura exprimenda curavit. Libros tuos tibi brevi remittam: uxorem cum tota familia ego & uxor officioſiſſimè ſalutamus. Vale, Leydæ; XVIII Decembr. CIↃ. IↃ. CXXXIV.

EPISTOLA LXII.

JOH. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

NUncio tibi me accepiſſe Tabulas Columnæ Trajanæ cum Electis Rubenii, pro quibus immortales tibi habeo gratias, ut & eximio Wickevortio, qui tam libenter librum ſuum utendum conceſſit, quo patienter non poteram carere, ita mihi utilis futurus; nec ut aliunde poſſem habere, ſpes

re, ſpes ulla adfulgebat. Ultimum reſtabat præſidium ut Lutetia ex Bibliotheca Thuanæa curarem advehendum. De Antoniniana ſcriptum nuper mihi eſt à Senatore Aquenſi talium curioſiſſimo, qui multa ad inſtitutum pertinentia ſubmiſit ex ditiſſima ſua antiquaria ſupellectile, extare ejus in his locis pleraque exemplaria manu expreſſa, & tranſſcripta. Wouwerium enim habuiſſe, Meurſium & alios. Poteſt fieri ut falſum aliquis illi dixerit atque impoſuerit. In Electis Rubenii videram icones ſtatuæ tunicatæ & togatæ. Nam & liber ejus præ manibus, & tuo facile caruiſſem, quem remittam cum aliis quos à te habeo. Statuæ togatæ typum parvulum in ligno modulatum & affabrè factum per illum eundem Aquenſem Senatorem Peyreſcium Roma nactus ſum. Si quid habes, aut ſi quid ſcis quod mihi uſui eſſe poſſe ad hanc rem quam paro ſcias, quæſo ne indicare graveris. Grotius noſter expectatur ab amicis Pariſienſibus, brevi eo, ut mihi perſcribunt, iturus ordinarius à Suecis Legatus. Dolet illis tantùm non proſperiores eſſe res illorum, quo tanti viri legatio commendabilior eſſet. Hæc te volui ſcire. Grammaticalia tua quando prodibunt? Nimis lentum eſt negotium. Vah quid dixi! Vellem non hoc mihi ore excidiſſet, quaſi non ego ſim nunc omnium hominum cunctator acerrimus. Si mora res reſtituuntur, faxo Fabius ille præ me fuerit in rebus gerendis concitatiſſimus ac præceps. Ego & uxor mea te cum lectiſſima tua officiosè ſalutamus. Vale & me ama. Leydæ. CIↃ. IↃ. CXXXIV. XIV. Kal. Januarias.

EPISTOLA LXIII.

GULIELMO STAACKMANNO,

Hagam.

Ampliſſime Domine,

SAlvum te adveniſſe gaudeo. Non immemorem tui quidem, abſit à me tale nefas, ſed certè nec opinantem quaſi oppreſſerunt tuæ litteræ; cum adhuc in media te eſſe

eſſe Friſia cogitarem, nec tam propinquum tuum reditum ſperarem. Quo igitur inſperatior, eo gratior. Adventum itaque iterum gratulor, grateſque ſummo Numini ago, quod te ſoſpitem nobis redonarit. De profeſſore veſtræ Academiæ è Gallis eligendo quod arbitrium ad me defers, non equidem tanto me dignor honore, ut meo unius calculo ac ſuffragatione ſumatur, nec ſanè par invidiæ eſſem ferendæ, ſi hoc mihi adrogarem, quod nimio quanto benevolentiæ ac favoris exceſſu ultro tribuis. Hæ partes potius fuerint Theologi, quam meæ, præcipuè cum de Theologo advocando agatur. Eas optimè implebit Clariſſimus Rivetus ſolus, nec opus illi ſocium in hoc delectu faciendo dari. Cum tamen ea de re mecum egiſſes paulò ante abitum hinc tuum, & cum Cl. Riveto ſuper eodem negotio te communicaturum quoquè diceres, ſcripſi ad eum protinus ut exquirerem quis illi maximè ex noſtris idoneus huic Profesſioni dignè exequendæ videretur, non disſimulatâ interim & mea ſententia, quam confidebam acceptisſimam ei fore de Aubertino primum, Eccleſię Pariſienſis Paſtore, qui jam Miniſterio ſuo expulſus eſt, vocando, ſi conditionem iſtam accipere vellet: ſin reſpueret, quia fortaſſean ſpem adhuc aliquam haberet reſtitutum ſe iri, ut ſuccedaneus ei daretur Samuel Petitus Nemauſenſis Eccleſiæ Miniſter, qui ſedis etiam ſuæ locique cum aliis multis dubius eſt, ob vexationem quæ fit Eccleſiis in Gallia Reformatis, in peregrinitatem redactis pleriſque earum Paſtoribus, ac per alias etiam criminationes fugatis. Petitus hic nomine, doctrina Magnus eſt. Nam & ſcriptis multis jam inclaruit, quibus eruditisſimum ſe linguarum Orientalium oſtendit, & in omni Antiquitate Eccleſiaſtica verſatisſimum; ne de Theologia ac Philoſophia dicam, cujus eſt peritisſimus. Sed hoc melius novit Rivetus noſter, cujus judicio non in hac re tantum, ſed in aliis omnibus omnia defero tibique porrò omni officio obſequioque addictisſimum tuum Salmaſium ſpondeo. Vale, Vir Amplisſime. Leydæ. III. Idus Ianuarias, CIↃ. IↃ. C XXXV.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

In reditum Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri

G. STAACKMANNI,

EPIGRAMMA.

ECce meus rediit Friſiis STAACKMANNUS *ab oris,*
Staackmannus *Patrii gemma decuſque ſoli,*
Phœbe tuus rediit : neque enim felicius ullus
Pectora poſſedit numine plena tuo.
Plenius Aönio nemo ſe proluit hauſtu,
Nemo Pierias largius hauſit aquas.
Seu libuit Latiæ numeros tentare Camænæ,
Arte canit Latios quis meliore modos ?
Seu placuit Gallo modulari Carmina plectro,
Gallia nativos tum putat eſſe ſonos.
Phœbe tuus, ſed & ille meus : tibi maxima cedat
Pars, tamen ex illo quantulacunque mea eſt.
Patria jam partem ſibi vindicat, illaque major
Ac melior Patriæ quam dedit ille ſuæ.
Unus at ille redux : pariter gratabimur omnes,
Par quibus eſt votum, Patria, Phœbus, ego :
Munere in hoc primas fer Patria, Phœbe ſecundas,
Et potero ſummo tertius ire loco.
Gratia Phœbe tua eſt, meritas tibi reddere grates
Debeo, cui ſalvum reddis ut ipſe tibi.
Hinc tibi pro reditu, quem præſtas pluribus unus,
Carmina quæ vovi pauca ſed apta cape.

Votivum Carmen, Ampliſſime Domine, quod in reditum tuum promiſeram fruſtra fortaſſean expectaſſes, niſi ipſe exegiſſes. Tam bonum, inquies, nomen es, ut niſi aurem vellenti ſolvere non ſuſtineas! Immò mala illa nomina ſunt quæ ne appellata quidem ſe liberare curant. Ego ſtatim admonitus

quid mei ſit officii memini. Non tamen unus ſum illorum qui ante diem accurrunt, ac ſponte ſua ſe expediunt. Nec in deterioribus itaque, nec in melioribus me numeres licebit. Satis magnam gloriam me conſequutum putabo, ſi ponar medius inter bonos maloſque. Si laudandus non ero, ſaltem fuero excuſandus; & excuſationis meæ hanc ſummam habeto, ne tergiverſatorem tu cenſeas & in explicando ære, quo me volens tibi obſtrinxeram, moratorem. Satis fidæ me eſſe memoriæ velim ſcias; in exigendo tamen potius quod mihi debetur, quam in reddendo quod debeo. Nonne in partem ſoluti procedere debere tibi videtur tam ingenuam confeſſionem? Non hoc tamen tibi appendam; excuſaturum tibi me promiſeram. Cauſæ quibus me de hac mora purgem, afferendæ ſunt. Non memoria quidem debitum exciderat, ſed quia oppreſſit incautum tuus repentinus adventus, quem non ita propinquum mihi pollicebar, ex eo factum ut deprehenſus ſim citra opem ſpemque ſolvendi. Nam dum ſecurus adſto, nec benè computo quantum temporis poſt abitum tûum effluxiſſet, interea de modo hujus æris expungendi nulla vel minima cogitatio. Præterea qui ſcirem mihi rem eſſe cum leni ac facili creditore, ideò de die in diem differebam, & in utramque aurem dormiebam. Quid ſi venerit dicebam? Statim illud addebam, expectabit. At tibi ut video non expectare decretum eſt. Ita ſpe lapſus ſum, nec ſatis benè mihi notus eras. Quoniam igitur urges & repræſentari tibi vis ſolutionem, nec per te licet eſſe lento, ſi non quale voluiſti, nec quale promiſeram Carmen in ſolutum veniat. Pro Carmine habebis Epigramma, idque ex tempore fuſum; quod ſi munuſculi vicem & in anteceſſum accipere tibi placuerit, donec tibi plenius ſatisfecero, per me ſanè licet. Tu à me quod debeo, ego patientiam à te exigo quam non debes, quam tamen ſi dederis, acceptam feram facilitati tuæ. Sed cavere debes ne nimia ſit & modum excedat, & ne cauſam ea abutendi cum ipſa prçſtes. Video etiam hoc te moliri ut novo ſemper fœnore me obruas; & id affectare, ut nunquam emergam: unde enim niſi ab hoc propoſito tot eaCarminum genera quç miſiſti,

quibus

quibus nunquam vicem reddam, nec paria rependere potero, nec ſane experiar. Impar omninò certamen; nec virtute militum, nec numero ex æquo pugnarem. Quid igitur faciam? cedam. Hoc enim optimum factum, ſi quis nec Diis nec viribus æquis ſe pugnaturum præſentiſcat. Si pergis plura ingerere ac majores pecunias credere quam quas poſſim diſſolvere, foro etiam cedam & bonam copiam ejurabo. Et ne erres, jam hîc tibi denuntio me facturum, ne poſthac non tibi prædictum poſſis dicere. Argutari me putas, & opum propriarum eſſe egregium diſſimulatorem. Immò tu nimiam earum habes fiduciam quæ tibi non ſatis ſunt cognitæ, eaq; credulitas fraudem damnumque tibi magnum allatura eſt, niſi rebus tuis maturè conſulas. Ut me pauperem quidem eſſe, ſed fidelem ſcias & fallere neſcium, niſi coactum; ea de re te admonendum duxi. Illud quoque poſt omnia, non joco, ſed ſeriò dictum velim credas,

Leydæ, xi. Febr. CIↃ. IↃ. C XXXV.

Tibi eſſe addictiſſimum

CLAUDIUM SALMASIUM.

EPISTOLA LXV.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

ACcepi tuas & in reſpondendo brevior ero, quia tempus non fert bene longas literas, cum vix manus præ frigore calamo retinendo ſufficiant, & ipſum atramentum pæne congelatum vix ſibi viam inveniat, qua ſuper hunc papyrium campum liquide decurrat. Optimæ eſſe notæ codicem Cypriani, quem nunc tractas, ex his, quæ adpoſuiſti, cognovi. Tuæ omnes conjecturæ ex illius veſtigiis ductæ certiſſimæ mihi videntur, tuoque omnes ingenio & acumine dignæ. Vide ſis, an codex ille tuus conjecturam meam confir-

maturus ſit, in Epiſtola ad Antoninianum de Cornelio, quæ in editione Pammelii, quam ſolam ad manum habeo, LII. notatur, his verbis: *Cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum Principem quam æmulum ſacerdotem*. Ex hoc loco quidam Pontificii magni nominis jam tantam tunc temporis fuiſſe Papæ poteſtatem hariolati ſunt, ut *æmulus* dici poſſet Imperatorum ac Cæſarum. Quod ridiculum ſemper mihi viſum eſt ac falſum. Legendum itaque putavi: *Levari adverſus ſe malum Principem quam æmulum ſacerdotem*. Quid habeat ibi tuus liber mihi, velim ſignifices. Miror autem nullum me habere reſponſum à noſtro Smitho. Et una cum literis quas ad eum curaſti, miſi iconas multas fibularum antiquarum, & rogavi ut ex ſuis nonnullas, quæ diverſæ forent ac diſſimiles illis, quas miſeram, remittere dignaretur. Non dubito tamen quin meas acceperit, præſertim cum recte te eas curaſſe pridem reſcripſeris. Alias longior ero, ubi remiſſior fuerit hic rigor hyemalis. Nunc vale & me amare perge. Leydæ, IV Kal. Februarias. CIↃ. IↃ. CXXXV. raptim.

EPISTOLA LXVI.

GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

RESponſum ad poſteriores meas, Clariſſime Voſſi, ideo nec expetii nec expectavi, quia nihil in illis erat cui reſponderes. Incidit nuper quiddam de quo te admonendum eſſe duxi. Claudius Danſquejus Canonicus Tornacenſis, in humanioribus litteris celebris, quem tibi puto notum de nomine, ante aliquot ſeptimanas ſcripſit mihi, me incuſans, quod ob dedicatum nomini meo tractatum unum ex pluribus de Orthographicis, & ante biennium miſſum, nec gratias egiſſem nec ullo verbo me librum ejus accepiſſe ſignificaſſem. Atqui neſciebam tale quidquam ab illo editum, nec in manus meas exemplar

exemplar, quod miſiſſe ſe dixerat, pervenit. Quæſivi quid eſſet ab amicis Pariſienſibus, quoniam Typographo Tornacenſi ſe dediſſe indicabat qui multa exemplaria Lutetiam portaverat dividenda. Renunciarunt mihi librum eſſe in folio, diviſum in multos tractatus, quot nempe ſunt in Alphabeto litteræ, quibus ſignat veram Orthographiam omnium ferme Latinorum vocabulorum, & quam varie uſurpata ſit à Veteribus docet ex antiquis libris, Saxis, nummis. Interim dum Lutetiâ advehendum curo, in officinâ Marii typographi ante aliquot dies cum eſſem, petii an id opus haberet. Dixit unum exemplar aut alterum allatum non pridem ab ejus filio qui Pariſiis redierat. Accepi librum ab eo, & percucurri, nec pœnitendum in ea re laborem ab eo poſitum cognovi. An videris neſcio. Debes certè vidiſſe. Si non vidiſti, ſubmittam. De Statuæ Palliatæ icone, quam ego adipiſci poſſe ſperaveram, tuque promiſeras, per Junium tuum, nihil audio. An fruſtra id expecto? veſtes adhuc impeditum me tenent, adeo moleſta moroſa ac lacinioſa res eſt. Si putaſſem tantum operæ fore in illis reſarciendis, nunquam ſuſcepiſſem id operis. Quando finem videbo? Longas me veſtes texere dices. Utinam aptas detexam, & quas tu probare poſſis: nam cęteros nihil moror. Unus tu mihi pro centum, quales heic & alibi ſunt. Nihil habeo quod addam ubi te cum lectiſſima Uxore ſalutavero, cui etiam ſalutem, ut & tibi, plurimam mea mandat. Vale & me ama. A. D. pridie Kalendas Februarias, CIↃ. IↃ. C XXXV.

EPISTOLA LXVII.

Viro Clariſſimo atque euriditiſſimo

JOANNI WALÆO S. P. D.

ITa quidem eſt ut dicis, Clariſſime & Doctiſſime Walęe, nihil in tota Antiquitate de quo magis varient veterum Auctorum ſententiæ, quàm de PONDERIBUS ac MEN-

ac Menſuris; nec id ipſorum fortaſſe vitio, ſed rei quæ tam varia, cum ſingulæ Gentes ſua habuerint, & quædam partim eadem ſub diverſis appellationibus, partim diverſa ſub iiſdem. Hæc omnia ut explicatu difficilia, ſi quis vel ſolas differentias exponere ſatagat, ita conciliari inter ſe poſſe quæ diſcrepant vix unquam ſperandum. Ea de quibus quæſiſti breviter, ut potero, hic attingam; quæ ſi pluribus eſſent pertractanda, non Epiſtolæ ſed libri negotium foret. De *Coro* primum videbimus, deinde alia ſequentur. Haud benè illud in tuis ſignatum, quod Epha decem κόρους ſive Gomer capiat, Chomer verò decem Ephas recipiat. Imò Κόρος & Chomer idem fuit, & decem Ephas hoc vel illud habuit. Κόρος maxima apud Hebræos Aridorum Menſura, adeò ut Onus Cameli fuiſſe velint. Chomer decem Ephas continuiſſe conſtat ex Ezechielis XLV. Epham rurſum decem Gomer habuiſſe diſcimus ex Exodi XVI. Sic Gomer centeſima pars fuerit τοῦ Chomer. Duo hæc vocabula עמר & חמר cum in tantum & litteris & ſignificatione differant, Græci tamen Septuaginta Interpretes utrumque γόμος appellant. Quæ res non minimam confuſionem in Scriptis Antiquorum Patrum peperit, qui eas Menſuras interpretari conati ſunt. Epiphanius, & poſt eum Iſidorus aliique multi, Gomor xv Modiorum onus appendere dicunt, Corum verò triginta Modiis impleri. Quod neque cum Chomer convenit, qui idem eſt cum Coro; neque cum Gomer, quæ centiſima pars eſt Cori. Verùm de his alibi. Has Menſuras Hebraicas ſi quis revocare ſtudeat ad Romanum vel Græcum uſum, & cum utriuſvis Gentis Menſuris æquiparare, Auctoribus antiquis acquieſcat oportet, qui & ipſi mirum quantum inter ſe diſſideant. Meliores eligendi ac probatiores quos ſequamur. Joſephus, ut rectè notaſti, docet Κόρον decem Medimnis Atticis adæquatum. Medimnus Atticus, teſte Africano quem habeo, qui hoc accuratiſſimè perſecutus eſt, ſex Modios Italicos implebat; adeò ut Ἑκτεὺς Atticus, qui ſexta pars erat Medimni, idem eſſet cum Modio Italico: Ergò Medimnus Atticus idem cum Epha Hebraica, eaque ſex Modios Italicos receperit. Hac ratione Corus

rus qui decem Ephas, ſeu decem Medimnos Atticos continebat, ſexaginta Modios Italicos compleverit. Quod & Epiphanio aliiſque Veterum quàm plurimis è diametro pugnat, qui Corum triginta tantùm Modiis definiunt. Ne hoc quidem congruit cum Hieronymi ſententia, qui Satum Seſquimodio Italico æquiparat. *Epha* tria Sata complectebatur. Si decem Ephas Corus tenebat, triginta Sata comprehendet. Hi ſanè ſunt Modii quos Coro implendo ſatis fuiſſe tradit Epiphanius. Nam & paſſim Hieronymus vocem Hebraicam סאה, quod eſt Saton, Modium reddit. Et viciſſim Græcam dictionem Μόδιον apud Matthæum Syrus Interpres vertit סאה. Sic facilè patiar Corum dici triginta Modios habere quæ Sata ſunt. Sed ſi Saton auctore Hieronymo Seſquimodium Italicum adæquavit; tum Corus qui triginta talia habuit Sata, quadraginta quinque Modios Italicos adpenderit neceſſe eſt. At ſecundùm Joſephum, Saton duos Modios Italicos adimplevit, qui ſexaginta tales Modios Coro adtribuit, decem Atticis Medimnis reſpondentes, & triginta Sata exæquantes pondere. Sunt rurſus Auctores qui Medimno dant tantum quinque Modios, ut Iſidorus, & Auctor vetus qui de Ponderibus ſcripſit, adjectus Scriptoribus Rei Agrimenſoriæ. *Modia*, inquit, *quinque Medimnum faciunt. Tres Medimni Gomer complent. Duo Gomer Corum reddunt. Duo Cori culleum quæ ſunt Modia ſexaginta.* Atqui totidem Joſephi Corus Modios habuit, quot hic Culleo reddit. Medimnus autem ille quinque Modiorum, Paphiorum ſive Cypriorum proprius. Nam *Atticus* ſex Italicis adpenſus eſt. Alius fuit & Siculus Modius, cujus meminit idem Joſephus Lib. III. c. ult. his verbis; κομισθέντος ἀλεύρου εἰς κόρους ἑβδομήκοντα, μέδιμνοι δὲ οὗτοι σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τριάκοντα, Ἀττικοὶ δὲ τεσσαράκοντα εἷς. Quæ verba nullus intellego. Nam ſi ex præſcripto Joſephi decem Medimni Attici in *Coro* fuere, quomodo ſeptuaginta Cori reddere poterunt tantùm Atticos Medimnos unum & quadraginta? Hunc enim ſenſum verba Græca præferunt, Septuaginta Coros reſpondere uni & triginta Siculis Medimnis, item uni & quadraginta, quales Attici. Interpretes ita reddunt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

reddunt quaſi Siculi triginta & unus Medimni, juncti cum uno & quadraginta Atticis, effecerint ſeptuaginta Coros. Quod non poteſt obtineri. Alii porrò ex illo Joſephi loco adſtruunt Corum unum valuiſſe quadraginta & unum Medimnos Atticos, ut triginta & unum Siculos. Sed tum legendum foret in verbis illis Joſephi: Μέδιμνοι δὲ οὗτος εἰσὶν Σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τριάκοντα. οὗτος nimirum ὁ κόρος. Quo ex calculo Joſephi ſi hanc lectionem admittimus, Satum habuit Modium Italicum & trientem. Cum autem conſtet Corum triginta Satis conſtitiſſe, ſic Modios habebit præter propter quadraginta & unum Italicos. Quod minus recedit à ratione Hieronymi qui Seſquimodium Italicum Sato dat, & minus etiam ab illa Epiphanii, qui Modium cum quarta parte tribuit eidem Sato. Secundum Epiphanium Corus erit Satorum triginta ſeptem cum dimidio. Secundum Hieronymi calculum Modiorum quadraginta quinque. Juxta rationem Joſephi verò quadraginta. Triginta autem Sata cum triginta Trientibus, quadraginta Modios efficiunt. Atque ita corrigendum fuerit in ſuprà citato Joſephi loco: Μέδιμνοι δὲ οὗτος Σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τριάκοντα, Ἀττικοὶ δὲ Μέδιμνοι τεσσαράκοντα. Verùm hæc omnia falſiſſima, quæ tum demùm procederent, ſi Medimnus Atticus idem eſſet cum Modio Italico, qui ſextuplus eſt ad Italicum. Tales quidem Modios quales Italici ſunt Corus continet, ex Hieronymi ſententia, quadraginta quinque; ex Epiphanii, triginta ſeptem cum dimidio: at Medimnos tantum Atticos decem, qui ſexaginta Italicos continent. Longe itaque alia Medicina locus ille indiget, qui ſic mihi ſanandus videtur: Μέδιμνοι δὲ οὗτοι, Σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τριακόσιοι, Ἀττικοὶ δὲ ἑπτακόσιοι. Certè Septuaginta Cori Hebraici ex computatione Joſephi tenere debent Medimnos Atticos ſeptingentos. Siculus Medimnus longè major Attico fuit. Nec enim aliam ſententiam ferre poſſunt verba illa Joſephi, quàm ut explicârit quot Medimni fuerint Siculi, & quot Attici, ſeptuaginta illi Cori Hebraici.

De *Epha* non minor variatio. Chomer ſive Corus decem Ephas recipit. Ergò, ut diximus, Epha eadem cum Medimno

Attico

Attico ſive ſex Modiis Italicis, qui quadraginta octo Chœnicas habebant. Οἶφι Heſychio τετραχοίνικον eſt, οἰφὶ Epiphanio eſt χοῖνιξ. Atqui, ut computat Joſephus, habuit quadraginta & octo Chœnicas, totidem quot Medimnus Atticus. Ecce alia dividia. Exodi XVI. verſ. XXXV, Gomer dicitur eſſe pars decima Ephæ. Ubi Chaldæus pro Epha ponit tria Sata. Arabes duo Interpretes, Saadias & ille Erpenii, verterunt ويبة, quod idem eſt cum Epha. Reperio apud Arabes qui de Menſuris ac Ponderibus ſcripſerunt, Epha, vel Oeba, ut appellant, habere viginti quatuor قدح *Cadas*, qui ſunt Catini vel patinæ quæ ſingulæ pendunt libram cum quadrante. Sic Oepha adpendebat triginta libras. Cum autem decem Oephæ ſint in Chomero vel Coro, non plus quam trecentas libras penſitarit Corus; quod onus Aſini vel Muli vix eſſe queat, nedum Cameli, ut fuiſſe tradunt Veteres. Longè majus pondus Cori ex Joſepho adſtruere licet. Modius Italicus pendebat raſus triginta duas libras. Nam σπόριμος Modius, teſte Herone, quadraginta libris appendebatur; quia cumulatum ad ferendum ſolebant appendere. Cumulus autem quartam ferè partem adjiciebat additus, aut detrahebat deraſus. Sexaginta autem Modii inerant Coro. Ita Corus ſuſtinebat pondus librarum mille ſexcentarum ac viginti, Modio raſo. Hæc de Coro quæ habui ad manum. De *Bato* nunc videamus.

Hæc Menſura in Liquidis locum habuit; atque ut Corus aridorum maxima, ita hæc liquidorum. Quantum olei ex una factura premi potuit, & ex uno trapeto redire, hoc nomine appellatum Veteres tradunt. Inter Magiſtros Iudæorum conſtat Batum tria Sata habuiſſe, quæ unum Epha conſtituebant. Epha in Aridis, Joſepho teſte, libras colligebat centum & ſexaginta duas. In Liquidis haud ſcio an pondus reſpondeat. Immo certum eſt non reſpondiſſe. Gomer etiam in Liquidis decimam Ephæ conſtituebat; & quadraginta ac tria ova, cum parte quinta ovi tenebat. Quæris quo auctore hæc dicantur? Citant ex opere *R. Alphes*, *Tractatu de Paſchate*, è quo enucleata hæc omnia Ponderum in Liquidis nomina reperies apud

T Bux-

Buxtorſium in Lexico Hebraico, in voce בב. Lego apud Anonymum de Ponderibus Batum conſtare Modiis duobus totidemque ſextariis, duos Batos Metretam facere, qui ſunt centum ſextarii. Septuaginta apud Ezechielem verterunt χοίνικα, ubi dicitur χοῖνιξ, hoc eſt Batus, eſſe τὸ δέκατον τοῦ γόμορ, hoc eſt Chomer, c. XLV. verſ. XI. Plura de hoc non habeo quæ hiſcam. De Μνᾶ quæ reſtant, abſolvere pergam ut poſtulatis tuis ſatisfaciam. Nulla ferme gens fuit quin hoc vocabulum uſurparit ab illo Hebræo *Manes*. Scribit Africanus apud omnes Nationes Minam centum Drachmas habuiſſe, ſed ſui duntaxat generis. Hinc differentia Minarum. Cum enim eſſet coacervatio nummorũ ſive drachmarum centum, prout erant majoris vel minoris ponderis drachmæ, ita plus, vel minus appendebat Mina. Apud alias omnes nationes fortaſſean hoc obtinuerit quod vult Africanus de Mina centum drachmarum. Apud Hebræos aliud fuit. Apud Ezechielem legitur cap. XLV. Mina ſive *Manes* ſexaginta ſiclorum fuiſſe. Siclus teſte Joſepho tetradrachmum Atticum valebat. Sic Mina Hebraica ſexaginta tantum ſui generis habuerit drachmas, quę ducentis quadraginta Atticis exæquabatur. Siclus ille quattuor drachmarum major erat, & ſiclus Sanctuarii dicebatur. Alius minor fuit, didrachmus. Septuaginta tamen ubicunque occurrit mentio Sicli in ſcripturis ſemper δίδραχμον reddunt. Tempore Chriſti hæc δίδραχμα etiam in uſu fuere Judæis, ſed imagine Cęſaris incuſa. Imò tunc temporis non amplius uſitatam fuiſſe Minam illam Hebraïcam planè liquet. Moneta Romana paſſim vigebat, ut apparet ex nominibus, quę tum uſurpabantur, ἀσσάριον, δηνάριον, κοδράντης, prorſus Romanis. Docet & Africanus ſuo tempore Minarum ceteras differentias cum ſuis appellationibus exoleviſſe, nec amplius uſpiam audiri Minam Ægyptiacam, Syriacam, Tyriam, Ptolemaïcam, Ægineticam & alias, ſed omnes aſſumpſiſſe uſum Italicæ. Τῇ Ἀττικῇ, inquit, δραχμῇ χρηστέον πρὸς σταθμὸν καὶ νόμισμα, ἐπειδήπερ ἰσοδύναμος ἐστὶ καὶ ἰσοστάσιος τῇ ἰταλικῇ, ἣ καλεῖται Δηνάριον, ᾧ γὰρ ἐπὶ πᾶν τοῖς Ἰταλικοῖς νῦν χρῶνται πάντες. Dicit Drachmam Italicam ἰσοδύναμον & ἰσοστάσιον fuiſſe Atticæ, hoc eſt

eſt paris & pretii & Ponderis. Quod non uſque quaque tamen verum eſt, & aliqua fuit differentia, licet non magna. Nam ſeptem Denarii, ſive drachmę Italicæ, Unciam conſtituebant, cum octo Atticis opus eſſet Unciæ explendæ. Parvi tamen pependerunt hoc diſcrimen. Mina igitur cujus apud Lucam mentio, eſt aut Attica, aut Romana, centum utique drachmarum. Si ad æſtimationem noſtræ monetæ Denarium Romanorum reducamus, Regalem Hiſpanicum valere putanda eſt, hoc eſt quinque aſſes Gallicos. Hæc habui quæ raptim ad quæſita hic exararem, quæ heſterno die miſiſſem ſi per occupationes licuiſſet. Occupationem illam quæris quæ fuerit? Ambulatio fuit. Tam pulcrum diem perdere nolui. Vale & Clariſſimum Reverendumque Parentem meo nomine ſaluta. VIII. Id. Febr. CIↃ. IↃ. CXXXV.

Tuus ad omnia

CL. SALMASIUS.

EPISTOLA LXVIII.

Reverendo & Doctiſſimo Viro,

ANDREÆ COLVIO.

Dordracum.

Reverende & Clariſſime Vir,

DE loco Apoſtoli quod exemptum tibi vis ſcrupulum motum ex his verbis 1. Cor. IX. 24. Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος, πάντα ἐγκρατεύεται, aliud dici non poteſt quàm ab exactiſſima athletarum diæta petendam ejus interpretationem videri. Nihil crebrius eſt apud antiquos Scriptores quàm ἀναγκοφαγίαι & ξηροφαγίαι Athletarum: adeò ut etiàm antiqui Monachi, ob Regulæ ſtrictæ ac propoſiti auſteriorem obſervantiam ἀθλητοὺς ſe ipſi & ἀσκητοὺς indigitarint, quo nomine vocati

 ſunt

ſunt antiqui Gymnaſtæ. Vel hi verſus Horatii fidem facere poſſunt, quam multa ac dura paſſi ſint vulgò Athletæ in victu ſuo ac tota exercitii ratione :

Qui cupit optatam curſu contingere metam ,
Multa tulit fecitque puer , ſudavit & alſit ,
Abſtinuit venere ac vino.

Puer ille ἀθλητὴς eſt. Certis horis comedebant; & ſemper ad præſcriptum ; certis cibis abſtinebant , jurulentis præcipuè ac ſucculentis. Unde illorum ξηροφαγίαι celebratæ. Magnam tamen inde molem corporis ſibi plerumque comparabant. Quid mirum ? ſolum nempe corpus exercebant. Inde eſt quod Foliantinos & Carthuſianos , qui admodum auſterè vivunt , plerumque etiam videamus ſatis corpulentos ac obeſulos , quia certis horis ſemper bibunt ac comedunt , ac ſemper eadem menſura ; quod & antiquis Athletis uſitatum fuit. Plura quibus hoc confirmarem teſtimonia adderem ex Litteris petita, præcipuè Arriani Diſſertationibus , & aliis Patrum Scriptis , quibus hoc evincitur, ſi otio nunc abundarem. Tractatum de ea re plenum habeo fermè paratum , in Libro DE ORDINE MONASTICO , ubi illas voces ἀθλητῶν & ἀσκητῶν multis expono. Hæc interea tibi ſufficere puto.

Leydæ VII. Kalendas Apriles CIↃ. IↃ. CXXXV.

Tuus omni obſequio

CL. SALMASIUS.

EPISTOLA LXIX.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

HEri poſteriores tuas accepi , cum prioribus pararem reſponſum, quod ideo ad hunc diem differre ſum coactus, quia in quæſtione mihi erant primæ tuæ literæ , ex quibus ſumendum illud erat , quod tibi ſatisfaceret. Latebant illæ cum aliis confuſæ mixtæque , & jam deſperabam τὴν εὕρεσιν, cum nudiustertius aliud agenti & alio fini faſciculos papyraceos excutienti

cutienti

cutienti ſe obtulerunt. Diſtichon igitur illud quod quæris ita ſe habet, & bona fide ad te redit:

Quos Argoa prius tranſvexit Phaſe carina,
Oris aves ſapidi fœmina virque ſumus.

Quod ad poſteriores tuas attinet, nihil verius tua correctione in verſu Ovidiano, *Chlamydem contractus ab auro*, niſi legere malis *conſtrictus*, quod verbum huic rei proprium. Sic emendavi in Commentario meo de Re veſtiaria. *Contrictus* fortaſſe ſcriptum erat, unde Librarii fecerunt *contractus*, & alii deinde *contactus*; quod non poteſt ferri, licet defendat Giphanius. *Conſtringi chlamydem Fiſtula* ſexcenti ſunt Auctores qui dicant. Non tamen improbandum tuum illud *contractus*; nam contrahuntur in unum & συνάγονται, ut Græci loquuntur, quæ fibula conſtringuntur. Immo etiam fortaſſe, ut initio dixi, nihil verius. Exſpectabo reſponſum noſtri Smithi cum illis ectypis, pro quibus, quod illi aurem vellisti, gratiarum partem tibi debebo. Vale, Præſtantiſſime Gronovi, & me tui amantiſſimum ama. IV. Kal. Martias, CIↃ IↃ CXXXV. Leydæ.

EPISTOLA LXX.

JOH. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

NUdius tertius, Clariſſime Voſſi, accepi litteras à Puteanis fratribus, quos puto tibi de nomine notos eſſe, ſatis enim celebres ſunt, qui te plurimum per me ſalvere jubent, ſimulque reddi tibi per me cupiunt litteras quas hic habes, quibus olim Heidelberga in hanc Academiam evocatus clariſſimæ vir memoriæ Socer tuus. Si nondum viſæ tibi fuere, gratas ſcio futuras; ſi viſæ, gratus erit tibi eorum animus. Inter ſchedas veteres ſibi repertas eas ſcribit mihi major Fratrum. Mitto etiam tibi iconem plantæ Papyri, qualis ab ami-

co mihi miſſa talium curioſo, quam Stapelio noſtro tradas velim, rogeſque meo nomine, ſtatim atque exprimendam curaverit, mihi remittat. Grotius noſter adhuc hæret in ſancti Dionyſii pago extra urbem, dum diſputatur ac dubitatur de ejus miſſione, quia ab Cancellario tantum venit, & tamen audit Legatus coronæ Suecicæ extraordinarius, & Principum Germaniæ confœderatorum. Scis parem controverſiam motam Filio ipſius Cancellarii in Anglia. Spes tamen eſt receptum iri pro Extraordinario noſtrum, qualis qualis ſit ejus miſſio. Hodie accepi à clariſſimo tuo collega per Juniorem Vickefortium luculentam ejus Orationem *de naturæ admirandis*, cum Epiſtola conſolatoria ad alterum Vickefortium fratrem; quem puto eſſe, cujus cimelia πολυτίμητα vidi, cum eſſem Amſtelodami. Doctiſſimum illum tuum collegam quæſo ſalutes meo nomine quantum fieri pote officioſiſſimè. Doleo me nihil habere quod contra rependam. Aër hic mihi obſtat ab omnibus bonis & pulchris cogitationibus. Legiſti cicadas in Locrenſi agro canere, quæ tranſlatæ ultra flumen in Rhegino ſilent. Ita ſane videor eſſe. Quando ver veniet meum? Quando muta erit Chelidon & tacere deſinam? Ego ſane neſcio. Interim vale, & me ama. Leydæ, CIϽ. IϽ. C XXXV. Idibus Martiis.

EPISTOLA LXXI.

JOH. FRED. GRONOVIO.

Accepi tuas una cum Smithi Iconibus fibularum, quas in meam gratiam delineandas curavit. Pro quibus & illi maximas gratias ago, & tibi non parvas, quod ἐργοδιώκτου diligentis munus ſuſtinueris in ſollicitando & interpellando Smitho, ne moras necteret. Sed moram ab illis moris objectam elegantiſſimi tui operis ac juxta eruditiſſimi editioni, doleo. Dicam tibi, quod fortaſſe non neſcis, nihil ab illo hoc ſperandum fuiſſe, qui tua ſe typographo commendaſſe jactat. Aut ego

ego plus quam ille ſum vanus, ſed alio jam ſenſu, aut certe in vanum caſura illius promiſſa vidi. Commendaſſe tu illum tua putas? immo ego vel maxime tibi incommodaſſe in ea re ſum certus. Nollet in eo genere quicquam prodire, quod eum ſuique ſimiles & fautores maximos nihili eſſe proderet. Plura non addam. Tempus veniet cum melius illos noveris, nec opus habebis indice, qui tibi commonſtret quo ingenio ſint præditi. Cum Mario noſtro loquar, & ſi potero ab illo impetrabo, ut tua velit edere. Brevi à me habebis reſponſum, ideo brevior hic ero. Meas ad Smithum curare te velim. Emendationes tuæ ad Cyprianum veræ ſunt, & explicationes elegantes. Vale, ac me ama. Leydæ, x. Kal. April. CIↃ. IↃ. CXXXV.

EPISTOLA LXXII.

IOHANNI BEVEROVICIO.

Dordracum.

NOli mirari, Vir Ampliſſime, quod nihil eorum tibi dixerim, quæ aliunde ſcribis accepiſſe, cum apud me nuper eſſes. Scire illa te putavi quæ pervulgata jam erant, tam inter malevolos quam benevolos meos. Deinde quod alia eſſent meliora dictu quibus præverti volebam, ideo vel tacenda omnino credidi, vel poſtremò dicenda, prout tempus ſe dediſſet. Jam enim ſerum erat diei, cum ad me veniſti. Præterea quid attinebat male feriatis nugis tuas doctiſſimas onerare aures, cum nec melior, nec doctior, audita ambitioſa illa φιλοπρωτία noſtra, diſceſſurus fores. Mario Typographo ſignificavi ne diſſolveret tabulas compoſitas *de vitæ Termino*, me enim in animo habere, ſtatim poſt abſolutam meam *Militiam Romanam*, *Termino* illi finem ac terminum figere. Si redeo in Gallias, quod ab noſtrorum Curatorum decreto pendet, ibi curabo edendum illud opus, cum tua Epiſtola, aut prout ſtatues. Nam priuſquam hinc diſcedam, te videbo. De loco Johannis variæ fuere hactenus ſententiæ doctorum hominum, nulla

nulla tamen adhuc minus probanda exſtitit, quam Viri magni à te citata. Scis apud Medicos tuos, quà Græcos, quà Latinos *Oeſypum* eſſe ſordes ipſas, ac pinguem illum ſuccum ab lana abſtractum. At ille putat idem eſſe οἴσυπον cum ἐρίῳ οἰσυπηρῷ. Habeo locum Origenis ex Scripto ejus non edito, ubi ὕσσωπον accipi docet pro calamo & virga Hyſſopi. Verum Hyſſopum ſurculoſum & ligneum eſſe alibi oſtendo. Ex Crucis modica altitudine nos ſcimus, non longa fuiſſe opus nec firma nimis virga ad os cruciarii attingendum, & ſpongiam propinandam. Plura nos de eo aliàs. Nunc vale Vir Ampliſſime, & me ama. Leydæ, VII. Kal. Aprilſ. CIↃ. IↃ. C XXXV.

EPISTOLA LXXIII.

IOH. FRED. GRONOVIO.

PRioribus tuis diu eſt cum reſponſum debeo, quibus nec potui maturius reſpondere ob occupationes varias, quibus hactenus diſtrictus ſum, quæ necdum hodie ceſſant. Sed cum heri poſteriores tuæ ſuperveniſſent, non potui diutius utriſque ſimul junctis τὸ ἀμοιβαῖον debere; ne, dum æs æri accreſcit & uſura pergit, malum tandem nomen exiſterem. Nam ut difficilius ſe exſolvit, qui pluribus nodis tenetur, quam qui uno, vel etiam tantum duplici: ſic me, dum gemino tantum nexu adſtringor, uno niſu liberabo. Vidi porro ac juvit vidiſſe doctiſſimum ac politiſſimũ, immo & πολιτικώτατον Graswinkelium tuum, qui mihi tuas priores reddidit. Is non mihi tantum Scholaſtico ac umbratili hoc fuco imbutus, ſed etiam, quod pluris facio, ſolida illa ac vera prudentiæ civilis doctrina penitus tinctus apparuit, quam ego iſti otioſæ ac male feriatæ oſtentationi, & mecum omnes ſani judicii, longe præfero. Gaudeo te tandem nactum eſſe, qui fœtum amæniſſimi & elegantiſſimi ingenii tui tenebris ſubtrahere, & luci propinare velit. Loquutus pridem fueram cum Mario noſtro typographo,

ſed

ſed ille oggeſſit ſibi ad manum alias eſſe curas, quę τυπωτικὴν ejus occuparent. Iſtud genus hominum Lucrio tantum devoti ſolum in Mercurio marſupium quod manu ſiniſtra tenet ſpectare ſuſtinent, cæterorum ejus ornamentorum ac miniſteriorum ſecuri. In Gallia noſtra jam nihil editur niſi ſumptibus ipſorum auctorum, ob damnoſas chartas, quas triplo cariores quam antea reddidit veſtigal ſatis grande impoſitum. Quæ res fortaſſe etiam hos Belgas tenaciores facit, quia chartis inde utuntur importaticiis. Reſcribo Smitho noſtro, cui meas curabis. Non novi in iſtis terris alium antiquitatum harum curioſiorem, necdum peritiorem. Solus certe ille ſapit, cæteri velut umbræ volitant. Nihil norunt, nihil habent, niſi faſtum & cæcum ſui amorem. Sed alias de his. Nunc ſatis querimoniarum eſt. Vale ac me amare perge. Leydæ. A. D. PR. idus Majas CIↃ IↃ C XXXV.

EPISTOLA LXXIV.

IOH. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

QUas tibi agam gratias neſcio, quantas debeam ſcio, quem non uno nomine obligatum tenes memoria tam recenti, ut de prioribus ſileam beneficiis quæ plurima ſunt. Tuum de Grammatica Arte accepi, exactiſſimum in hoc genere opus ac cui nullum priorum vel priſci ævi vel noſtri poſſit comparari. Non pueris tantum hæc ſcripta, ſed viris qui haurient unde doctores evadant quæque aliunde doceri non poſſent. Si noſter ille, qui Grammaticos omnes vocat ac præ ſe contemnit, tale quid dediſſet, quam elatè buccas inflaret ad glorias ſuas deprædicandas? Tunc nullum genus potius priuſque foret Grammatico. ······· Gratias etiam tibi ago ingentes pro commendatione deſiderii mei apud Junium tuum. Ante

annum & ſemiſſem etiam anni rogaram Boſvellum per litteras ut aliquid inde mihi extunderet. Dum lentus eſt, cum vota ſic trahi ferre non poſſem, ex occaſione cum eſſem Amſtelodami apud te; auſus ſum tuam quoque opem expoſcere. Tempore & uſu impatientia mea paululum fracta eſt, & deinceps effectum promiſſorum cum Boſvelli, tum Junij tui fortiori animo expectabo; præſertim cum & aliud opus in manibus habeam, quod in gratiam PRINCIPIS, ac pæne juſſu ejus ſuſceptum eſt, *de Militia Romana*. Quo in opere multa hactenus parum cognita proferam, & nulli dicta de caſtrametatione & aciei inſtruendæ modo. Fortaſſean & in Tacticis me futurum Grammaticum dicent, ut in Botanicis dixerunt. Obiter heic te monebo, cum librum tuum aperirem, primo adſpectu incidiſſe me in paginam 216. libri ſecundi, ubi diſtinguis inter *focale* quod à *foco*, & quod à *faucibus*. Atqui nullum à *foco focale*. Nam ipſa illa *focalia* in verſu Horatii laneæ ſunt faſciæ latæ, quibus ægroti ſibi fauces circumligabant, unde *focalatus* ille miles apud Petronium, pro quo libri habent *focaſatus*, ex quo noſtri Critici fecerunt *fæcaſiatus*. *Focale* proprium ægrotantium. In verſu Horatiano, non *cubitale*, ſed *cubital* veteres libri quos olim conſului: *Faſciolas, cubital, focalia*. De his focalibus multa dixi in meis *de Re Veſtiaria*, quæ interim jacent dum *Militiam* peregero. Accepi Sophompaneam à fratre τοῦ πάνυ Grotii noſtri. Uxor mea te ſalutat, ut & tuam, quam ego etiam officioſiſſimè cum tota familia. Vale & me ama. Leydæ extrema Maji, CIↃ. IↃ. CXXXV.

EPISTOLA LXXV.

Ampliſſimo & Præſtantiſſimo Viro,

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

QUæ me in eo deprehenderunt, Vir Ampliſſime, cum pararem te prævenire, ſed expectarem diem εἰσελασίας tuæ, ut poſſem tibi certius gratulari reditum hunc in patriam

patriam meam tuum cum tanta pompa & honore, non tamen majore tuis meritis, quæ quantamcunque gloriam non æquare, ſed & ſuperare ex infinito valeant. Id me agitare animo cum tuæ oppreſſerunt teſtabitur tibi Puteanus noſter, cui me hoc facturum ſignificaveram ſtatim atque intellexiſſem te à Suburbio in Urbem ingreſſum. Quod multi in longam diem futurum, aut omnino non futurum hariolabantur. Scis Sabinos quod volunt ſolitos ſomniare. Non poteras porro gaudii tui participem alium facere, qui magis ex animo te eo mactatum eſſe gauderet. Sciebam jam antea quid virtus tua ſumma ſummaque doctrina mererentur, & dolebam tam indignè utramque ab illis haberi, qui neutrius capax pectus haberent, ideo in alio inviderent quod in ſe non eſſe viderent. Nunc in eo es loco, ut ex alto deſpicere poſſis quæ nunquam magni feciſti, utque illi ſuſpicere te inviti debeant, qui hactenus timuerunt te potius quam contempſerunt. Quod ad me attinet, vivo hic adhuc, ſpiroque; ſed tantum temporis me in his locis futurum, quantum hucuſque fui, vix ſpero. Cum crederem jam oppreſſam invidiam aut ſaltem delaſſatam, ecce denuo viribus reſumptis & animis fortior reſurgit. Omnes animi generoſi copias in pectore denuo & ipſe convoco, ut alacrior illis reſiſtam. Tot tamen tantaque ſum paſſus, quæ ſi traderes imbecilliori ſtomacho ingerenda, nunquam concoqueret. Sed hæc aliquando coram melius, ſi Deus dabit ut hæc unquam in os tibi poſſim. Certe durum eſt quod amici omnes poſtulant, & pro jure ſuo veluti exigunt, ut hic aëre valetudini meæ & meorum infeſtiſſimo, inter homines inſenſiſſimos, procul ab ſe, procul à Parentibus, invidiæ undique telis objectus durem. Patiundum tamen eſt, quoniam ita volunt. In *Militia* nunc *Romana* ſum, quam ut tractarem & Gallica quidem lingua, quidam ex Proceribus nomine PRINCIPIS, quia jubere poterant cum rogarent, obtinuerunt. Maluiſſem Latinè ſcribere. Non rerum ſed verborum inopia laboro quæ Latinè eam materiam perſequuto ſponte ſe dediſſent ultro ambientia poni. Nunc ignota conquirentem, & vi trahentem vix ſubſequuntur. Evici tamen,

ut potui maximas difficultates, & Militiam noſtram cum veteri non inutiliter comparavi. *Veſtiaria* interea jacet. Ex occaſione id mihi ſuſceptum vetus argumentum, cum per valetudinem majora aggredi nec luberet nec liceret. De Epigrammatis Græcis cum in eo reſciſcam te eſſe, ut otio abundes ad eam rem curandam, ſubmittam tibi omnes emendationes meas. Sed otio etiam mihi opus ad eas colligendas, quo nunc careo. Vale, Vir Ampliſſime, & me ut ſolitus facere, amare perge. Leydæ, VIII. Kalend. April CIↃ. IↃ. CXXXV.

EPISTOLA LXXVI.

IACOBO GOLIO. V.CL. S.P.D.

PArum abfuit, Vir Clariſſime, quin lectis tuis conſtantia omnis mihi exciderit, & quam de originis vocis *Niſi* certitudine conceperam opinionē penitus ejurarim. Ita primo adſpectu conterruit me Arabum tuorum auctoritas, tuis præſertim adjuta argumentis, & in adſenſum pæně abripuit. Velut improviſa re adtonitus hæſi pauliſper: ſed mox adtentius penſitatis rationum omnium momentis, animum tandem recollegi, & in ſtatu graduque, quo me deturbarunt illi Arabes, poſt paulo me repoſui. Non autem, ut reris, ex ſola Etymi ratione, quod ſcio quam ſit infirmum, eam dictionem Ægyptiis aſſerui; ſed cum alias putarem conſtare ab illis eo ſenſu uſurpatam quo ἐπαγομένας Græci dixerunt, veriloquium etiam ejus ex linguæ proprietate eruere conatus ſum; & quid illa vox vellet, indicare. Qua etiam re adeo probabiliter excogitata haud parum confirmari exiſtimavi, natales ejus in Ægyptiaco ſolo, nec alibi, eſſe quærendos. Quod ſi Goropii veſtri commenta æquè eſſent veriſimilia, pro veris ea quamprimum arripere nullus dubitarem. Nihil enim certius quam Νισι in idiomate antiquo id ſignificare quod diximus, etiamſi compertum foret eos nunquam id verbi ἀντὶ τῶν ἐπαγομένων, quod vocabulum Græcæ

Grecæ eſt originis, non Ægyptiæ, poſuiſſe. Nunc quæris Ægyptiorum aut Græcorum veterum teſtimonia, quæ Arabibus opponantur, nomen نسي pro ſuo vindicantibus. Profecto ſi teſtibus litem dijudicandam committamus, tu viceris. Nam Græci primum nulli ſunt, in tanta Auctorum veterum deperditione, quos nobis invidit temporum & edacis ævi injuria. Multo majori etiam laboramus inopia Ægyptiorum, qui nos in hac lite teſtimonio ſuo juvare poſſint. Notavit quidem divinus Scaliger in maximi Operis lib. III. hodiernos Coptitas & antiquiſſimos Ægyptios Chriſtianos lingua priſca Ægyptiaca ita vocare ſolitos τὰς ἐπαγομένας. Non magni id facies ſcio. Si tamen certum eſt quod ille pro certo affirmat, finem anni ſolaris etiamnum hodie Ægyptios Chriſtianos *Neſi* vocare, ab antiquo id retinuerint oportet. A Coptits id illum dediciſſe opinor, cum quibus habuit commercium litterarum, & à quibus nonnulla accepit, ut Menſium nomina quibus hodierni utuntur Coptitæ, paulum deflexa ab antiqua Ægyptiorum appellatione, ut eam nobis Græci tradiderunt. Quin & multis locis repetit, Coptitas *Niſi* hoc etiam tempore appellare τὰς ἐπαγομένας. Non puto tantum Virum id quod neſciret, pro comperto aſſeverare voluiſſe. Sed & facile ſciri nunc poteſt an hoc verum ſit. Nihili eſſe hoc tamen teſtimonium ponamus: rem ipſam videamus. Arabes tui docent Ægyptios vulgo ابوغنا, hoc eſt ἐπαγομένας, vocare quinque dies illos adjectitios, quos ad anni finem adponunt. Mirum vero cum antiqui Ægyptii nomina Menſium propria lingua, hoc eſt Ægyptiaca, concepta habuerint, non habuiſſe nomen quo quinq; dies illos adſcititios nuncuparent, niſi aliunde, hoc eſt è media Græcia, acceptum? cui hoc credibile fiat, qui præſertim ſciat quinque illorum dierum adjectionem Ægyptiorum propriam fuiſſe, & ſi qui præterea eam uſurparunt, ab illis mutuo accepiſſe? Atqui vel nomina ſingularum diei horarum vocabulis nativis olim expreſſerunt, quarum & laterculum ac denominationem habes in extrema pagina προχείρων κανόνων Theonis, cui parem & aliunde habuimus. Quin quod etiam majus eſt,

ſinguli

ſinguli dies τῶν ἐπαγομένων ſuas appellationes ſermone Ægyptiaco expreſſas habuerunt, quorum primus dicebatur *Oſiris*, ſecundus *Arueris*, tertius *Typhæus*, quartus *Iſis*, quintus ac poſtremus *Nephte*, qui erat nefaſtus & ἀποφρὰς, teſte Plutarcho in Libro *de Iſide & Oſiride*. Cum ſinguli igitur dies Epagomenarum nominibus Ægyptiacis appellati fuerint, non Græcis, mirum foret caruiſſe illos nomine quo univerſos ſimul comprehenſos indigitarent. Certe antequam Alexander urbem cognominem in Ægypto condidiſſet, & Græcorum ſeu Macedonum coloniam induxiſſet, nullum in tota illa Provincia fuit Græci ſermonis veſtigium, nullus uſus, nulla notitia. Et tamen certum eſt longe ante illa tempora, & annum in duodecim menſes diviſum habuiſſe, & quinque dies ἐπαγομένας anni fini adjeciſſe, eaque omnia ſuis vocabulis, hoc eſt indigenis, nuncupaſſe. Nec enim veri eſt ſimile cum reliqua illa nomina ſermone ſuo formarint, ſolas ἐπαγομένας quæ nulli alii genti cognitæ fuerant aut uſitatæ, quæque ab ipſis primum fuere proditæ, idque antequam Græci ulli pedem in illis finibus poſuiſſent, mutuato à Græcis & accito vocabulo denominaſſe. Quod igitur Arabes tui ἐπαγομένας proprias Ægyptiorum faciunt, miſere hallucinantur, dum Ægyptios veros ac veteres lingua Ægyptia loquentes, ab incolis Ægypti Græcis & Alexandrinis diſtinguere neſciunt. Quod diſcrimen non ſolum in re parvi momenti, & in una vocula negligunt; ſed etiam in Ægyptiaci anni forma nobis tradenda multo magis ineptiunt, & omnia confundunt, dum Ægyptiacum annum eum ſibi eſſe perſuadent, qui ſolis Alexandrinis in uſu fuit. Longe melius Theo & alii veteres Græci, qui Ægyptiorum annum & Alexandrinorum paſſim cum hac nota diſcernunt, quod Alexandrini quarto quoque anno unum diem intercalarint, Ægyptii intercalationem illam nuſquam admiſerint. Ideo quadriennium Ægyptiacum uno ſemper die minus erat, quam quadriennium Alexandrinum aut naturale. Scis ipſe, quem nihil talium latet, non alia anni Ægyptiaci forma in ſcriptis ſuis Ptolemæum uti, quam hac vaga & ſoluta, in qua Feriæ per totum

Digitized by Google

tum annum libero paſſu errabant, quæque per ſingula quadriennia uno die ſuperabatur ab anno ſolari & communi, ſive fixo. Quis vero Arabum de illa anni vagi Ægyptiaci ratione tractat? unicam tantum nobis exhibent anni Ægyptiaci ideam, eamque fixam, quaſi nulla alia unquam ipſis uſitata fuerit ac cognita; quia nimirum tempore illo quo ſcribebant, exoleverat apud Ægyptios veteres anni vagi uſus, recepto Alexandrino fixo, quem iſti pro Ægyptiaco nobis obtrudunt. Ideo Alfraganus, ubi Ptolemæus annos Ægyptios ponit, ipſe eorum loco Perſicos, qui ſimiliter vagi tunc erant, ſubſtituit, quia nulli amplius tales, tempore quo ſcribebat, anni vagi Ægyptiorum in uſu fuerant. Ille ipſe tradit differre menſes Ægyptiorum à Perſicis, quod illi ſecundum morem Romanorum & Syriacorum ad finem anni quadrantem diei adderent, ex quo dies unus fieret, ſingulis nimirum quadrienniis adjiciendus. Idem dicit Elkupticos poſt menſes duodecim, inſuper quinque dies adjicere, qui vocantur, اللواحق, & lingua, inquit, Elkuptica ابوغمنا. Quaſi vero ἐπαγομέναι lingua vera Ægyptiaca ſic dicerentur, & non potius lingua Græcorum, hoc eſt, Alexandrina; qui Græci ſive Alexandrini cum ἐπαγομένας lingua ſua Helleniſtica nominarunt, interpretatione expreſſiſſe videntur vocabuli Ægyptiaci ſenſum, quo quinque illos dies vulgo Ægyptii indigenæ vocarunt. Quod erit illud vocabulum? Nempe Nισι, quod hodieque vulgus Coptitarum retinet cum antiqua menſium appellatione, hoc eſt Ægyptiaca. Unde enim illis hoc nomen, niſi ab antiquo Ægyptiaco? Nec puto ab Arabibus id ſunt mutuati, ut nec nomina menſium quibus etiamnum utuntur. At Arabes ea quoque voce promiſcuè uſi leguntur, quem & ex ſuo derivant. Hoc ſane poſito quod communiter tam Arabibus quam Ægyptiis, hac notione uſurpatum fuerit iſtud Nισι, longe probabilius cenſerem Ægyptiis, tanquam primis auctoribus id adjudicare, quam Arabibus; quantumvis obſtrepant Arabici Doctores, qui ſibi illud vendicant. Primi quippe Ægyptii feruntur ſiderum ſcientiam inveniſſe, ſtellis numeros & nomina feciſſe, annum in duodecim partes, hoc eſt, menſes, diſtri-

diſtribuiſſe, eumque ad Solis rationem conſtituiſſe. Ab his reliquos omnes accepiſſe, qui in totidem partes eum diviſum habuerunt: quamvis Lunæ rationes in eo conſtituendo plerique magis ſecuti ſunt, ut Arabes Veteres, qui tamen tertio quoque anno menſem intercalabant, ut cum Sole quoque congrueret Lunaris annus. Præterea longè commodior vocis Νισὶ ex AEgyptiaco arceſſita interpretatio, magiſque adeo convenit cum ἐπαγομένων notione, quàm ſi petatur ex Arabico, cum ſignificatione dilationis aut moræ, quæ nullo modo ad ἐπαγομένας exprimendas pertinet, præcipuè cum vel ipſis Arabibus conſtet auctoribus ἐπαγομένας idem eſſe quod Νισί. Nam & Abenjunis tuus, ut rectè notaſti, ubi ἐπαγομένας Ægyptiorum proprias de quinque diebus appendicibus eſſe dixit, ſtatim addit, وهي دسي. De appendicibus quoque Perſici anni eandem vocem uſurpant Arabes tui, ut jam ſatis conſtet idem eſſe Græcum ἐπαγομένας, quod Ægyptiacum, ſive, ut vis, Arabicum دسي. Duo præterea vocabula habent Arabes quibus dies illos appendices ſignificant, quà Perſicos quà Ægyptios, مسرقات & اللواحق. Quod poſtremum Scaliger perperam Perſicum putavit, cum Perſæ proprie eas nominent in ſuo idiomate الاندرجاهات. His tertium accedat ad ἐπαγομένας ſignandas, quod in quæſtione nobis eſt NISI. Quod ego Ægyptium, tu Arabicum, cum magiſtris ejus gentis, pertendis. Non mirum autem cum illi adeo rudes ſint in antiquitate anni Ægyptiaca, ſi etiam ignorarunt Νισὶ illud eſſe ab eadem natione profectum, quod uſurpatum in ſuo Corano repererunt, & alio quidem ſignificatu quam vulgo ab AEgyptiis ſumebatur. Nam ibi, ut locus indicat quem citaſti, النسي eſt ἐμβολισμὸς & intercalatio menſis, quæ fiebat poſt tertium quemque annum. At Νισὶ ſunt ἐπαγόμεναι quæ multum diſtabant ab intercalatione. AEgyptii veri vetereſque, quamdiu eorum Religio duravit, cane pejus & angue vitarunt & abominati ſunt intercalationes ſive ἐμβολισμὺς, dierum, menſium, annorum, qui tamen ſemper ἐπαγομένας agnoverunt & admiſerunt. Et ante Nebonaſſarum quidem annum ſuum ab ortu Caniculæ incipiebant, in ſequente

te ejuſdem caniculæ exortu finiebant, cum tacitè accreſceret ſingulis annis ſuus quadrans, qui tamen etiam tum quinque ſuas epagomenas numerabant. Quod hac ratione inſtituerunt, ut feriæ per totum vagæ currerent. Poſt Nabonaſſarum anni Perſici formam receperunt, ſed ſine intercalatione qua Perſæ poſt centum & viginti annos unum annum intercalabant, quia id ipſorum religioni repugnabat. Tum quoque obtinuerunt, quod eorum ſuperſtitioni conſentaneum erat, ut feriæ per totum annum vagarentur, ſed alio modo quam prius. Tunc enim anticipando, poſteà retrogradiendo id aſſequuti ſunt. Multum igitur divertunt ἐπαγόμενος μὴν, ut vocarunt quinque dies appendices, ab ἐμβολίμῳ ſive intercalari. Ægyptii veteres ἐπαγομένας habuerunt abſque intercalatione, Alexandrini Ægyptii ἐπαγομένας cum intercalatione. Nam ἐπαγόμεναι quarti cujuſque anni apud illos ſex dierum fuerunt, & quinque dies veræ ἐπαγόμεναι, ſextus ad intercalationem referendus. Perſæ quoque & ἐπαγομέναις & intercalatione uſi ſunt ſimul, ſed annum integrum intercalarunt, poſt centum & viginti. Epagomenæ ſingulis quibuſque annis adjiciebantur ad ſupplendum defectum CCCLX dierum in anno, quæ forma anni vetuſtiſſima fuit, cum apud Ægyptios, tum apud Græcos. Intercalatio verò vel diei unius vel menſis vel etiam anni poſt certa annorum ſpatia adhiberi ſolebat, ad hoc ut lunaris annus, vel quod deerat ſolari, reſtitueretur, & cum ſolis rationibus congruere poſſet. Hanc omnem intercalationem, ſemper fugerunt Ægyptii, ut veterum teſtimoniis multis teſtatum habemus, tum veteris quoque Scholii ad Germanicum Arati, his verbis: *Deducitur Apis à ſacerdote Iſidos in locum qui nominatur* Adytos, *& jurejurando adiguntur neque annum, neque menſem, neque diem intercalandum, quo feſtum diem immutarent, ſed* CCCLXV *dies peracturos ſicuti inſtitutum eſt ab antiquis*. Hæc etiam ratio movit impurum Muhammedum ut intercalationem vetaret, ne feſti dies ſuo loco moverentur. Sed quod نسى vocat illam intercalationem, Ægyptii ſic vocarunt ſuas ἐπαγομένας, quæ diverſæ erant ab intercalatione, quam

Arabes, niſi fallor, proprie vocant الكبس, & annum quo intercalatur dies aliquis aut menſis كبيسة, ut illum quo nihil intercalatur بسيطة. Sed hæc à te ſum docendus, cujus judicio, ſtare an cadere debeant, iſta permitto. Apage vero à me iſtum animum ut de præclara gente triumphos velim ducere, à quo duci docerique in multis præcupio, & ſine qua vix doctum ſolidè poſſe dici aliquem plenè cenſeo. Non deeſſet porro materia triumphorum, ſi iſta gloria animo inceſſiſſet, in ea re quam nunc ago, in qua quotidiè magis magiſque errores immanes Magiſtrorum Arabum deprehendo, ut cum mannam turis Græcorum, quæ eſt μάννα λιβάνου, cum manna ſua, quæ cœli ros eſt, confundunt; cum χαμελαίαν, & χαμαιλέοντα non diſtinguunt; cum ὕσσωπον & οἴσυπον rem eandem putant; cum l'ἰνδικὸν μέλαν Græcorum quod idem eſt plane cum ipſorum النيل, genus atramenti faciunt, & ejuſdem quidem generis cum ſcriptorio atramento. Hæc & talia numero infinita ita quidem caſtigo, ut tamen plura bona me illis Magiſtris accepta referre profitear, nec pœniteat me qualem qualem in ea lingua facultatem aſſequutum; quæ cum ſit tenuiſſima, ſic tamen malo eſſe quam nullam. Vale & me ama, qui tuus ex animo ſum.

EPISTOLA LXXVII.

A MONSIEUR DE PEYRESC,

Conſeiller du Roy, en ſon Parlement,

A Aix.

IL faut avouër que vous dominés ſur touts les autres hommes du Monde, en cette recherche de l'antiquité, d'autant que vous avez joint la Pratique avec la Theorie : la plus part de nos ſçavans n'ayants exercé que l'une des parties ; s'eſtans contente de ſçavoir ce que les livres leur en pouvoient apprendre, qui n'eſt rien au prix de ce que les choſes meſ-

mes

mes nous enſeignent ; lors que nous venons à les mettre ſous noſtre veüe, les tenir & manier dans nos mains. Pour exemple ; nous n'euſſions jamais compris la façon de calculer des anciens, ſi nous n'euſſions veu l'Abacq *ſur lequel ils calculoient , & la forme de leur jetton. Cependant y a t'il rien, dont les Autheurs facent plus de mention en leurs eſcrits , tant les Grecs que les Latins. Ainſi de tout le reſte, & principalement des habits antiques* Togæ, Pallia, Chlamydes, Saga: *Combien me ſuis-je de fois rompu la teſte, & travaillé en vain à expliquer & eſclaircir ce que j'en rencontrois chez les Anciens ; & n'en fuſſe jamais venu à bout , ſans avoir veu de mes yeux le pourtraict des choſes que je ne pouvois me figurer telles par la lecture ſeule des Livres. Teſmoins encore la Fibule des Anciens, que je ne me fuſſe jamais imaginée telle, ſi vous ne me l'euſſiez fait voir par les deſſeins , que vous m'en avez envoiez. Ie ſuis maintenant ſur un plus noble ſubject, que celuy de veſtement & robes anciennes , & lequel j'ay entrepris en faveur du* PRINCE *d'*ORANGE , *qui m'en avoit fait parler il y a long temps , qui eſt* la Milice Romaine ; *où je monſtreray que juſques ici perſonne n'a entendu la maniere de camper & de ranger en bataille , que les Romains ont pratiqué. Et cette Milice a eſté ignorée juſques là, que les plus ſçavants n'ont pas meſme ſceu diſcerner qu'elle difference il y avoit entre* Pilum & Haſta. *Lipſe en ſes Dialogues ſur le traicté de Polybe tourne* Pilum *ce qui eſt* Haſta, *& que les* Haſtati *portoient ; & au contraire il rend* Haſta *ce qui eſtoit* Pilum , *& qui eſtoit un arme propre aux* Triarii , *qui en eſtoient encores appellés* Pilarii : *touts les autres ſont tombés en cette meſme faute. Ce qui a aidé à les tromper, eſt que ſous les Empereurs le* Pilum *a eſté ſeulement en vogue parmi les Legions ; & ne ſe parloit plus de* Haſta, *d'autant que la diſtinction des* Haſtati Principes & Triarii, *n'avoient plus de lieu és batailles Romaines , ainſi qu'elle avoit eu autrefois ; qui eſt encores un autre erreur bien grand , qu'ils ont creu que les Romains ont touſiours rangé leurs Legions par ces ordres differeants de* Haſtati Principes & Triarii. *Si vous avez en main quelque figure du* Pilum *ancien , vous me feriez un ſin-*

gulier plaiſir de me la faire tracer ſur du papier avec ſa groſſeur, ſa longueur, & ſa forme, tant du bois que du fer. Cependant je ſuis,

MONSIEUR,

A Leyden, ce 1. Iuin. 1635.

Voſtre tres-humble & tres-affectionné Serviteur

SAUMAISE.

EPISTOLA LXXVIII.

IACOBI GOLIO. V.CL.

QUod in meis nuper ad te profeſſus ſum, Vir magne, iterum heic iterumque profiteor ac repeto, me tuo judicio quidquid eſt hujus ζητυσιδίου permittere utrum cadat an recto ſtet talo. Nec ſanè mihi tibias inflare volupe eſt in re nihili. Nec opes ſpeſque Belgii veſtri in hoc ſitæ ſunt, ut Ægyptium magis habeatur quam Arabicum, aut contra, illud jam tantopere vexatum NISI. Quid vis tibi amplius, viciſti; & verbum unum non adderem, niſi fixum animo ſederet, in eo etiam tibi ſatisfacere quod exiſtimas me inſcitiæ arguere omnes Arabes ſub unius Alfragani nomine. Ego ne iſtud conari queam, ut quemquam temerè accuſem? mori me mallem. Nec recuſo tamen quin talis habear, ſi modo unum proferre poteris ex Arabia magiſtrum, qui diſtinxerit inter annum Alexandrinorum & Ægyptiorum; quemadmodũ Gręci fecere, Theon in Canonibus, Proclus in Theoremate, & alii plures quos vidi partim editos, partim adhuc ἀνεκδότους. Nec ſatis eſſet ſi quis ita diceret, AEgyptios olim anno vago uſos eſſe, poſtea intercalaſſe. Immo uno eodemque tempore conſtat AEgyptios anni vagi uſum habuiſſe, eundemque vagantem intercalatione frænaſſe. Sed diſtinguendum de AEgyptiis. AEgyptii Alexandrini, hoc eſt Græci incolæ, intercalabant: AEgyptii, natu-

naturales nunquam intercalationem adhibuerunt; idque retinuerunt uſque ad tempora Diocletiani, quibus tota AEgyptus conceſſit in leges Alexandrini moris quoad intercalationem. Ideo Epocham Arabes anni Ægyptiaci à Diocletiano repetunt, quem Regem Egyptium indigitat Abenjunis, haud ſcio quam bene; nugari & heic eum dicerem, ſi auderem. Nec minus illos qui ab Alexandri uſque temporibus accerſunt genus intercalandi, quo quarto cuique anno unus dies addebatur. At mirum eſt cum nemo Arabum meminerit ejus diſtinctionis quæ Alexandrini anni formam ab Ægyptiaca ſeparat, & cum omnes Ægyptiaci anni nomine Alexandrinum intelligant, mirum, inquam, te præter Alfraganum reliquos ab iſto errore exemptos velle. Ipſe ille Afraganus quem primum, quia occurrebat, arripui, ut ex uno omnes noſcerentur, nullo modo eam rem diſtinguit aut explicat, ut velle videris. Quin immo diſertis verbis annum Egyptiacum à Perſico diſcernit, quod Ægypti Syrorum more & Romanorum intercalare ſoliti ſint, cum Perſæ non intercalarent; *menſes*, inquis, *æquabiles annoſque agnoſcit; non Ægyptios tamen, ſed Perſicos dicit.* Atqui non de Perſicis ſed de Ægyptiis quærimus. Nunquid iidem ſunt Ægyptii cum Perſis? Hoccine vero eſt Alexandrinorum Ægyptiorum annum alium diſcrimine facere ab Ægyptiorum priſcorum anno? Immo ut vides non ſolum hic Alfraganus, ſed etiam cum illo cæteri hæc omnia ſignant alba linea, unumque omnino ſtatuunt Ægyptium annum in quo poſt quadriennium unus dies intercalatur. Quantum ad hoc, ſum extra delictum imputatæ falſo ignorantiæ iſtis Arabiæ magiſtris, ut equidem exiſtimo, niſi adhuc aliter tibi videatur. Quod autem ad Ægyptiorum veterem linguam an eadem ſit cum hodierna Copritarum, quia ſubdubitare videris, aut potius planè negare, in alia ipſe ſum ſententia. Si enim valeret argumentum quo multa interſperſa Græca vocabula eorum ſermone dictitas, tum profecto hoc ipſo argumento probari poſſet, Arabum linguam qua hodie loquuntur, non eſſe eandem cum priſca; cui tot mixtæ voces viſuntur ex Græco idiomate, ut auſim aſſere-

re nullam exterarum linguarum plura exotica recepiſſe quam iſtam. In Liturgiis autem ipſorum ea admittere coacti ſunt, quæ quodammodo erant τεχνικὰ hujus Religionis, quam amplexi de novo fuerant, tum cum facti ſunt Chriſtiani, cum factas ad ea exprimenda voces in ſuo idiomate non haberent, ut ἀγάπη, σύμβολα, μυστήριον, πρεσβύτης, ἄγγελος, πατριάρχης, & alia ſexcenta. At, inquis, character eorum Græcus eſt. Sic etiam poſſes, quia Perſarum nunc character eſt Arabicus, arguere linguam Perſicam hodiernam eſſe aliam ab antiqua. Ægyptii vero hoc plus habent quam Perſæ: quod ſeptem ſaltem litteras ex antiquo ſuo alphabeto retinuerunt, tam nomine quam forma differentes à Græcis, & merè priſcas Ægyptias. In Perſia porro ais plures olim linguas fuiſſe, & temporum lapſu immutatas cum certum ſit, quidni in variis Ægypti Provinciis idem obtinuiſſe potuit. Non puto ego in Perſia propriè ac ſtrictè ſumpta plures dialectos viguiſſe, cum non admodum magna aut diffuſa Provincia fuerit. At ſi Perſici Regni Provincias omnes pro Perſia accipiamus, quæ cum lege ſermonem quoque à Perſis acceperunt, haud dubium eſt quin mixtura magna & farrago loquendi in illis fuerit, cum pleræque illarum nativum ſermonem una cum lingua dominantis populi miſcerent, & ex his duabus unum peculiare idioma concinnarent, ut vidimus factum in pleriſque Europæ regionibus, quæ Romanam linguam cum imperio ſimul receperunt. In Ægypto verò non plures olim, ſed una fuit Provincia, quæ poſtea ſub Imperatoribus Romanis in plures particulas & quaſi Provinciolas ſecta fuit. Nemo autem unquam plures dialectos in Ægypto quam duas in uſu fuiſſe dixit, Græcam & Ægyptiam. Quam Ægyptiam in duas etiam dividebant, vulgarem ac χυδαίαν, & ἱερογλυφικὴν, cum utriuſque eædem voces eſſent, ſed cum diverſa ſignificatione, quæ tamen unam quodammodo ſcita interpretatione & myſtica exprimeret ſibi convenientem ſententiam: ut Σβὼ *panem* in hac, & *ſcientiam* in illa ſignificat; quia, inquiunt, qui ſcientiam ſibi comparavit, etiam habet unde panem ſibi quæritet. Cęterum eandem eſſe Coptitarum

rum

Roy, eſcrit en lettres Capitales & fort ancien, les varietes du quel ſont toutes confirmées par la verſion Arabique. Nous laiſſerons l'Arabie pour revenir à Rome, & parler de noſtre Milice Romaine. *C'eſt un deſſein où j'ay eſté porté par le commandement du* PRINCE *d'*ORANGE, *lors que j'y penſois le moins, ſur lequel toutefois j'avois de long temps de fort belles remarques, qui renverſent preſque tout ce qui en a eſté dit par ceux qui en ont eſcrit jusques icy, tant François & Italiens, que du peuple Latin, c'eſt à dire de Nos Critiques. Tout ce que j'en eſcriray tant pour la Caſtrametation que pour la maniere de ranger en bataille, & de touts les ordres, offices, & façon de la guerre, diviſion de Legion, ſont autant de paradoxes, leſquels le prouveray pourtant ſi fortement qu'ils ne le ſeront plus apres mon eſcrit veu. Pour ce qui eſt de la* Haſta *& des troupes des* Haſtati, *que je poſe avoir eſté abſolument abolis ſous les Empereurs, depuis les guerres Civiles de Cæſar & Pompée, la preuve m'en eſt ſi facile qu'il n'eſt rien de plus certain. Ces Inſcriptions que vous oppoſes au contraire ne la renverſent point, mais il les faut entendre de la façon que je le monſtreray. Il y avoit un Corps de* Haſtati *dans la premiere Milice, telle que Polybe la deſcrit, c'eſtoient les plus jeunes de la Legion apres les* Velites. *Ce corps de* Haſtati *en chaque Legion eſtoit diviſé en dix Compagnies, chacune deſquelles eſtoit commandée par un Capitaine nommé* Centurio, *& ſe nommoit chacun d'eux ſelon l'ordre des Compagnies*; Primus Haſtatus, ſecundus Haſtatus, *juſques au* Decimus; *qui commandoit à la dixieſme Compagnie des* Haſtati. *De meſme de* Principes, *& des* Triarii, *leſquels, parce qu'ils s'appelloient auſſi* Pilani, *le premier Capitaine des dix de ce corps eſtoit appellé* Primus Pilus, *ou en un mot* Primipilus. *Je le trouve encore nommé dans une ancienne Inſcription* Prior Triarius *comme* Prior Princeps, *dans Cæſar, le* Primus Princeps, *c'eſt à dire le premier Centurion ou Capitaine du Corp des* Principes. *Voici donc le ſecret qui n'a encores eſté decouvert par perſonne. Lors que la Legion eſtoit diviſée en ces trois Corps ou Regiments de* Haſtati, Principes, *&* Triarii, *ils obſervoient ce meſme ordre, en faiſant les ordres de leur batailles. Les* Haſtati

dividatur Xirazi, Loſtahi, & Hormazi, quarum prima elegantior & quaſi aulica, tertia durior, & tam pronuntiatione quam vocabulorum impropriorum admixtione impurior. Quod & in aliis regnis ſolet uſu venire. Nec mirum ſi ἐπαγομένων vocabulum inter Græcos Auctores remanſit, abolito Ægyptio. Nam ſi Alexandrini ſimiliter nomina Menſium Græca interpretatione reddidiſſent, neſciremus hodie quomodo Menſes nuncuparint Ægyptii antiqui. Tradunt enim Auctores Græci Alexandrinos nomina Menſium ut erant Ægyptiis in uſu retinuiſſe, anni formam mutaſſe. Quis hodie ſcit quomodo ipſum Annum vocarint Ægyptii? Quia enim Alexandrini Helleniſtæ nomen Græcum omiſſo Ægyptiaco frequentarunt, ideo neglexere Scriptores id nobis tradere quod ad rem non pertinebat. Atqui ῥαμπὶ olim vocarunt τ̀ ἐνιαυτὸν, hodieque etiam ſic appellant Coptitæ. Cum Ægyptii veteres omnia ſiderum nomina ſuis & nativis vocabulis nuncupata habuerint, nobis hoc tempore σῶθις ſola nota eſt, quæ eſt canicula, vel κύων Græcorum. Nam & σώθ vel Σωθὶ Ægyptiis eſt *canis*, quam multi cum θώθ confuderunt, quod eſt Mercurii nomen, quod quidam male canem ſignificare ſcripſerunt. At nobiliores aſteriſmos ea lingua expreſſos ex vetuſtiſſimo libro depromptos habemus. Quod etiam ſubdubitas an unquam forma anni diebus CCCLX. conſtantis Ægyptiis fuerit uſurpata, quod poſuimus in Epiſtola noſtra, ſcias rem aut dubiam aut nobis obſcuram non protuliſſe. Plutarchus in Libro *de Iſide & Oſiride* diſertè hoc teſtatur. Africanus apud Euſebium ex Manethone nomen etiam Regis Ægyptiaci recenſet, qui primus quinque illas appendices dierum adjecerit. Ἀσὴθ eum vocat, quem quartum ponit ab illo Pharaone ſub quo in Ægyptum venit Joſephus, οὗτος, inquit, προσέθηκε τῷ ἐνιαυτῷ τὰς ἐπαγομένας, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἐχρημάτισε τξε ἡμερῶν ὁ Αἰγυπτιακὸς ἐνιαυτὸς τξ μόνον ἡμερῶν πρὸ τούτου μετρούμενος. Veriſimile non eſt vocatas tum fuiſſe ἐπαγομένας, cum nulla Græcæ Linguæ notitia eſſet in AEgypto. Ægyptiaco ergo vocabulo, ut probabile valde eſt, appellatæ ſunt. Et quod illud fuit? putarem Νισὶ fuiſſe, niſi vetares, & Arabibus tuis illud

Digitized by Google

illud vindicares; & volo, ut vis. Aliud igitur oportet fuiſſe cujus interpretamentum Græcum per Alexandrinos Helleniſtas vice nativi & primigenii Ægyptiaci obtinuerit. Quæramus ecquod fuerit. Quod de Æthiopibus ſcribis qui PAGAMEN vocant has ipſas appendices, ab ἐπαγομέναις, hoc etiam ſcio, ſed non magna illa antiquitas eorum, qui à mille tantum annis id vocabuli mutuati ſunt ab Helleniſtis potius quam Ægyptiis, qui Helleniſtæ jam ab Auguſti anno quinto ante natum Chriſtum correctam ab illo Imperatore anni formam acceperunt, quos & longe ante id tempus veriſimile eſt appendicibus illis nomen Græcum feciſſe. Nec adeo mirabile eſt, ſi Jacobus natione Græcus hoc nomen Epagomenarum ſectariis ſuis tam Ægyptiis quam Æthiopibus, potius quam verum Ægyptiacum tranſmiſit; quod abolitum tandem videtur, admiſſo ſemel illo ut notiore ac celebriore. Addis poſtremo ſignum, Hamzæ adſcriptum τῷ ي in illa voce نسي, quod in nulla ſit niſi quæ ſit ipſa origine Arabica. Hoc quidem ſcis melius quam ego; ſed illud tamen non ignoro, quod unus omnium optime tenes, morem Arabum in mutandis, mutilandis, transformandis vocabulis quæ aliunde acceperint; quibus non ſolum utuntur pro ſuis, ſed ſuo modo ea veſtiunt, ut jam inde amplius aliena agnoſci vix poſſint. Ne longe eamus. Nomen Servatoris noſtri nonne ita transfigurarunt ac μετημφιάσαντο, ut origo ejus plane diſſimulata ſit? عيسى vocant, & *Iſa* pronuntiant. Quam longe hoc ab ipſis vocabuli natalibus? Hebræis eſt ישוע, radix, ut ſcis, eſt ישע *ſervare*; fidem tuam, doctiſſime Goli, hic interpello, quis omnino dicere poſſet illud عيسى ab illa radice deſcendere? Quis non potius contenderet ab Arabico verbo عسي venire: profectò ſi æque incertum eſſet utrum vocabulum Arabicum ab Hebræo, an Hebræum ab Arabico ſumptum eſſet ac factum, non deteriore jure niteretur qui ab Arabico natales ejus arceſſeret? Quis etiam imaginari ſibi poſſet Arabes illos tuos يحيى *Iachia* potuiſſe, pro eo quod eſſe ex Hebræo deberet, يحنن. Facile & quis poſſet illius vocabuli radicem ſicut ab illis adulteratum eſt, in ipſo Arabum ſolo quærere & inve-

Digitized by Google

nire. Nec melius Græca tractarunt. Cur enim ارسطو *Ariſto* vocant pro Ariſtotele; cur بقراط pro Hippocrate? Quin & à nominibus, quæ aliunde mutuati ſunt, ſolent verba formare, ut exemplis multis probari poſſe ipſe omnium optimè ſcis بلاط vocant quod eſt Græcorum infimi ævi παλάτιον, unde قربلاط *cur-palat*, quod ipſis κυροπαλάτης, & Latinum vetus *cura Palatii*. Inde fortaſſe verbum finxere بلط, *lapidibus ſternere*. Quod ſi hoc verbum Arabicæ eſt originis, quis non poſſet illud بلاط inde deducere. Infinita hujuſmodi recenſere poſſem. Sed hæc nimia ſunt, quæ non eo dicta ſunt uti opinione tua te dimoveam, cum potius à mea ipſe recedere ut tuam ſequar paratus ſim. Atque hæc raptim .... Patientia tua & humanitate me abuti dices & ipſe fatebor ita eſſe, vellem aliqua in re operam meam tibi adprobare poſſem, nemini imperares citius & obſequioſius tibi parere parato quam tuo, tuique obſervantiſſimo Salmaſio. Vale, & me ama.

EPISTOLA LXXIX.

JOH. FRED. GRONOVIO.

NOn heic te morabor pluribus, nec detinebo fortaſſean gravioribus occupatum, quia certe & ipſe ſum. Lucretium hic habes, & literas ad Fabricium, quas ad eum curabis. Nondum reſcribo Smitho noſtro. Prima occaſio hoc dabit, ubi fuero magis meus. Ne nunc quidem tibi ſcripſiſſem, ſed Lucretium ſolum ad te ire nolui. Hoc ejus gratiæ dedi, quem amo, ut meis comitatus abiret. Accepi nuper Pariſiis Apologiam Apuleji cum novo commentario Pricæi Angli, qui multa Monumenta inſeruit ex Arondelianis marmoribus nondum viſa, in his inſcriptionem Cretenſem vetuſtiſſimam duarum paginarum, quæ fœdus continet inter Hierapydinos & Prianſæos. Quod ad Criticam attinet, non adeo εὐτυχῶς mihi litaſſe videtur. Plura non addam. Vive ac vale; meque ama, & vicinum

vicinum tuum clariſſimum Graſwinkelium meo nomine ſaluta. Leydæ. XXI Junii: CIϽ. IϽ. C XXXV.

EPISTOLA LXXX.

IOH. FRED. GRONOVIO.

TAntum abeſt ab ea judicii laude, qua optimas quaſque calculo ſuo comprobaſſe emendationes cenſendus ſit, ut contra non niſi de peſſimis recipiendis auctor eſſe videatur. Rem tibi auctorem darem, ſi ad manum liber eſſet, quem propterea ad te miſiſſem ut noſceres; ſed amico utendum dedi, quem ubi recepero, tum faxo ad tuas quoque manus convolet. Inter meas præcipuas conjecturas hanc ſemper repoſui, qua in eadem Apologia feliciter mihi emendaſſe viſus ſum, quod legebatur pag. 282. Elmenorſtianæ editionis: *Quid enim ſi choragium thymelicum poſſiderem, num ex eo argumentarere etiam uti me conſueſſe tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crotalo ad trieterica orgia, mimi centunculo.* Quo loco cum in libris offendiſſem ſcriptum, quod & membranæ Florentinæ confirmant, *hiſtrionis crocata*, non dubitavi reſectis ſuperfluis & additiciis gloſſis corrigere, *tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crocota, mimi centunculo.* Quid enim ibi Crotalum facit, aut trieterica orgia cum thymelico choragio, quo veſtes ſcenicæ tantum continentur? At enim *hiſtriones* eo tempore pantomimi, qui quod perſonas muliebres ſæpius deſaltarent, ideo quaſi propriam eis veſtem aſſignat *Crocotam*, ut Tragico actori *Syrma*, mimo vel planipedi *centunculum*. Probavi alias pluribus hoc conjectaneum. Ita vero ille & in aliis fecit. Sed ex uno diſce omnes. Nunc ad tuam venio loci illius, qui præcedente pagina ejuſdem editionis Elm. Scias porro & olim mihi in mentem veniſſe, quod ad illud attinet *pulchritudine honeſtatos*: ſed aliter etiam ea verba reconcinnabam, hoc nimirum modo: *Sed contra incomptum & ſerium pulchritudine honeſtatos virtutis amatores ſuos conciliare.* In amore illo ſerio ac.

philoſophico amator, ἐραστὴς, conſiderandus & amaſius ὁ ἐρώμενος. In illo virtus ſpectabatur, in iſto forma. Ita Alcibiadem amabat Socrates, & iſte illum mutuo. Sed nunc nihil mutem, niſi illud *pulchritudine honeſtatos virtutis.* Hoc enim video velle Auctorem, Amorem illum ſerium τὸν ἐρώμενον τῷ ἐραστῇ commendare non formæ bono, ſed virtutis pulchritudine. Nec curare an ὁ ἐρώμενος formoſus ſit, modo ad virtutem indolem habeat factam. Si quando autem etiam decora corpora commendet & conciliet, non florem corporis in iis conſectari, ſed ab eorum contumelia τὸν ἐραστὴν abſterrere. Nihil itaque verius tua correctione. De altero loco è libro IV Metam. corruptiſſimum eſſe recte judicas. Hinc colligas, quam multa reſtent in politiſſimo Scriptore, quæ novis Criticis laudem pariant, qui ex hoc muſtaceo gloriam quærere meditentur. Hoc agere potes, ſi bene jam te novi, aut nemo alius quem noverim. Proxime præcedit in veteribus libris fere omnibus, *ſaliens ſe cænaſſe crederet*, pro quo viri docti certatim repoſuerunt, *ſaliares ſe cænaſſe cænas crederet*. Atqui brevius fuit reponere, *Salìè ſe cænaſſe crederet*. Hoc eſt, Saliorum in morem. Sequuntur verba, quæ pro deſperatis habes, quæ liber Foxienſis Bibliothecæ, quem contuli, ſic ſcripta exhibet: *Ego vero nunquam alias ordeo cibatus ſum minutanti & diutina cogitatione virulentum ſemper eſerim.* Ita & in Florentinis membranis legi primus adnotavit Elmenhorſtius. Inde faciebam olim, nec nunc demuto factũ: ***Ego nunquam alias hordeo cibatus, cum minutatum & diutina coquitatione jurulentum ſemper eſerim.*** Dixit hordeum ſibi aſino & equo recens affatim appoſitum, cujus hordei uſu recentis & integri ſe nunquam alias aſſueviſſe prædicat, cum non niſi minutatum ac diutina coctura ac bullitione jurulentum eſitaret, quamdiu domo fuit. Ideo nec mirum, ſi vel ex homine aſinus factus inſolentem hunc cibum hordei recentis ac ſolidi aſpernaretur, quod erat uſitatum equorum ac Germanorum aſinorum tunc, qualis ille Lucius non fuit, etſi videretur: qui humanos appetitus retinebat, & ad ea edulia pronus ferebatur, quæ ſolitus erat in humana cute libenter antea veſci. Per ***hordeum minutatum***

Digitized by Google

tum ac diutina coquitatione jurulentum palam eſt ptiſanam deſignari, cujus uſus apud veteres frequens. Diutina porro coquitatione jurulentum reddi eſſe in cremorem redigi non tibi pluribus probandum. Minutatum πτισάνης ... denotat; unde illud Tertulliani in Apologetico viris doctis non bene lectum nec intellectum ſub finem. Sic enim libri legunt: *Anaxarchus cum in exitum ptiſanæ, pilo contunderetur, Tunde, Tunde,* inquit, *Anaxarchi follem.* πτίσσε, πτίσσε τ̃ Ἀναξάρχȣ θύλακον. *In exitum ptiſanæ*, quia ſic hordeum tunditur, ac minutatur, ut exeat ptiſana, aut ptiſanæ conficiendæ paretur. Hoc hordeum, quod quadrupedibus pro cibo datur, revocat mihi in memoriam & alterum locum ejuſdem Apuleii in fine Lib. III. Metam. Qui *fœna* æque male exhibet aſino noſtro, ut heic equo ſimul & aſino hordeum minutatum & coctum, hoc eſt, ptiſanam, præbuit: *Tunc igitur à roſis quidem neceſſario temperavi, & caſum præſentem tolerans in aſini faciem fœna rodebam.* Saltem dixiſſet *fœnum.* Cur enim *fœna?* ſed & hæc falſa manifeſto lectio. Unde enim fœnum quod roderet in via? In hortulo tum ſe fuiſſe dicit, ubi roſas pæne vorarit, niſi ſe cohibuiſſet, ob eam, quam allegat, rationem. In ſtabulo tantum fœnum rodere potuit. Atqui tum in via, ut dixi, & in hortulo ubi roſæ, ubi nihil fœni. Fac herbam viridem fuiſſe. Herba viridis non eſt fœnum. Sed nec diverſorium ſuum appulerant Latrones, necdum quieti ſe dederant, nec aſinum ſuum ſolverant, nec ei fœnum appoſuerant. Etiamſi ſolutus tum fuiſſet, non tamen fœnum roſiſſet. Nam mox ait inſolitum ſe fœnum prandere, initio libri ſequentis, quo ex loco maxime arguitur non heic fœna roſiſſe noſtrum Lucium. Quid ergo? ſane legerim, *Et caſum præſentem tolerans fræna rodebam.* Vel etiam, *mordebam.* Cum à roſis neceſſario temperaſſet, ut verum ſimularet aſinum frena ſua ſe roſiſſe dicit. Apparet frenatos & capiſtratos tum fuiſſe, in via quippe. Tui judicii hanc conjecturam facio. Mille tales aut etiam meliores ad eum Scriptorem habeo, nec tantum in Metamorphoſi, ſed etiam in Philoſophicis. De quibus alias. Nunc rogo te ut meos ad Smithum noſtrum cures. Vale & me ama. Raptim, Leydæ III Julii, CIƆ IƆCXXXV.

EPI-

aſſeuré par les ſiennes, que vous eſtiez tout à fait hors de danger, & en reſolution de vous retirer loing du lieu où ce mal contagieux regne à preſent ſi puiſſament. Ce qui pourra retarder mon retour en vos quartiers, ne pouvant me reſoudre, lors que le temps que j'ay pris ſera expiré, à reprendre le chemin de Hollande, que je ne ſois adverti de l'entiere ceſſation de la contagion. Ce que je prevois ne devoir eſtre ſi toſt, de la façon que je voy l'air y eſtre corrompu & infecté. Ie ne ſuis au reſte en ceſte Ville que depuis trois ou quatre jours, & ne fay pas eſtat d'y faire plus long ſejour que dix ou douze jours au plus, pour y voir mes amis, & puis aller en Bourgogne, ou je demeureray auſſi le moins que je pourray, afin de taſcher de retourner devant le mauvais temps, ſi tant eſt que le mal diminue en voſtre ville. Je n'ay peu encore bailler voſtre Coſmographie Syriaque au Sieur Gabriel Syonita, lequel n'eſt pas en la ville, mais en une maiſon des champs qui appartient à Monſr. Hotman de S. Marc, où il demeure depuis les Vacances du Parlement avec ledit Sr. Conſeillier, où eſt auſſi Monſr. le Iay, & toute ſa famille. Sa Bible n'eſt arreſtée qu'à cauſe de la verſion Arabique, apres la quelle travaille le Sieur Gabriel. Si toſt qu'il ſera de retour des champs, je luy mettray en main le dit livre, apres en avoir tiré une caution ſuffiſante pour la reſtitution, ſoit du Sr. Vitray, ſoit de quelque autre, qu'il voudra me nommer. Vous pouvez vous aſſeurer que j'en feray comme de mon affaire propre. Repoſez vous en tout à fait ſur moy. Ie vous envoye une lettre que vous eſcrit Monſr. de Peyreſc. Il me mande qu'il eſt bien marri que deux lettres que Monſr. voſtre frere luy avoit addreſſées, l'une pour vous faire tenir & l'autre pour un ſien oncle demeurant à Anvers, ont eſté eſgarées dans le deſordere & la confuſion qui ſe fait lors qu'on les jette peſle meſle dans le vinaigre, en preſence des Marchands intereſſez, & des intendants de la ſanté, à cauſe de lieux peſtiferez, d'où elles viennent. Il me mande qu'il en a adverti, en luy envoyant vos dernieres lettres, que je luy avois fait tenir, afin qu'il ſupplée par la prochaine commodité & qu'il reitere ce qu'il pouvoit vous avoir eſcrit par celles qui ont eſté perdues. Ie crois qu'il vous eſcrit ceſte hiſtoire tout au long, & le ſoing qu'il a pris

Digitized by Google

doit eſtre bien toſt ici, à ce que l'on dit. D'autres neantmoins aſſeurent qu'il demeurera juſques à ce qu'il ſe face quelque criſe. Ie vous en manderois d'avantage, & de plus particulieres, ſi j'eſtois certain que la preſente deuſt vous eſtre bien toſt renduë. Mais tout ce que je vous pourrois mander de nouvelles, ſera vieux devant qu'il arrive à vous. Je vous remercie au reſte de tant de bien veuillance qu'il vous plaiſt de me teſmoigner, & m'en revengeray par touts les moyens à moy poſſibles, & à toutes les occaſions qui s'en preſenteront. Cependant je vous prie de croire que je veux demeurer eternellement

MONSIEUR,

A Paris, ce 13. Oct. 1635.

Voſtre tres-humble & tres-affectionné ſerviteur

SAUMAISE.

EPISTOLA LXXXIII.

A MONSIEUR DE PEYRESC,

Conſeiller du Roy en ſon Parlement

A Aix.

IE *vous ay faict tenir un livre intitulé* Faſti Danici, *imprimé en Dannemarck, que vous ſerez bien aiſe de voir. Vous y verrez avec plaiſir la façon de compter le Calendrier de ces peuples Septentrionaux qui n'a point encore eſté ſi bien dechiffrée que par cet Autheur. Il y a tant de choſes en vos trois lettres auxquelles je doibs reſponſe, que je ne ſçay par où commencer. I'attends touſiours avec grande impatience voſtre Grammaire Cophtique, avec le Lexicon. Ce peu que vous m'en avez fait voir, m'a encore excité l'ardeur au double, pour y avoir recognu que les obſervations que j'avois faictes ſur l'analogie de tout plein de poincts de la Grammaire ſe ſont trouvées vrayes. Ie*

voudrois que vous viſſiez ce que j'ay marqué il y a trois ans; vous ne me voudriez point de mal, pour l'avoir ſi bien rencontré avec ſi peu d'aide & de lumiere que j'avois pour lors. I'ay admiré dans les lettres du Pere Ieſuite, les belles promeſſes qu'il nous faict. Ie ſuis des moins jaloux. I'ay pourtant quelque petit remors que la gloire, à laquelle je pretendois, de decouvrir le premier & mettre au jour une lãgue ſi noble & ſi anciẽne & incognuë depuis un ſi long temps, me ſoit ravie ſi hautement que de premier abbord l'on nous fourniſſe une Moiſſon toute entiere, ſans aucune reſerve d'y trouver ſeulemẽt de quoy glaner. Cela me met au deſeſpoir. Ie ne lairrois pas pourtant de contribuer de tout mon poſſible à faire imprimer en Hollande ce bel & grand ouvrage, ſi tant eſt que l'edition ne s'en peut faire à Rome, & j'avois deſſein ſi j'y fuſſe demeuré cet hyver, de faire fondre à Leyden des Characteres Cophtiques par un homme qui m'a eſté monſtré par le Sieur Golius qui les ſçaura faire tres elegamment & nettement. Quant à l'origine du mot & appellation des Cophtes, j'ay veu dernierement dans un livre de Geographie Arabe d'un Autheur nommé Jacuthi, la confirmation de mon opinion, que je vous ay declarée autrefois, qu'il venoit du nom de la Ville Κοπτώ, qui eſtoit un tres celebre & renommé emporiũ en la partie de l'Ægypte ſuperieure, & non du mot Αἴγυπτος. Ie ne doute point au reſte, que l'autre opinion que j'ay, ne ſe trouve pareillement vraye, que le vulgaire Ætiopien n'approche du Cophte, s'il n'eſt le meſme; a quoy nous apportera un grand eſclairciſſement voſtre Grammaire Æthiopienne, puis qu'elle contient auſſi d'autres dialectes ſemblables ou approchantes. Ie me reſjouis de la travaille que vous avez faicte de l'Ebenbitar complet. Peut eſtre qu'il ſera plus entier que l'exemplaire de Golius, avec lequel eſt relié le Malahyla, qui eſt un Autheur Perſan, qui a fait l'Epitome du meſme Ebenbitar, auquel il a adjouſté en beaucoup d'endroits l'expoſition des mots Perſans, comme la plus part des noms des Simples chez les Arabes ſont d'origine Perſienne; ce qu'on peut hardiment aſſeurer, ſi toſt qu'on les void paſſer quatre ou cinq ſyllabes: dans celuy de Golius j'ay trouvé le Dioſcoride entier, que j'avois autrefois collationé avec un M.S. de la Bibliotheque du Roy,

Digitized by Google

Roy, eſcrit en lettres Capitales & fort ancien, les varietes du quel ſont toutes confirmées par la verſion Arabique. Nous laiſſerons l'Arabie pour revenir à Rome, & parler de noſtre Milice Romaine. *C'eſt un deſſein où j'ay eſté porté par le commandement du* PRINCE d'ORANGE, *lors que j'y penſois le moins, ſur lequel toutefois j'avois de long temps de fort belles remarques, qui renverſent preſque tout ce qui en a eſté dit par ceux qui en ont eſcrit juſques icy, tant François & Italiens, que du peuple Latin, c'eſt à dire de Nos Critiques. Tout ce que j'en eſcriray tant pour la Caſtrametat.on que pour la maniere de ranger en bataille, & de touts les ordres, offices, & façon de la guerre, diviſion de Legion, ſont autant de paradoxes, leſquels le prouveray pourtant ſi fortement qu'ils ne le feront plus apres mon eſcrit veu. Pour ce qui eſt de la* Haſta *& des troupes des* Haſtati, *que je poſe avoir eſté abſolument abolis ſous les Empereurs, depuis les guerres Civiles de Cæſar & Pompée, la preuve m'en eſt ſi facile qu'il n'eſt rien de plus certain. Ces Inſcriptions que vous oppoſes au contraire ne la renverſent point, mais il les faut entendre de la façon que je le monſtreray. Il y avoit un Corps de* Haſtati *dans la premiere Milice, telle que Polybe la deſcrit, c'eſtoient les plus jeunes de la Legion apres les* Velites. *Ce corps de* Haſtati *en chaque Legion eſtoit diviſé en dix Compagnies, chacune deſquelles eſtoit commandee par un Capitaine nommé* Centurio, *& ſe nommoit chacun d'eux ſelon l'ordre des Compagnies;* Primus Haſtatus, ſecundus Haſtatus, *juſques au* Decimus; *qui commandoit à la dixieſme Compagnie des* Haſtati. *De meſme de* Principes, *& des* Triarii, *leſquels, parce qu'ils s'appelloient auſſi* Pilani, *le premier Capitaine des dix de ce corps eſtoit appelle* Primus Pilus, *ou en un mot* Primipilus. *Je le trouve encore nommé dans une ancienne Inſcription* Prior Triarius *comme* Prior Princeps, *dans Cæſar, le* Primus Princeps, *c'eſt à dire le premier Centurion ou Capitaine du Corp des* Principes. *Voici donc le ſecret qui n'a encores eſté decouvert par perſonne. Lors que la Legion eſtoit diviſee en ces trois Corps ou Regiments de* Haſtati, Principes, *&* Triarii, *ils obſervoient ce meſme ordre, en faiſant les ordres de leur batailles. Les* Haſtati

introduitte de la Legion en x *cohortes, la premiere cohorte, comme eſtant la plus honorable, eſtoit remplie de plus vieux ſoldats, juſques là que des* cccccc Triarii, *qui ne paſſoient pas ce nombre en la primiere diviſion de la Legion, on en compoſa puis apres la premiere cohorte, qui eſtoit de pareil nombre & au lieu qu'anciennement les* Triarii *ne combattoient que les derniers, par la nouvelle inſtitution ils ſe trouvoient les premiers en rang de battaille. Car ils commançoient à ranger leur batailles par la premiere cohorte qu'ils mettoient à la pointe du bataillon. Cette premiere cohorte avoit l'aigle de la Legion à laquelle commandoit le* Primipilus, *qui eſtoit autrefois le premier Centurion des* Triarii. *Or comme apres le* Primipilus *le plus digne Centurion de la Legion, eſtoit le* Primus Princeps, *& apres luy le* Primus Haſtatus; *ces trois premiers Centurions ont eſte mis en la premiere cohorte, qui avoit encores trois autres Centurions les trois premiers, d'apres qui eſtoient le* Secundus Pilus Princeps *&* Haſtatus: *ce ſont ces* primi Ordinis Centuriones *que nomme Tacite, qui les met au nombre de ſix, qui eſtoient les ſix premiers Centurions de la premiere cohorte. Or bien ſouvẽt dans les Autheurs vous trouvez que le premier* Haſtatus *eſt nomme abſolument* Haſtatus; *I'en ay remarque pluſieurs endroits qui ne laiſſent point de doubtes apres eux. C'eſt donc en ce ſens qu'il faut entendre* Haſtatus Legionis *dans les Inſcriptions poſeés & dedies ſous l'empire des Cæſars, qui ne veut dire autra choſe que le troiſieme Centurion de la Legion, c'eſt à dire le* Primus Haſtatus. *De tout ce que deſſus j'en ay tant de preuves concluãtes, que j'en doubte moins que du jour quãd il eſt en ſon midy. Pour ce qui eſt de* Haſta pura *qui eſtoit entre les recompenſes pour les ſoldats qui avoiẽt bien fait, elle ne fait rien à croire que ſous les Empereurs cette arme fuſt en uſage dans la Legion Romaine. C'eſtoit un bois que la* Haſta *ſans fer qui ne ſervoit que d'ornemẽt & de parade en la maiſon du ſoldat qui l'avoit meritée; comme le* vexillum, *qui ſe donnoient pareillement aux plus vaillants, qui le pendoient en leurs maiſons pour preuve & teſmoignage de leur vaillance. La* Haſta pura *n'eſtoit point en uſage dans le Combat. Si vous y mettiez le fer, vous perdez la marque de la recompenſe d'honneur, en la rendant pro-*

pre de ſ'en ſervir a la guerre. Autrement ſ'ils euſſent voulu les remunerer d'une Haſta *commune, & qui euſt deu ſervir & n'avoir point de differance d'avec les vulgaires, ils n'avoient qu'à les donner toutes ferrees, elles en euſſent eſté & plus cheres, & plus utiles. Car un bois ſans fer eſt de moindre pris qu'un qui a ſon fer. Mais toutes ces recompenſes militaires n'eſtoient que marques d'honneur, & ne regardoient ni le profit ni l'uſage: teſmoins les courõnes de Cheſue, de gramen, d'olivier, & autres bagatelles. La* Haſta pura *eſtoit de ce nombre. Quant à la* Haſta *avec ſon fer, il eſt vray que les* Haſtati *& les* Principes *en la premiere milice en eſtoient armées, & Polybe les appelle* ὑσσοὺς*; que tous nos Critiques ont eu tort de tourner* Pila *: car ce ſont* Haſtæ *Les ſeuls* Triarii *portoient les* Pila *que Polybe appelle en ſa langue* δόρατα. *Nos gens ſe trompent lourdement, qui les interpretent* Haſtæ. *Et quelles gens? Lipſe, Caſaubon, touts les François, tous les Italiens. Il faudroit, ſi l'arme peculiere de* Triarii *euſt eſté* l'haſta, *qu'eux euſſent eſté appellés proprement* Haſtati *: où au Contraire tous les Autheurs nous appreuvent qu'ils eſtoient nommés* Pilani, *à cauſe des Piles dont ils uſoient en guerre: & les* Haſtati, *&* Principes, *parce qu'il, combattoient avant les* Pilani *ou* Triarii, *eſtoient appellés* Ante-Pilani *; ſoubs lequel nom ils comprenoient & l'avangarde & la bataille. Depuis que l'ordre a eſté changé, & que ceux qui combatoient anciennement les derniers, ont pris la place de premiers, on a oſté les* Haſtas *aux Legionaires Romaines, & les a t'on tous reduits à une ſorte d'armes, qui eſtoit un* Pilum *; & ce avec toutes ſortes de raiſon. Le* Pilum *eſtoit une arme plus forte & plus robuſte que la* Haſta, *laquelle n'eſtoit bonne qu'à eſtre lancée & jettée de la main. Le* Pilum *outre qu'il ſe dardoit, auſſi pouvoit encore ſervir d'arme de main. C'eſt pourquoy ceux qui les portoient eſtoient gardés pour un dernier renfort quand tout le reſte eſtoit defait & rompu. Dans les nouveaux Ordres ou les* Pilani *combattoient les premiers, quelle apparence il avoit y de garder les* Haſtati *pour la bonne bouche, qui eſtoient armés plus à la legere? Où les* Pilani *n'euſſent peu rien faire, quelle eſperance pouvoit on avoir de l'armure des* Haſtati*? Car il a tousjours eſte obſerué dans la guerre*

par

Digitized by Google

par toutes les Nations, que les plus legerement armes commançaſſent la meſlée, & attaquaſſent l'eſcarmouche, & tinſſent les premiers rangs de la bataille, & non au contraire. J'ay trois ou quatre paſſages de Tacite, par les quelles il appert que le Pilum *de ſon temps eſtoit l'arme propre du ſoldat Legionaire, & l'*Haſta *du ſoldat auxiliaire qui eſtoit plus legere. Tout au rebours du temps de la Republique les deux tiers, voire les trois quarts de la Legion eſtoient armes d'*Haſta, *& les ſeuls* Triarii *qui n'eſtoient jamais plus en nombre dans chaque Legion que de* CCCCCC *portoient le* Pilum. *C'eſt une* Haſta *qui eſt en la main du Dieu Mars dans les vieilles medailles, qui a le fer contrebas fait en triangle, où le fer des* Pila *eſtoit comme vous le voyes dans la Colomne de Traian, ce que j'ay monſtré par une infinite de teſmoignages des Anciens qui ne peuvent eſtre contredits. C'eſt ce que je vous puis eſcrire à preſent. Cependant je ſuis & demeureray à jamais,*

MONSIEUR,

A Paris ce 15. Octobre 1635.

Voſtre tres-humble & tres-affectionné Serviteur

SAUMAISE.

EPISTOLA LXXXIV.

IACOBO GOLIO.

Leydam.

Clariſſime ac præſtantiſſime Vir,

EX quo à vobis digreſſus ſum, ne vivam, ſi ulla majore me perfuſum voluptate meminerim quam nuper, cum tuæ mihi redditæ fuerunt. Quantæ enim putas lætitiæ mihi argumentum fuiſſe, quod ex illis intellexi, quem unicum inter paucos verè amicum ſum expertus, vivere & valere, in tanta præſertim quam apud vos graſſari audiebam aëris peſtiferi luë. Falleris ſi credis quicquam mihi optatius aut gratius hoc nuntio contingere potuiſſe. Ad me quod attinet, etiamnunc optima

eum deleri ex tuo illo ingenuo velim. Injuriam quippe optimo viro puto fieri, quum timidè beneficia quæ tam cupidè offert & cupidius confert, accipiuntur. Obligatur quum obligat. Nihil umquam tale vidi. De tuo fratre ſcribebat nuper magnos eum progreſſus in linguis Orientalibus facere, atq; ei ſe miſiſſe Lexicon illud Mediolanenſe, de quo fama ingens eò perlata fuerat. Vix concipi poteſt quotve quibuſve modis me demereri quotidie pergat. In eo nunc eſt ut captivum in mei gratiam redimat à piratis, cujus eripiendi haud exiguam ſpem ſibi adlucere in poſterioribus ad me ſcribebat. Quem captivum dices? Pſalterium Manuſcriptum ἑπτάγλωττον, Lingua Hebraïca, Syriaca, Græca, Coptica, Æthiopica, Perſica, & Armeniaca. Expecto jam ab eodem Hiſtoriam animalium Arabicam abſolutiſſimam, per Alphabeti ſeriem conſcriptam, quam prima occaſione ſe miſſurum promiſit. Scripſerat etiam mihi ante alterum menſem recuperata ſibi triginta volumina Eben Chalidon quæ de omnibus Scientiarum generibus tractant. Sed cum tot jacturis hactenus vexatus fuerit, refrigeratam ſuam cupiditatem de illo emendo, nec aliter empturum fore niſi ipſi calcar adderem, & faces quodammodo ſubjicerem, quibus ardor ejus, non extinctus quidem ille, ſed ſopitus, excitaretur. Si quid de illo Auctore ſcis, aut quanti ſint pretii de quibus agit, mihi reſcribas rogo, ut poſſim Peireſcium noſtrum, ſi tanti videatur ille Scriptor, ad eum comparandum incitare. Autographum de Muſica Arabicum brevi nos habituros pollicitus eſt. Interim Apographum tibi mitto, in incertos viæ caſus, cujus eo minor jactura ſi intercidat futura eſt, quod ipſius Originalis, ut vocant, exemplaris copiam ſumus habituri. Ad Inſtrumentalem Muſicam, quantum potui colligere aut intelligere, factus videtur ille liber, & de Tonis & chordarum modulationibus variis tractat: vocabula ipſa artis, quæ τεχνικὰ Græci vocant, Perſica ferè ſunt, niſi fallor. Tu melius judicabis. Indicavit porro idem Peireſcius ὁ πάνυ hominem mihi, qui Lutetiæ Pariſiorum moratur, qui tria aut quatuor Vocabularia Perſico-Arabica, aut Perſico-Turcica penes ſe habet integerrima & pleniſſima. Sed

eum hominem non potui inviſere, quia redditæ ejus mihi literæ ſunt eo ipſo die quo Pariſiis diſceſſi, iter huc facturus. Accepi ſimul ab eo literas commendaticias ad Dominum *de Loches*, qui Capucinorum Prior eſt, apud fanum Sancti Romorantini, haud longe ab Aureliis ſitum, quibus eum pro jure amicitiæ rogat, ut omnia mihi ſua in linguis Orientalibus, quarum callentiſſimus eſt, adyta aperiat & impertiatur. Ille ipſe eſt, cujus literarum apographum apud me vidiſti à Peireſcio miſſum, in quibus ſe peritum Linguæ Perſicæ, Æthiopicæ, Turcicæ & Arabicæ prædicabat. Neque id ſane immeritò, uti à plurimis Lutetiæ didici, qui ipſum probe norunt. Inviſere eum decrevi priuſquam ad vos redeam, ſi tamen mihi hæc tantula moræ libertas per Curatores concedatur. Quod ad libros illos Arabicos ſpectat, qui venales proſtant, negat qui eos habet in poteſtate minori pretio traditurum quam mille Florenorum. Sanctiſſime jurat pro bis mille Florenis ſibi imputatos ab illo ingenioſo Medico, cujus negotia actoris nomine tractavit. Hanc ſibi mercedem pro opera ab eo tributam, quam duorum Florenorum millibus æſtimavit. Optionem præterea ſibi factam utrum ejus æſtimationis tapetes Perſicos accipere mallet, an hos libros: libros vero maluiſſe, quia tapetes nimis cari ſibi viſi eſſent, nec hujus valoris quo dominus ſuus eos taxaret. In libris æque ſibi fucum obductum. Hominem familiariter novi, nec mentiri ipſum puto. Fuit olim amanuenſis Rigaltii noſtri. Nemini niſi mihi oſtendere Libros illos antea voluit. Si quis empturiret, non aliter niſi opertos ac tectos ſe venditurum ajebat. Ante aliquot dies Puteanus ejus nomine ad me ſcripſit, ſi libri mihi placerent eo pretio quod indicaverat, auferrem, ſi non placerent, ipſi ſignificarem quam primum, quia alii emptores inſtarent. Gaulminum Puteanus eſſe, qui emptionem eorum librorum ambiret, me certiorem fecit. Ditiſſimus eſt & cupidiſſimus, addo & ſcientiſſimus illarum linguarum. Non difficulter itaque crediderim, pretii rationem neglecturum, modo cupiditati faciat ſatis. Ut vetus ille amicus meus eſt, non deſpero, ſi emat, fore ut uſum impetremus ab eo quorum-

quorumcunque voluerimus exemplarium. Ubi reſcivero emiſſe, non mihi deero. Interea ſi quid eſt aliud in quo poſſim tibi gratificari, niſi pro tuo jure imperaveris non pro amico feceris. Scis enim & ſcire debes ad omnia ſemper officia paratiſſimum & obſequentiſſimum tibi fore

CL. SALMASIUM.

Divione, Idibus Februariis, clↃ.IↃ cxxxvi.

EPISTOLA LXXXV.

JOH. FRED. GRONOVIO.

EUge, bene lætæ eritis res, quandoquidem à meo Gronovio literas accepi, eo præſertim tempore quo minime eas exſpectabam : quo nomine mihi gratiores fuiſſe fatear oportet. In tanta intercapedine locorum, quæ nos invicem diſpeſcit, poſt tantum temporis, quo inter nos neque per literas neque alio quocunque modo licuit officium reciprocare, quo alter alterum appellaret, non poterat quicquam mihi optatius accidere. Quo ſapidiores etiam eſſent, eas condire voluiſti interioris tuæ literaturæ tinctura, in qua parem ubique, ut in cæteris tuis, εὐστοχίαν monſtras. Probæ enim ſunt, quis enim aliter cenſeat conjecturæ omnes illæ tuæ in Silium, quarum me participem feciſti. Impenſe mihi adriſit illa de *uventis* vocabulo aliquot locis reſtituto, quod in multis primæ claſſis Auctoribus olim memini bona Dea Critica favente reponere. Nec illum Petronii omiſeram; de *uventibus oculis* pro *niventibus*. Quo nihil certius. Latinitatem noſtrorum hominum tum reprehendebam, qui neſcierunt diſtinguere inter humidum & uvidum. Sic *uvidum* hiberna de glande redire ſuum Menalcam dixit Poëta : Sic Lyricus *uvida veſtimenta* ſe potenti maris Deo appendiſſe aſſerit. *Uvidi* & *uviduli* oculi ſunt lacrymis madidi, non *humidi* aut *humiduli*. Notavi plura au-

auctorum loca, quibus hic error obrepſit. Sed libris nunc deficior; ut ea propalam faciam. Silii verſus, in quibus opem meam imploras, mihi pro deploratis. Nunc certe iis non ſuccurro, libris omnibus deſtitutus, qui adjutorio ad aliquid reperiendum eſſe poſſent. In primo tamen ex lib. III. legendum fortaſſe foret:

Nec bellum raptis in Trojam mille carinis.

literæ non abludunt, ſi tranſponantur ex *Tam dirum*. *In Trojam* pro adverſus Trojam, ut in illo Ovidiano:

Jupiter in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo.

In altero de *Pirene* nihil prorſus video. Sub illo *Serpentem* latere exiſtimem nomen infantis, quem Pirene edidit. Hoc quærendum in fabulis. Nihil memoria ſuggerit, & libri ad manum nulli. Nec enim puto ſic illam exhorruiſſe patrias iras ut ſerpentem. Ut in illo, *cane pejus & angue vitare*. Sed hæc hactenus. Quod editionem attinet tuorum Miſcellaneorum, doleo publicum tam diu hoc bono carere, lucripetarum hominum vitio. Si litteræ tuæ me adhuc Lutetiæ hærentem deprehendiſſent, rem factam nunc haberes. Spero enim effecturum, ut meus typographus hoc in ſe recipiat. Nec unum habeo tantum, qui mihi ſit obnoxius. Si alter refutabit, tertius non inficiabitur. Sed huic rei non poſſum antea vacare, quam Lutetiam rediero. Quod poſt menſem unum aut alterum ſpero futurum. Interim vale ac me amare perge. Divione, idibus Februariis. CIƆ. IƆ. CXXXVI.

EPISTOLA LXXXVI.

IOH. FRED. GRONOVIO.

ADventum meum, Doctiſſime Gronovi, tibi volenti ac læto accidiſſe non miror: gaudeo magis. Ne mirari debeam, amore, quo me, ex quo ſum tibi cognitus, proſecutus es, effeciſti. Nec vero ſine ratione ea lætitia elatus ſum.

ſum. Quid enim mihi optandum magis evenire queat, quam me ab amicis abſentem deſiderari, præſentem diligi? idque eo mihi gratius, quod à paucioribus præſtatur. Scis enim raritate res omnes commendari expetibiles. Volupe igitur mihi eſt in tanto aliorum numero, qui me ubivis eſſe quam ubi nunc ſum mallent, eſſe aliquos ſaltem, qui me hic non illibenter nec inviti videant. Te unum ex illis eſſe non magna mole tibi laborandum, ut mihi perſuadeas. Primum quia te novi, atque ut noſſem qualis erga me eſſes, multis argumentis ab his aliquot annis, ex quo inter nos invicem utriuſque noſtrûm notitia intervenit, oſtendiſti. Deinde quia ſcio te ſcire me ſemper ab eo tempore tuis ſtudiis impenſe faviſſe. Quæ res ſi minus ex voto mihi hactenus ceſſit, effectûs, ut ita dicam, defectum bona voluntas ſuppleverit. Omnia feci, ut curæ tuæ in Gallia poſſent edi. Sed ea tempora inciderunt, quæ typographos noſtros Pariſienſes ab omni cogitatione tali averſos alia coëgerunt curare & cogitare, quam de libris publicandis, quæ merx inter arma ut paucos invenit emptores, ita pauciores habet qui hujuſmodi mercis velint eſſe propolæ. Ea re diſtuleram ad tuas poſteriores, quas in Burgundia accepi, reſponſum, quod ſperabam me tibi hoc negotium, ubi Lutetiam veniſſem, ex ſententia confecturum. Sed aliter cecidit. Nam typographus meus mihi obnoxius multiſque nominibus obligatus opus meum de Militia Romana vernaculo ſermone ſcriptum, ſuſcipere ſe poſſe edendum hoc certe tempore negavit. Habebam tum & in manibus amici intimi Obſervationes ſacras omni eruditione conditas, mihique ad hoc commendatas, ut excudendas per typographum Pariſienſem curarem. Sed idem ab omnibus, quibus eas committere volui, reſponſum tuli. *Gallica terribili tremit horrida terra tumultu.* Coactus itaque ſum eas mecum huc adferre, ſi forte faventes typographos nanciſci potuero, ubi nunc omnia ſunt quietiora. Hæc volui te ſcire ut eadem opera non ignorares, quam fruſtra hic tibi metus inſederit, quaſi tu mihi excidiſſes. Quod ut à moribus meis longe abeſt, æque à tua ſuſpicione abeſſe debet. Te in eo eſſe, ut

Statii Sylvas illuſtriores reddas, lætus etiam accepi, & fateor operam à te in illis ſublucandis collocari poſſe & utilem & bonam. Poſt aliorum meſſes, non ſpicæ tantum legendæ aliquæ reſtant, ſed etiam quæ in corbem mittantur, multa ſupereſſe reipſa probabis. In aliis quæ tuo Marte expiſcari parabis, non irritus operæ fortaſſe diſcedis. Immo certus ſum pleraque ex voto tibi ſucceſſura. Quæ à me petis, vereor ne in his fruſtra ſis. Si quid olim in me εὐστοχίας fuit, ecquid ſcis illud omne jam ætate decoxiſſe? Non ſum qui fueram. Aliquid ſinguli anni carpunt non ſolum ex corporis bonis, ſed etiam ex animi. Dices non me id ætatis eſſe, ut hac excuſatione uti poſſim. Sed noſti ut multi ſunt, qui vigore annos anticipent, ita eſſe non paucos qui deſerant. In Epicedio Pileti aquam tibi in iſtis hærere fateris:

----------- Vitæ modo carmen adultæ
Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis, &c.

Merito ſane quid illa ſibi velint, quæris, *Vitæ carmen adultæ*, parva mutatione lego: *Vitæ crimen adultæ*. Sic & totus locus aliter quam vulgo interpungendus:

----------- Sed gnara dolorum
Invidia infelix animi vitalia vidit
Lædendique vias, vitæ modo crimen adultæ.
Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida luſtris:
Attendit torvo triſtis Rhamnuſia vultu.

Poëtæ ſolent, ſed & aliquando Hiſtorici acerba funera plerumque Invidiæ ipſi, quam θεὸν σωματοποιοῦνται, & invido alicui numini tribuere, quod præſtantiſſima quæque in terris nolit diurnare. Apud illam divinitatem crimen eſt vel pro crimine habetur in adulto corpore virtutis magna ſpes exoriens & ſeſe exercens. Ideo ſtatim eam in medio curſu demetere ſatagit, priuſquam ad frugem & maturitatem perveniat. Nullum aliud itaque crimen in Pileto fuiſſe vult propter quod inviſus Diis eſſe potuerit, ut propterea ab his è numero vivorum exſcindi

Digitized by Google

ſcindi debuerit, præter vitam adultam, cujus merito Invidiæ ipſi, hoc eſt, Nemeſi, quam eandem cum Invidia faciunt, cœpit eſſe inviſus. Sequentia ſane non dubitabis ita eſſe commutanda. *Nectere* ille parabat, ſive *tentabat*, *cum tribus Eleis luſtris*, hoc eſt, tribus Olympiadibus, *unam trieterida*, qui decimus nonus annus eſt, flos ipſe ætatis in illis præcipue qui forma commendantur, ut hunc Piletum commendat Statius. Nihil in præſentia ſuccurrit, quo mederi huic loco per te deſperato poſſim. Sequitur alter de quo meam pariter ſententiam exquiris, qui mihi videtur longe portentoſius deformatus ex Lacrymis Etruſci, quem, ne te teneam aut pluribus circumagam, ſic emendandum puto:

-------- Hibernos citius numeraveris imbres
Silvarumque comas, vel aquas quot in amne ſequaces
Exitus evolvit.

Scis *exitus amnium* dici oſtia eorum, quibus in mare ſe exonerant. *Evolvi* etiam in mare dicuntur, cum in mare exeunt per illa oſtia. Memini ita locutum politum ſcriptorem Curtium. Sed nunc locus ad manum non eſt. *Aquas ſequaces in amne* eleganter appellat, quia unda ſequitur undam. Poſſet tamen etiam legi, *fugaces*. Lympham *fugere* dixit Horatius. Meminiſtin' te in quibuſdam tuis, quas in Gallia accepi, quærere ex me ſuper illo verſu Silii de Pirene:

----------- Edidit alvo
Namque ut ſerpentem Patrias exhorruit iras.

Cum reſcripſi, nihil habebam quod dicerem. Vix epiſtola manu exierat, ſubiit mentem ſuſpicio *ſerpentem* iſtic haberi, vel ex errore Auctoris ipſius, vel ſi ille purgatus, ſcioli ſaltem lectoris alicujus. Pirene peperit ex Neptuno Κεγχρείαν nomine. Κεγχρίνης autem vel Κεγχρίνης, vel κεγχρίτης, nam tribus his modis dicitur ſerpentis genus eſt, ſparſi maculis, ad inſtar milii granorum. Cum itaque ſcripſiſſet Poëta, ſiquidem ita ſcripſit: *Edidit alvo, Namque ut Cenchrean*, quidam qui ſciebat Κεγχρίνην eſſe *ſerpentem*, ita ad oram notaverat, quod poſtea in contextum irrepſit. Atque hæc obiter & raptim. Ad epi-

Epiſtolas Caſauboni τοῦ μακαρίτου quod attinet, tibi edendas commendatas eſſe à Riveto ſane lætor, & magis quod etiam nunc edi ſignificas. Nulla mihi earum apographa præter unum quod ad te mitto tibique commendo. Auctor, ad quem ſcripta eſt, Conſiliarius eſt Regius in Senatu Divionenſi, & mihi amicus, qui intereſſe ſuæ famæ putat poſteris innoteſcere ſe notum fuiſſe tanto viro. Vale & me ama. Leydæ A.D. prid. Non. Feb. CIↃ IↃ C XXXVII.

EPISTOLA LXXXVII.

JOH. FRED. GRONOVIO.

Recte atque ordine ajo te feciſſe, Doctiſſime Gronovi, qui cum videres me ad conſtitutum non veniſſe, librum eum miſeris, cujus maxime cupiens eram. Idem mihi nunc faciendum intelligo de illo, quem à me petiiſti, præſertim cum adhuc neſciam, an tota hac ſeptimana poſſim Hagam excurrere. Cypriani codex non ea omnia continet quæ ſperabam, & non nimium bonæ notæ eſt. Videbo tamen ex collatione aliquot locorum, an mihi uſui eſſe poſſit, & ſtatim eum ad te remittam, ne in quæſtione ſit domino, quem eum repoſcere dicis. Honores, quos mihi gratularis, eo mihi nomine maxime grati fuere, quod non petenti nec ambienti oblati ſunt. Quos ſic nihilominus æque poſſum contemnere, ut nunquam eos appetii. Quod vereor ut illis poſſim probare, qui facile ſibi perſuadebunt, eo fine eos mihi expetiſſe. Sed opinentur illi quod voluerint, conſcientia mea optima teſte nixus, quicquid dicturi ſunt, ad me pertinere non putabo. Certum autem mihi eſt ac ſemper fuit illis vitiis nihil aliud quam diſſimiles opponere mores. Sufferti ſufflatique quantum volent, emendicatis laudibus ambulent, dum ego vix ferre queo non dico meritas, quid enim mereor? ſed ne modicas quidem & à benevolentibus ultro tributas. Tu vero etiam, quod

quod jam dicere liceat, in his etiam immodicus es, nec modio aut trimodio, ſed plane horreo toto eas in me congeris. Quibus rebus deinceps abſtinere te velim, ſi gratiam à me inire voles. Vivamus inter nos & loquamur humano more & ſermone, immo etiam Romano, & hujuſmodi ineptias ex animo noſtro primum, deinde ex ſcriptis deleamus, quas certum eſt plerumque in ſcriptis tantum apparere, cum in animo nulla exſtent impreſſa veſtigia. In eo etiam erras, quod promptuariam penes me cellam eſſe tibi perſuades, ex qua quantum quiſque voluerit conjecturarum & correctionum velut ex inexhauſto penu poſſit depromere. Nunc adeo nobis ſunt ἄφθονοι Μουσῶν θύραι, ut redivivus ſemper nummus ex arca noſtra pullulet Muſicus. Si quid aliquando exit non adulterinæ formæ, ſexcenta alia quotidie prodeunt τοῦ πονηροῦ κόμματος. Qualis hæc etiam erit moneta, quam tibi è meo ſacculo promi vis ſuper loco Floridorum Apuleji. In quo recte judicas non extra mendi aleam illa eſſe, *votum poſtulare, portum apponere*. Vota *concipi, reddi, ſolvi, nuncupari* dicuntur, at *poſtulari* quo ſenſu dici queant, neſcio. Codex vetuſtiſſimus Franciſci Pithœi, cujus varietates penes me in meo codice exſcriptas habeo; hoc loco legit, *natum poſtulare*. Et pro *portum* habet *pomum*, ut & exſtare ſcriptum in uno Florentino exemplari notavit Elmenhorſtius. Nam in altero legi *portum* teſtatur. Ex illo *pomum* non male *donum* Lipſius faciebat. Putem potius tamen illud *pomum* correctionem eſſe ſcioli alicujus ex illa ſcriptura vitioſa *Portum*. Nam ſi *donum* olim ſcriptum eſſet, in voce nota depravanda non laboraſſent librarii. Pro *portum* quidam etiam obſervarunt legi in ſuis codicibus *ſervum*. Ex utravis lectione *ſervum* & *portum*, optima fortean & genuina lectio reduci poſtliminio poſſet: *ſertum apponere*. Quod & ex ſequentibus videtur poſſe adſtrui: *Neq; enim juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata*. Ergo in itinere occurrentes ex illis ſunt locis ſanctis, quæ viatorem religioſum advertunt & ſubſiſtere cogunt. Ubi enim conſpicit aram aliquam floribus coronatam, religione & ipſe motus, ſer-

ta in eandem congerit. Idem in lucis aut arboribus ſacris faciebant. Unde apud Ovidium: *Pendentia vidi Serta ſuper ramos.* Hic igitur conſtitutum habeamus ſic legendum: *ſertum apponere*. Quomodo domitandum ſit alterum monſtrum, quod primo loco occurrit, nunc videndum. *Natum*, ut dixi, habebat ſcriptus Pithœanus codex. Non longe puto eundum, ut retrahamus fugitivam, quæ olim ibi hæſit à manu auctoris, ſcripturam. Lego igitur: *Vt ferme religioſis viantium moris eſt cum alicui lucus aut aliqui locus ſanctus in via oblatus eſt, veniam tum poſtulare, ſertum apponere, pauliſper aſſidere.* Vetus etiam ille codex, ut hoc obiter notem, habuit *aliqui* non *aliquis* utroque loco. *Tum* & *cum* apud auctores idoneos, & *cum tum* ſæpius ſimul poſita ſic reperias, non ſine elegantia priſci ſermonis. *O utinam tum cum Lacedæmona claſſe petebat!* ſexcenta talia ſunt. Ex illis *Veniam tum*, natum illud *natum*, ex quo alii poſtea, dum vitium vitio addunt, fecerunt *votum*. Veniam & pacem à Diis poſcere tralatitium eſt, ex antiqua religione apud Poëtas & Oratores. Virgilius: *Tu modo poſce Deos veniam.* Et alibi: *Pacem te poſcimus omnes.* Utrumque enim ferme idem, ut & in illa vulgari formula, qua *cum venia* aut *pace* alicujus nos aliquid dicturos præfamur. Tribus iſtis, *veniam poſtulare, ſertum apponere, pauliſper aſſidere*, tria ſequentia reſpondent; *Ita mihi ingreſſo ſanctiſſimam iſtam civitatem, quanquam oppidò feſtine præfanda venia, ac habenda oratio, & inhibenda properatio.* Singula ſingulis ἀλλήλα ſunt: τῷ *veniam* à Diis *poſtulare* quibus lucus & locus ſanctus conſecratus eſt, *veniam præfari*; τῷ *ſertum apponere, orationem habere*; τῷ *pauliſper aſſidere, properationem inhibere.* Ut *ſertum apponere* unice probem præ illo *donum*, hoc etiam facit, quod viatores occurrenti forte aræ aut arbori ſacræ, de qua nihil antea cogitarant, haud alia dona apponere poſſe videntur, niſi ſerta ex floribus in via fortuito repertis contexta. Non enim cum è domo exeunt dona ſecum portant, quæ omnibus aris aut locis ſanctis apponant, quæcunque in via ſibi occurrerint. Hæc de Apulejano loco. De Statiano utinam tibi in mentem non veniſſet quærere! quæſitionem hanc

hanc inquiſitam à te mallem relictam; ita nunc mihi nihil ſuccurrit, quî eam ſolvam. Promptius poſſum male aliorum cogitata refellere, quam ipſe aliquid quod probem producere. Conjectura οὐ δῖνα, non poteſt mihi vel nuce caſſa vendi. *Oda labor nomenque fuit*. Qualis enim hæc eſſet locutio? *Et quibus carmen menſis Arcadia teſtudine oda fuit labor & nomen*. Nec enim ut alia omittam, Lyrici Poëtæ ὠδικοὶ ſunt dicti, ut ab *oda* nomen meruerint. Præterea ut bene admones, *Labor* ille commentum fuit Domitii pro *liben*, quod antiqui libri præferunt. Tuæ conjecturæ ne ſuffragari poſſim, illud obſtat, quod nec videam, quomodo hæc cohæreant: *quibus carmen Arcadia teſtudine modulatis lyræ cura & nomen fuit*. Quod idem eſſet, ac ſi dixiſſet: *quibus lyra carmen canentibus lyræ cura fuit ac nomen*. Quod enim cenſes *teſtudinem* hic pro lyræ parte fore accipiendam, id non procedit. Nec ignoras Poëtis, *lyram*, *barbitum*, *teſtudinem*, *citharam*, eſſe ſynonyma. Illud tamen certum eſt hoc verſu de Lyricis Poëtis intelligere Statium. Nec minus etiam id exploratum eſſe debet, ſic eum intelligendum, ut qui voluerit nomen eorum deſignare vel à genere Poëſeos, vel ab inſtrumento. Ab inſtrumento non poteſt, ab eo enim Lyrici. Atqui non reperio quomodo hic *lyra* locum poſſit habere. Aliunde igitur quærendum remedium. Pro *cicla* non dubito quin ſit vera lectio *Cura*. Si enim diſpeſcas duo crura literæ U. facile ex ea feceris IC. Deinde R & L ſcis ut in vetuſtis codicibus vitio librariorum permutentur. Pro *Liben*, quæ ſcriptura antiqua eſt, operoſior erit divinatio. Certum tamen eſt, ut dixi, velle Poëtam nomen deſignare hujuſmodi poëſeos, quod illa oſtendunt, *nomenque fuit*. Niſi in nugis diſertum & ingenioſum argueres, libenter divinarem: *Et quibus Arcadia carmen teſtudine menſis, Cura melῶn nomenque fuit*. Origo mendi etiam prodenda, quoniam ſemel inſanire & hariolari cœpimus. Pro *melôn*, *melen*, deinde tranſpoſitione litterarum *lemen* & *leben*. Etruſcis *M* & *B* ſæpius confundi, unde *Maſcaudæ* & *Baſcaudæ* in ſcriptis, non & docendus. *Melos* Latine uſurpavit Horatius, & Lucretius *Mele*, τὰ μέλη. Etiam Perſius, ut placet doctis,

doctis, non mihi, qui eo loco legendum ſemper putavi ex authoritate veterum codicum: *Pegaſeium nectar*. Nec *melos* ibi ſtare poterit ob brevitatem ſyllabę. Quę vir ſummus adfert ei ſuffulciendæ exempla, parum juvant, cum & ipſa ſint mendoſa. Nam in Græci Epigrammatis verſu ſcribendum eſt: λειριόεντι μελίζεται ἀμφὶ Βαθύλλῳ. Adde quod νέκταρ etiam in Græco Epigrammate, quod alibi producam, eo ſenſu plane ponitur, quo apud Perſium, pro jucundo & dulci carmine vel cantico. Philodemus μύρον pro eadem re dixit. Sed hæc obiter: Redeamus ad *melos*. Et quibus, inquit Statius, Arcadia lyra carmen modulantibus, cura melῶn fuit & nomen. Inde enim μελικοὶ Poëtæ, & μελικὴ ποίησις, ut paſſim Græci Grammatici eam indigetant, & inter eos Proclus in Chreſtomathia apud Photium. Si vis iſto Catone contentus eſſe, per me licet. Alium nunc tibi de cœlo evocare non poſſum. Sed heus tu, qui difficiles Poëtarum Antiquorum verſus tam belle explicas, & vitioſos tam feliciter emendas, poſſes hoc idem præſtare & in recentium hodiernorumque verſibus? Hoc mihi gratiæ appone, ut mihi exponas vel unicum verſiculum novi Poëtæ, qui meo honori fabricatus eſt. ***. Quid ille velit, peream, ſi ſciam. Sed nec manum vorterim ſcire. Si tamen mentem ejus animi pandere mihi poſſes, pro cætera tua induſtria faceres. Videor tamen, quid illis ambagibus inexplicabilibus auctor quæſiverit, propemodũ intelligere. Quid ego ſentiam, te ipſum quoque pro tua ſagacitate ſentire opinor. Verum enimvero *** quid tibi videntur? vidiſtine unquam majorem confidentiam cum majore imperitia conjunctam? Nullum unquam animal novi ἀλογώτερον. Ubi rationes reddere vult, ibi meras alogias funditat. A capite ad calcem unâ liturâ belle poſſet emendari tam bellum opus? Notæ ipſæ in *** Deus bone, quales! An non riſiſti, cum legeres, de media nocte ſurgere augures ad aves contemplandas, quia tunc naturali ſuo motu & volatu utuntur? vide locum, ſi non vidiſti, & mirare aves noctu volantes, & ab auguribus obſervatas. De Candidatis nonne prodigio ſimile eſt, quod notat, togas eos ſuas exuiſſe dum ambirent, & in veſtibus candidis pro-

Digitized by Google

proceſſiſſe; atque inde Candidatos vocatos, idque eſſe notiſſimum. Deceptum dices ab interprete. An Græca conſulere non potuit, ubi legitur, ἐν ἱματίῳ ἀχίτωνας prenſaſſe Candidatos, id eſt, in toga ſine tunicis. Quod & locus Catonis, ut citatur à Grammaticis, confirmat. Quis ignorat Candidatos ideo appellatos, qui magiſtratum peterent, quia togas ſuas creta dealbarent, unde *Cretata ambitio* Perſio. Sed ille homo nihil videt, nihil ſentit, nihil ſapit. Cum aliquid meditatur in publicum divulgare, ſi •• ſuum conſuleret, fortaſſe non tam propudioſè ſe litterato orbi traduceret. Pudet me profecto in ea Academia vivere, ubi illa propudia impudentiæ inſcitiæque non ſolum vivunt, ſed etiam vigent florentque fama & celebritate. Hæc in ſinum tuum effudi, quæ etiam in ſinu tuo ſerves velim. Vale & me ama. XXIV. Febr. cIↄ Iↄ cXXXVII.

EPISTOLA LXXXVIII.

JOH. FRED. GRONOVIO.

QUaſi non tibi prædixiſſem, aut tu non ipſe per te ſcires peſſimum me eſſe conjectorem, ita ſemper ad me redis, ut acumine meo tibi explicentur, quæ pro deſperatis habes, nec aliter niſi felici conjectura poſſunt expediri. Jam tibi dixi, non plus eſſe in me acuminis, quam in præpilata haſta. Cujus rei fidem abunde facere potuit in Epicedio Pileti emendatio. Vix manu emiſſa, utinam ne mente quidem foret, ita mihi cœpit diſplicere, ut mirer, quomodo tibi placere potuerit. Melius enim de tuo judicio judico, quam ut credam vere & ex animo te adſtipulatorem tali ſomnio præbuiſſe. Atqui quaſi parum eſſet ſilentio eam à te improbari, ultro etiam ac clare probaſti: peſſime hoc à te factum fateor, & mutatum velim, ut & omnia alia indicta, quæcunque ad eam dixi ſtabiliendam. Ne tua quidem, ut ingenuè quod ſentio dicam, mihi placuit. Nec enim te imitari conſtitui.

Adultum, pro adoleſcente ne Ammiano quidem dignum eſt. *Adultam* æſtatem, ver, hyemem, autumnum, dixerunt pro mediis. *Adoleſcens* ver eſſet primum & incipiens, *adultum* vero medium, poſt quod ſequitur *præceps*. *Adultum* igitur pro maturo. At quomodo adultus dici queat, cui novem tantum & decem anni ætatis? Conſulebam ego huic difficultati, *modo adultam* accipiendo. Sed nec id arridet, & hemiſtichium cum mea correctione, *vitæ modo crimen adultæ*, non habet cum quo cohæreat, nec cum præcedentibus, nec cum ſequentibus. Duo tamen illa verba retinenda cenſeo, quæ vitii culpari non poſſunt, *vitæ adultæ*. Nec eſt quod carpere in hoc Autore audeas, *adultam vitam* pro ætate adulta. Sic enim & locutus eſt in Protreptico Criſpini: *Et octonos bis jam tibi circuit orbes Vita*. Quid igitur faciemus illi *adultæ* Pileti *vitæ*, quæ tam longe ab adulta? Mendum omne, ſi quid judicare ſcio, hæret in illa voce *carmen*. Nec dubito ſic corruptum eſſe ab ſciolis, qui jungebant ſequentem verſum cum iſto, & ut ſenſum efficerent, neſcio quid de carmine nectendo commenti ſunt. Si non longius iret à veſtigiis editæ lectionis, propius abiret à vero ſenſu ac mente Statii iſta quæ mihi modo ſub manum nata eſt lectio:

----- *Vitæ modo limen adultæ, Nectere tentabat*.

Nectere, inquit, tentabat unam trieterida tribus Olympiadibus, quod eſt limen tantum & veſtibulum vel ingreſſus vitæ adultæ. Ex Ephebis nempe exceſſerat, qui egreſſus eſt adultæ vitæ. Per appoſitionem itaque hæc dicuntur. *Vitæ modo limen adultæ*. Tuo judicio ſtabit aut cadet. Nunc veniam ad nova tua quæſita, in quibus ſi non magis tibi ſatisfacio, quam in prioribus, credulitatem tuam accuſabis, & difficultatem locorum, quæ propoſuiſti potius, quam meam voluntatem aut induſtriam. Illa ſemper tibi patebit, iſta melius eniteſcet in planioribus. Deplorata quippe ut ſucceſſu non careant, potioribus, quam ego ſum, Medicis erunt relinquenda. Scis porro in hoc conjectaneo genere, ut ſemel ad ſcopum collinees, centies eſſe aberrandum. In propemptico Mettii Celeris verſus eſt,

Digitized by Google

eſt, de quo quæris, graviſſimâ mendâ inquinatus, & quam vix ullo quantumvis ſagacis ingenii commento elui poſſe exiſtimo. Senſum tamen hujus videre videor. Cum enim pleraque miniſteria nautica enumeret, per hunc puto voluiſſe exprimere hujus officium, qui altitudinem maris explorat. Quod inter præcipua & magis neceſſaria munia nautarum numerandum eſt. Βολὶς, niſi fallor, Græcis vocatur, quâ id faciunt, linea, nempe, cui plumbum in extremitate adfixum. Græci hoc inſtrumentum, ſi bene memini, καταπειράτην vocant aut καταπειρατῆρα, Herodotus καταπειρατηρίην. In qua voce explorandi ſignificatio continetur. De qua hoc verſu Statii intelligendum conjicio:

Sunt quibus exploret rupes gravis arte Molorchus.

Nunquam enim Viris Doctis aſſenſum commodare potui, qui *Molorchum* urinatorem ſibi heic imaginati ſunt. In hoc verſu dictio *rupes* mihi ſemper ſuſpecta fuit. Nec enim rupes explorantur, ſed fundus maris & ipſius altitudo. At cum ſubſunt rupes, magno in periculo eſt navis, & ſerum eſt explorare tunc quanta ſit maris altitudo. Bene igitur mones in Florentino legi *primo* pro *rupes*. Videor alicubi legiſſe μολυβδίδα vocatum hoc inſtrumentum mari explorando, quia plumbum habebat aſſutum in extremo. Sic igitur emendavi: *Sint quibus explorat plumbo gravis alta Molubdis*. Sint quibus Molubdis plumbo gravis exploret alta, id eſt, profunda maris. *Arta* pro *alta*, deinde *arte* correctum eſt. Sic & *plumo* ab initio ſcriptum fuerit pro *plumbo*, quod in *primo* per correctores degeneravit. Sic in veteribus Gloſſis πλοῦμος pro πλοῦμβος. *Moluptis* autem pro *Molubdis* videtur olim ſcriptum fuiſſe, quod facile fuit in *Molorchus* mutari. Nam *P*. & *R*. invicem mutantur in libris & *T*. & *C*. ut *D*. & *T*. Lucilius voce Græca uſus fuit in exprimendo hoc explorandi maris inſtrumento, quod & Latinè interpretatus eſt his verſibus, qui vulgo apud Iſidorum valde contaminati circumferuntur:

Et catapirateras eodem deferat, uncum
Plumbi pauxillum rodus linique metatum.

Pau-

Pauxillum plumbi rodus uncum cum lini linea, cui adſutum eſt, Catapirater eſt. Nulla mihi melior aut promptior hoc quidem tempore medela ſuccurrit, quâ ſanem hunc locum. Sequitur non minus, immo etiam magis ægrotus locus, in Calendis Decembribus:

Jam bellaria adorea pluebant.

Ut ſcias non hodie atque heri vitiari ſolitos codices, merum eſt vitium quod in Florentino ſcribi oſtendis, *jam velaria Borea pluebant*. quia enim in verſu ſequente Euri mentio eſt, voluerunt & in iſto locum Boreę facere. Ex qua depravatione non dubito quin prodierit illa emendatio æque vitioſa *bellaria adorea*. Nihil adoreum in his quæ proxime ſubjicit. Dein quod ait Eurũ ea profudiſſe, hoc nihil ad bellaria adorea. Sanior ac ſincerior videtur Codicis Senenſis ſcriptura, quę habet *velaria linea*. Sed quid erant *velaria linea?* certe vela linea. *pueros* alicubi legi *ad velaria raptos*; cujus ſit Poëtæ non memini jam niſi ſit Juvenalis, tu inquire. Τὰ βηλάρια etiam Græci recentiores Latino vocabulo uſurparunt. Verũ quid hic facient *velaria linea?* An inter miſſilia etiam jactata? Non eorum hic locus, ubi rori cadenti comparat, ejuſmodi miſſilia tunc ſparſa. Nuces Ponticas, Damaſcena pruna, ficus & alia hujusmodi; inter quæ quis locus velis lineis? Deinde, quod bene notas, nuſquam hac licentia uſus legitur hic Poëta, ut brevem ſyllabam producat ob duas ſæpe ſequentes in alia dictione conſonantes. De hujuſmodi miſſilibus, ſpargi ſolitis ab his qui ludos ederent, agens Martialis *lineæ* meminit:

Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

Vide an non de hac linea loqui voluerit Poëta tuus, præcipue cum rem eandem moremque eundem deſcribat, & mox ſequatur, ut apud Martialem; *Largis gratuitum cadit rapinis*. Non aſſentior viris Doctis, qui *lineam divitem*, ibi explicant de linea margaritarum. Hariolari nunc ſane lubet in tuam gratiam. Videtur *linea* quædam prætenta ſive funis, nam linea hîc funis eſt, è qua etiam ſi forte vela ſive velaria penderent, quæ tegerent

rent, & à populi aſpectu arcerent eos, qui in populum miſſilia ſpargebant, ut & res ipſas, quæ ſpargebantur. Ita ſane oportuit. Quod igitur multa miſſilia ſpargenda ex illa linea, ideo Martialis *divitem* eam appellat, & non ceſſaſſe, ſed per aliquot dies prætentam fuiſſe, quibus multi generis miſſilia in populum ſparſit Stella. Accommodarim hunc morem verbis Statii, quæ & ſic erunt conſtituenda minima mutatione:

Vix aurora novos movebat ortus,
Iam velaria lineæ, & pluebat,
(Hunc rorem veniens profudit Eurus)
Quidquid nobile Ponticis nucetis &c.

Vix, inquit, aurora illuceſcebat, & jam velaria lineæ vel linea cum velaribus prætenta, & pluebat ſtatim, quidquid nobile Ponticis nucetis. Quæ in medio ſunt, per parentheſin legenda: *Hunc rorem veniens profudit Eurus.* quæ ſignificant pleraque eorum, quæ tunc ſparſa ſunt, ex Oriente veniſſe. Cum primo die prætentam illam lineam dicit, de qua Martialis, & miſſilia ſparſa. Nec huic loco aliter quam iſto modo mederi ſcio. Reſtat ultimum, in quo reſtituendo haud ſcio an ſim felicior futurus. Tu judicabis. Ex Protreptico Criſpini:

Sic Phryges attoniti quamquam Nemeæa viderent Arma.

Pro illis *Nemeæis armis*, quæ Domitius repoſuit, libri omnes habent *vectita.* Certe Domitius, qui de clava Herculis hic putabat accipiendum, *Nemeæa* correxit, quia ex Nemeæo nemore ligno cæſo Hercules ſibi clavam dedolaſſe dicitur apud Apollodorum. Atqui per *arma* hìc falſum eſt ſignificari clavam, præſertim cum ſequatur,

Cleonæuſque acies impelleret arcus.

Non potuit enim arcu ſimul in eo bello & clava uti, cum utraq; manu dextra tenenda ſint. *Arma* denique Latinis ut Græcè ὅπλα ſcutum eſt aut clypeus. Inde *arma ancilia*, unde *armiluſtrium* ſcuta. Herculem arma à Minerva accepiſſe idem Apollodorus memorat, cum Erginim occidit: ὅπλα vocat idem clypeum. Hæc *arma* heic intelligit Statius. Sic igitur emendo:

Sic Phryges attoniti, quanquam Jove picta viderent,

 Arma,

Arma, Cleonæuſque acres impelleret arcus,
Pugnante Alcide.

Arma illa Herculis Jovem pictum pro inſigni habuere, qui mos fuit veterum Heroûm, ut ex tragœdia Æſchyli ἐπὶ θήβας conſtat. Et quod Jovis filius ipſe, & quod Minerva quoque, à qua ea acceperat, Jovis filia. Nihil potui aliud convenientius procudere ex illo *vectita*, quam *Jove picta*. Hæc monſtra in ſcriptis veterum vinci non poſſunt ſine audacia & temeritate. Tu videris an aliquid aptius εὐστοχία tibi ſuggeſtura ſit. Gratiſſimum autem mihi feceris, ſi Cypriani codicem retineas ad aliquod tempus, ut eo poſſim uti locis aliquot conferendis, in quibus mihi aqua hæret. Nec enim totum conferre mihi animus eſt, nec, ſi eſſet, otium permitteret. Sub finem hujus ſeptimanæ aut initium ſequentis ſpero me futurum Hagæ, ſi Deus voluerit. Ibi eum à te accipiam & mecum afferam: ſimul feram tibi Anglum illum, qui Apologiam Apuleii commentatus eſt. Videbo etiam apud te tum, cum ibi fuero, carmen Fabricii, quod nondum vidi. Meleager, de quo quæris, quo tempore vixerit, contemporaneus fuit Menippo illi, qui nomen dedit Satyris Menippeis. Defatigatus jam ſcribendo ſum, & hæc quoq; raptim. Quare boni conſules properantis manus mala σκαριφήματα, & me amabis. Vale. Leydæ, Nonis Februariis: CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA LXXXIX.

IOH. FRED. GRONOVIO.

RESponſum tuis prioribus parabam Doctiſſime Gronovi, cum poſteriores accepi, quæ mihi redditæ ſunt in ipſo articulo, quo ad te ſcripturiebam. Una igitur defungar plaga. Et prius quidem prioribus. Memor eram promiſſi, quod Hagæ dederam, cum aurem velliſti, ſed mittere ideo diſtuleram, quia te aliis occupatum minus iſta nunc curare putabam. Quoniam & huic curæ vacare potes, habebis cum his, quod petis. Epiſtolæ Heroidum collatæ ſunt cum ſcripto

ſcripto codice Puteanorum, ut & libri Amorum. Quas ad oram vides notatas varietates in libris de Arte amandi & de Remedio amoris, è codice Jureti excerptæ ſunt. Contuli & hos eoſdem libros cum ſcripto exemplari Regiæ Bibliothecæ, atque ita quidem contuli, ut mirari poſſis, tantum mihi ab re mea fuiſſe otii, ut verſus integros ſæpius deſcripſerim ob unius voculæ varietatem. Amori Poëtæ hoc dedi, quem in deliciis tunc habebam, & quem libens non ſemel, ſed bis aut ter tranſcripturus fui, tametſi nullum enotandum diverſæ ſcripturæ diſcrimen habuiſſem. Schedas excidi ex libro meo, ut eas tibi mitterem. Craſſior quippe codex quam ut facile poſſit ſubmitti, & multam farraginem continet adverſariorum, quæ ſoli mihi uſui eſſe poſſunt. Epiſtolas Caſauboni ad me autographas remittere poteris, cum lubebit, ſi typis jam deſcriptæ ſunt. In loco Statii, quem priores tuæ ſuggerunt, aqua mihi hæret non minus quam tibi, nec quomodo expediam, nunc ſuccurrit. Non dubito, quin vera ſit lectio, quam in ſcripto obſervaſti: *tereti ligat aurea morſu*. Nam *juvare* pro ſuſtinere eo loco vix probem. Longe etiam minus, ut iſtud *juvat*, ſequentis non proxime verſus ſignificationi ſerviat: *vaginæque ſonum*: Genius Poëtæ non ſolum hoc refutat, ſed in alio quovis, qui modo Latine ſciret, id nullo modo ferrem. Quid igitur, ſi *ligat* in primo verſu legamus, & in tertio illo reponamus verbum *juvat*, hoc modo? *Vaginæque juvat tremulæque audire pharetræ Murmur*. Si hoc non eſt, non dubito quin deſit verſus. *A cono miſſas in terga cathenas* neſcio quomodo interpretetur Lactantius. Nec enim liber ad manum eſt. Nihil habeo nunc quo te extricem, nec otium eſt quærere. Quod ad alterum Statii locum attinet, neſcio quare tibi non arrideat, *maniplis intermixtus eques*. Non id longius à veſtigiis vulgatæ ſcripturæ, quam illud tuum, *maniplos inter miſſus eques*. Et in ſenſu ſat magnum diſcrimen. Scio quidem quam ſententiam efficiat illud *miſſus*, ſed illud etiam teneo, alieniorem eſſe à mente Statii & à militiæ more. Non enim inter manipulos conſiſtere jubebantur illi equites legionarii,

gionarii, nec unquam pugnabant inter pedites, ut inter eos conſtitiſſe dici queant. Sed cum de Legionariis, ut ſemper exiſtimavi, equitibus verba illa intelligenda ſint, qui diſtinguuntur ab alariis, per *intermixtum equitem maniplis* deſignat legioni connexum equitem, id eſt, legionarium. Sic enim de his Vegetius lib. II. c. I. Poſtquam de alariis dixit, qui vexillariorum nomine tunc veniebant, addit, *eſt & aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quod connexi ſunt legioni*. Unaquæque legio olim habuit trecentos, poſtea ſexcentos, etiam ſeptingentos triginta; qui ita erant per legionem diſtributi, ut ſingulis cohortibus adſcripti eſſent ſui equites. Cohors prima, quæ erat miliaria, id eſt, mille pedites habuit, numerum quoque duplicem equitum habebat, hoc eſt, centum triginta, cum reliquæ ſexaginta ſex tantum haberent. De illa igitur dignitate militari exponendum cenſeo Statium, qui centum equites frænabat, hoc eſt, centum equitibus præerat in prima cohorte. Rotundum numerum poſuit, ut alias ſolent, pro perfecto. Nam centum erant triginta. *Manipli* autem legionis; ideo *maniplis intermixtum equitem* pro legionario dixit. At cum acies inſtruebatur, & cum pugnabant, non inter maniplos peditum conſiſtebant equites, ſed circa cornua utrimque locabantur. De quo nos alibi. Litteras ad Vincentium & Lindenbrogium curandas tibi mitto, nec eas commendo. Tantum rogo ut apud Vincentium me adjuves, quo facilius à Lindenbrogio impetremus quæ volumus. Vale & me ama. Raptim XXVIII. Martii CIↃ IↃ CXXXVII.

In mea ad Fabricium noſtrum Epiſtola rogavi eum, ut ipſe litteras meas traderet Lindenbrogio. Sed fieri poſſet, ut ille prius diſceſſerit quam noſtræ pervenirent. Auctor itaque tibi ſum, ut eæ Lindenbrogio ſeorſim mittantur, nec uno faſciculo involutæ cum illis, quas tu & ego ad Vincentium dabimus. Ut ſi forte ibi non eſſet Lindenbrogius meas poſſit accipere, atque iis reſpondere. Tu tamen facies, prout intelliges melius fore. Vale iterum.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA XC.

JOH. FRED. GRONOVIO.

DIes hic agitur decimus quintus, Doctiſſime Gronovi, ex quo ad te ſcripſi, ſimulque litteras miſi ad Lindenbrogium & Fabricium Hamburgum curandas. In eodem faſciculo inerat liber Epiſtolarum Ovidii, Amorum, de Re amatoria, & Remedio amoris minutiore forma cum ſcriptis codicibus à me collatus, una cum aliis ſchedis ſolutis mea manu exaratis, quæ varias lectiones continebant ad libros ejuſdem Ovidii de Re amatoria & Remedio amoris. Hæc omnia an acceperis, ut dubitem, facit, quod ne verbulo quidem ſignificaſti te ea accepiſſe. Dum de die in diem reſponſum à te expecto, ſic factum, ut huc uſque hæſitarim ſcribere ad te, quo aliquid certi elicerem an tibi illa reddita ſint. Nunc quum tot dies abierint ſine ullo tuo reſponſo, non potui diutius hunc ſcrupulum in animo habere. Quem, recte feceris, ſi primo quoque tempore eximas. Rurſus cum cogito omnes meas adhuc recte curatas eſſe, ſecuriore animo ſum, ſed de te quid debeam exiſtimare eo incertus ſum, quia non ſolitus alias tantas in reſpondendo moras nectere. Omiſeram iiſdem literis de Pervigilio Veneris, quod à me petieras, quid tandem ea re factum eſſet indicare. Et ſane illo tempore nihil habebam de eo negotio quod ſcriberem, niſi omnia me neſcire. Nunc ſcio quid ejus rei futurum ſit, ideo etiam faciam, ut & ipſe ſcias. Amicus quidam me nuper convenit ex primariis Profeſſoribus, qui mihi dixit ſuper ea re ſe verba aliquot commutaſſe cum Scriverio, qui ſanctè jurabat nihil ſe tale cogitaſſe, ut quicquam adverſum me ſcriberet, incitatum ſe quidem à quibuſdam, ut id faceret, ſed noluiſſe obſequi eorum paſſioni. Non modico beneficio à me devinctum ſe fateri communicato illo vetuſtiſſimo codice. Poſt illa vidi ipſum Scriverium, qui eadem mihi affirmavit, & calumnias eſſe quidquid mihi relatum foret. Quod liberius ab ipſo diſſenſiſſem, libertatem illam non ægre tuliſſe, quandoquidem &

parem poſſet ſumere. Quid multa? amiciores quamdudum invicem diſceſſimus. Quid nunc dicturum de illis hominibus, qui alia via palpum obtrudunt, alia nigros lolliginis ſuccos ſuffundunt? malæ merces iſtæ ſunt, & omne cum illis commercium abominor. Variæ lectiones, quas in Statium tuum commodaſti ex libro Florentino per Lindenbrogium excerptæ, longe mihi viſæ ipſis etiam maculis & vitiis editionum vitioſiores. Peſſimum oportet, & peſſime deſcriptum exemplar eſſe, ex quo ſumptæ ſunt. Ad malas conjecturas potius quam ad bonas deducere conjectorem, qui illis fidem haberet, magis idoneæ. Nihil boni potui ex illis elicere; præterea otium etiam non eſt. Vale & me ama. Leydæ. Nonis Aprilibus CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA XCI.

JOH. FRED. GRONOVIO.

SI ſciviſſem litteras meas recte tibi traditas, de reſponſo te non interpellaſſem, nec moleſtus omnino fuiſſem. Nollem enim quidquam à te exigere præter commodum tuum, quod ſit aut contra rationem ſtudiorum tuorum & occupationem, quibus ego æque parcere ſum paratus ut meis propriis. De Fabii loco facile ignoſces, ſi pro vera conjecturam tuam non agnoſcam. Ubi rationes audiveris, quibus eam impugnem & meam viciſſim illius loci emendationem & explicationem, tum rebus omnibus perpenſis liberum erit tibi, quid ſentiendum ſit, ſtatuere, tuam ſententiam ſtabilire, an meæ accedere magis æquum cenſeas. Libri quos vidi non aliam varietatem habent præter eam, quæ in editionibus ad oram notata eſt, *ſine agnitore*, pro *ſine agnitione*. Quæ veriſſima mihi ſemper viſa eſt lectio, totuſque adeo locus etiam nunc legendus ita videtur: *Denique linum ruptum, aut turbatam ceram, aut ſine agnitore ſigna frequenter invenio*. Signa hæc ſignacula ſunt teſtium, qui in teſtamento non ſolum ſubſcribere,

bere, ſed etiam ſubſignare debebant, ut eſſet validum. Vel inſtituta juris noſtri hoc docent, in teſtamento ordinando ut valeat, ac legitime factum videri poſſit, requiri non ſolum ſeptem teſtium præſentiam & ſubſcriptiones, ſed etiam ſignacula eorundem teſtium teſtamenti tabulis imprimenda. Et hanc ſignaculorum impoſitionem ex edicto Prætoris initium & ortum habuiſſe Juriſconſulti noſtri obſervant, quibus etiam placet, ut habetur Lib. II. Inſtit. Cap. x. poſſe omnes teſtes & uno anulo ſignare teſtamentum. Sed & alieno licere ſignare. Quin imo recte etiam ſignatum eſſe, ſi omnium anulorum eadem fuerit ſculptura. Anulo igitur ſigna iſta imponebantur, qui anulus è gemma aliqua ſculpta. Inde gemnæ Græcis σφραγῖδες, quod ſculptæ ad eum uſum haberentur. Ut imprimerentur ſigna ceram ſubeſſe oportuit, quæ exprimeret ſigni figuram, & τὸ ἔκτυπον faceret. Hinc Plinius de carbunculorum generibus: *Omnia hæc autem genera ſculpturæ contumaciter reſiſtunt, partemque ceræ in ſigno retinent.* De ea igitur cera intelligendus Fabius, cum *turbatam ceram* dixit in teſtamento & *ſine agnitore ſigna*, quæ ſcilicet à nullo agnoſcerentur. Ceram, inquam, intellexit, cui ſigna impreſſa; non eam ceram, qua inductæ tabulæ ad ſcribendum. Nec enim in tabulis tantum ceratis tum ſcribi teſtamenta ſolita, ſed etiam in chartis & membranis, quæ nullam habuere ceram, niſi quæ ſignacula teſtium exprimeret. Inſtitutionis lib. & cap. quo ſupra: *Nihil autem intereſt teſtamentum in tabulis, an in chartis, membraniſve vel in alia materia fiat.* Tabulæ accipiendæ cera inductæ. Unde *ima cera* pro ima tabulæ parte, vel ea quæ vocatur Juſtiniano, *inferior pars teſtamenti.* Gajo alicubi dicitur *pagina extrema.* Inde & *primicerius hæres* olim dictus, qui in prima cera ſive prima tabula ſcriptus. Quod nomen poſteriores Latini de primo aut primate in re qualibet aut officio poſuerunt. Sed iſtæ ceræ, quibus infuſa tabula ad ſcribendum, nihil ad hunc locum pertinent. Quomodo enim turbatæ intelligerentur, quin tota ſcriptura inde vitium contraheret, quæ legi idcirco nulla ratione poſſet. At *turbatam* hic *ceram* omnino interpre-

Digitized by Google

terpretamur ſignorum, ut propterea *ſine agnitore* ea fuerint. Quis enim ſignum ſuum agnoſcere poſſet in cera turbata? De hac cera etiam loquitur Juſtinianus Inſt. lib. II. Tit. XVI. his verbis: *Illam autem ſubſtitutionem, per quam ſi hæres extiterit pupillus & intra pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus vocatur, ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere debet, eamque partem proprio lino, propriaque cera conſignare, & in priore parte teſtamenti cavere, ne inferiores tabulæ vivo filio & adhuc impubere aperiantur.* An ſatis vides lino & cera conſignatam partem teſtamenti, ut hic apud Quintilianum linum ruptum & perturbatam ceram ſignorum accipi debere liquet? At inferiores illæ tabulæ, quas ibi nominat Juſtinianus, ſi proprie tabulas ceratas intellexiſſet, de ima cera exponi deberent teſtamenti, ut loquutus eſt Suetonius; quæ ima cera, non magis quam prima, quicquam faciebat ad conſignationem teſtamenti. Nam & Hyginus de limitibus conſtituendis *primam ceram* eandem cum tabula prima facit: *Has conternationes ſublata ſorte quidam tabulas appellaverunt, quoniam codicibus excipiebantur, & à prima cera primam tabulam appellaverunt.* Codices ligneas proprie tabellas dici notum eſt, quibus cum cera inducta eſſet, in ea cera litteræ per ſtilum exarabantur. Poſtea liber ex alia quacunque materia ab illo antiquo uſu codicum ligneorum appellatus. Idem uſu venit & circa tabulas. Cum antiqua teſtamenta ſcriberentur in tabulis ceratis, poſtea quamcunque materiam, in qua ſcriptum foret teſtamentum, tabulas teſtamenti vocaverunt. Hinc recentiores, quia tabularum illarum lignearum cera inductarum uſum ignorarunt, Tabulas teſtamenti inde dictas interpretati ſunt, quod quælibet materia ad ſcribendum apta, & quadrata forma facta, *Tabula* Latine diceretur. Gloſſæ Nomicæ veteres: ἰστέον ὅτι τὸ μὲν ἐν σχήματι τετράδος, ἐξ οἱασδήποτε ὕλης συντιθέμενον καὶ δεχόμενον τὴν διαθήκην, ταβέλλα λέγεται, τὰ δὲ ἐξειλήματα χάρτου, αὐτὸ τοῦτο χάρτη καλεῖται. Quæ in charta ſcripta erant apud veteres, *volumina* proprie dicebantur, quia antiqua illa charta, quæ ex papyro erat Nilotica, qua veteres uſi, ſcripturam ab una tantum parte recipiebat, nec in opiſto-

opiſtographis ſcribebant, niſi adverſaria & alia tumultuaria ſcripta. Quæ igitur ab una tantum parte ſcripta erant, ea in voluminis formam conglobabantur, & multum ſpacii occupabant. Non enim admodum latæ illæ chartæ fiebant. Hinc Martialis ſcribit Bibliothecam ſuam vix cepiſſe Livii hiſtoriam in charta ſcriptam. At in pellibus ſive membranis ſcriptam facile quamvis anguſtus locus continere poterit. Sic enim iſtud diſtichon olim exponendum obſervavi:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Tabellas idem paullo poſt vocat πιττάκια membranacea, quibus tum deſcribebantur libri, ut avorum etiam noſtrorum tempore deſcribi moris erat. Quæ quod ab utraque parte deſcriberentur, & in maſſam ſive corpus compingi poterant, ideo minus loci occupabant. Ita enim idem:

Hæc tibi multiplici quæ ſtructa eſt maſſa tabella,
Carmina Naſonis quinque decemque gerit.

Titulus hujus diſtichi Ovidii Metamorphoſin in membranis ſcriptam præfert. Ergo & tabulæ teſtamenti hoc ſenſu non ſolum quæ in ceratis tabulis conſtabant, ſed quæ πιττακίοις membraneis. Cujuſcunque porro illæ materiæ & formæ eſſent, ceram utique habebant, quia & ſignacula teſtium impreſſa habere debebant. Quæ cera longe ab illa diverſa, quæ tabulis erat inducta ad excipiendam ſcripturam. De cera ſignaculorum jam vides locum Quintiliani exponendum. Vale. XIII Aprilis.

EPISTOLA XCII.

JOH. FRED. GRONOVIO.

Expectabam, doctiſſime Gronovi, an probaturus eſſes explicationem & commentationem loci Fabiani meam. Imo verebar ne adhuc confirmanda tibi foret, priuſquam aſſenſum commodares. Ideo copias mihi ſubſidiarias reſervaram, quibus hoc ipſum evincerem, ſi opus eſſet, que-

que rem totam deciderent. Quamvis non dubites, non abs re tamen fuerit ἐξ ἐπιμέτρου earum tibi copiam facere. Ut ut ſint ſuperfluæ, non nocebunt. Teſtamenti tabulæ & aliorum contractuum quacunq; ex materia eſſent, ſive ex charta, ſive ex membranis, aut etiam è tabellis cera inductis, quæ ſtilo exararentur, non calamo aſſcriberentur, ita conſignari ſolebant. In ſummo margine poſtquã clauſę eſſent, perforabantur, per illud foramen ter lino miſſo conſtringebantur, ſupra linum cera imponebatur, ceræ ſigna imprimebantur. Nec aliter epiſtolæ privatorũ apud veteres claudi & ſignari ſolitæ. Ita, inquies, hodieque ſolent. Certe ita eſt. Ne me fictitia loqui putes, en tibi teſtem idoneum Julium Paulum in libro VII. ſententiar. Tit. XXV. ad legem Corneliam Teſtamentariam, his verbis, quæ nos aliquot locis emendavimus: *Ampliſſimus ordo decrevit eas tabulas, quæ publici vel privati contractus ſcripturã continent, adbibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma margine ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringantur, atque impoſitæ ſuper linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Exteriores ſcripturas vocat ſignacula teſtium, quia in annulis, quibus ſignabant, ſculpta plerumque nomina auctorum aut alia ſymbolica dicta, ut nunc etiam fit. Tabulæ ita ſignatæ cum aperiebantur, non ſolum linum illud rumpendum erat, ſed ſigna etiam refringenda: ideo priuſquam aperirentur, vel omnes teſtes vel maxima pars erant advocandi, ut ſigna ſua agnoſcerent. Idem Paulus lib IV. Tit. VI. verbis quæ ſic etiam legenda ſunt: *Tabulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo, ut teſtes vel maxima pars eorum adhibeatur qui ſignaverint teſtamentum, ita ut agnitis ſignis, rupto lino, aperiatur & recitetur, atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in archium redigatur, ut ſi quando exemplum ejus interciderit, ſit unde peti poſſit.* Jam agnoſcis, cur Quintilianus dixerit ex mea emendatione: *Denique linum ruptum, turbatam ceram, aut ſine agnitore ſigna invenies.* Ob eam cauſam & *reſignari* dicebatur teſtamentum, quod aperiebatur, quia ſigna erant revellen-

da.

da. Multa alia ad manum ſunt quæ huc faciunt, ſed hæc ſatis, imo plus ſatis. Quæ nec eo fini addidi quaſi diffiderem judicio tuo. De Lindenbrogio, gaudeo illum habere fragmenta Urbicii, & tam liberaliter promittere, ſed doleo tantum eſſe fragmenta. Rogo ad eum ſcribas, ut per tabellarium ea quam primum mittat. Non tu, ſed ego ſumptum fecero, & refundam, quod dederis. Scribe etiam ad eum quæſo ut nobis ſignificare dignetur, utrum integrum opus fuerit Urbicii in illo codice Florentino, ex quo nonnulla tantum excerpſerit, an vero fragmenta modo idem liber habuerit. Si integer Urbicius in ea eſt Bibliotheca, per amicos potero inde habere deſcriptum. Nam qui mihi deſcribitur, niſi jam deſcriptus eſt, ex Ambroſiana Mediolani libraria, non totus eſt Urbicius, ut ex fine & initio, quæ ad me miſſa ſunt, cognovi, ſed pars tantum Urbicii, eaque exigua. Excerpta igitur illa Lindenbrogii nimium vellem videre, & quamprimum. Cypriano Pontani tui nondum ſum uſus, nec propter otii penuriam, qua hactenus laboravi, licuit. Remitto tamen, ne in mora illi ſis. Potero ab ipſo copiam aliquando impetrare, ſi cupido altius inceſſerit inſpiciendi, aut neceſſitas urſerit. Hoc pretio tamen non Cyprianum modo, ſed quicquid eſt librorum ſcriptorum, nanciſci nollem, ut ea probare cogerer, quæ non mihi ad guſtum. Abducendum me potius in Latomias Dionyſio darem. *Athletes* prima corripienda poterat aliis magiſque appoſitis exemplis adſtrui. Primas in *Cygnus* & *Progne* breviarunt Latini Poëtæ, quæ per contractionem viderentur longæ. Horatius: *Donatura Cygni ſi libeat ſonum.* Sic primam in *Progne* Ovidius corripuit in Metamorphoſi, niſi fallor, nam nunc non ſuccurrit locus. ***. Quid dicas de illo * qui me nuper arguebat quod Gallicismum in Autore recentioris ævi, & fortaſſe etiam Gallo notaſſem, cum ipſe Gallicam loquendi formulam Romanis adſcribat, vel in illo ſeculo, quo Gallos vix norant? Cum Dianæ Genitæ, quæ generationi præſidebat, canes immolarent cæſos Romani, & vota facerent, precabantur ne quis vernularum bonus evaderet, quod Plutarchus in Quæſtionibus vertit μηδένα χρη-

ςὸν ἀπὸ βήματος τῶν οἰκογενῶν. Eam vocem ibi ille interpretatur quid ſignificaret. Noſter ille Rationalis *bonum* tunc temporis ſignificaſſe vult Romanis hominem altæ cujuſdam & ignavæ ſimplicitatis. Sic enim Gallos dicere, *il eſt un bon homme*. Certe de homine ita dicimus, ſed non de puero aut parvulo. Immo contra *bonos* pueros & infantes dicimus egregiæ & bonæ indolis. An ſperat ille tecto latere diſcedere, qui quaſi ſecurus ſic alios arietat? non meretur. Nihil ille nec auſus, nec potuit. De loco Surrentini, nihil puto deeſſe. Diffugimus, inquit, & feſtas dapes coronataque vina famuli abripiunt: *nec quo convivia migrent*; nec erat quo migrarent epulæ abreptæ à famulis, quia quamvis multæ domus circum eſſent, & mons multis ædificiis occupatus niteret, tamen tam præceps erat nimbus, ut proxima quærere cogeret. At in proximo nulla tecta quibus ſuccedere poſſemus, & longum erat, petere domos remotiores. *Nec quo convivia migrent*. Nec eſt quo migrare poſſint convivia, id eſt fercula, quæ raptim ablata à famulis, & ſubtracta imbri cadenti. Si quid habes melius, ſequere. De Uſuris quæris quid fiat? in fine laborant. Hæc epiſtola integrum illis caput abſtulit. Sed? ohe! Iam ſatis eſt, ohe epiſtola, vel libelle potius. Tu vale & me amare perge. Raptim haud ſecius quam ſi nimbus ille Statianus in me cadens receptui conſulere adigeret. Iterum vale. XXIII. Aprilis. CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA XCIII.

JOH. FRED. GRONOVIO.

TUas accepi in hoc ipſo articulo una cum litteris Lindenbrogii & excerptis Urbicii. Non poſſum ſatis dignas ei grates perſolvere pro beneficio; quòd non ſolum liberaliter indulſit quod petebam, ſed etiam quod deſiderio meo citius quam ſperabam ſatisfecerit. Bis dat, qui cito dat. Gratias ei agam quas meretur propediem, & quam bene

de me

chique, & qui ont eſté confirmées par ſon auctorité, devront paſſer ſans difficulté pour articles de foy. Et je ne fais point de doubte que ce ne ſoit par là qu'il entend & pretend faire touts les eſclairciſſements qu'il nous promet ſur les autres poincts controverſes. Car ce poinct eſtant une fois accordé, tout le reſte ſera vuidé & decidé, & par ainſi, comme il dit, confectum erit negotium. *Mais ce que je trouve de plus mauvais en luy, & qui m'eſclairci d'avantage le ſoupçon que j'ay pris de ſa malice deliberée, ſont ſes ſubterfuges & ſes evaſions, ſes paroles retenuës, ſes cachettes ſous un double ſens, & qu'il parle autrement à l'oreille qu'en public, & qu'il demande que nous ayons à ſuſpendre nos jugements juſques à ce qu'il ſe ſoit expliqué plus clairement. Toutes ces marques ne me repreſentent point un eſprit qui extravague, veu que ſes opinions n'ont rien de particulier, & courent le grand chemin de Rome. Ie veux qu'il s'eſgare & qu'il ſe trompe, mais ſon principal but eſt de tromper & de ſeduire. Au reſte j'attendrois les eſclairciſſements auxquels il nous remet avec plus de patience & avec meilleure eſperance, s'il ne les faiſoit abſolument dependre de la volonté de ce Prince de l'Egliſe Romaine, auquel il a dedié ſon eſcrit, & auquel il s'eſt devoué entierement luy meſme. Or, ce luy dit il en ſuite des Theſes qu'il a miſes en avant pour la reconciliation des Religions à laquelle il l'exhorte, lors que vous le jugerez à propos pour le bien de vos affaires, & l'exequution de vos grands deſſeins, ſera à vous de m'ordonner & me commander que je compoſe & que je mette en lumiere un plus ample traicté de ces choſes où elles ſeront pleinement eſclaircies. Sur ces promeſſes qu'il fait à un Cardinal que devons nous attendre de bon pour nous & pour le bien de la Religion que nous profeſſons, & que luy proteſte de profeſſer encore avec nous? Quelle apparence y a-il que ces elucidations ſe facent pluſtoſt en faveur des Evangeliques que des Catholiques Romains. Un aveugle y verroit clair. Puiſque il ne les veut donner au jour qu'apres le commandement qui luy en ſera fait de la part de celuy pour lequel il les doit entreprendre, qui pourroit doubter qu'elles puiſſent eſtre faictes d'autre façon qu'il ne plaira à celuy auquel il n'oſeroit deſplaire, ayant pris à taſche & entrepris de propos deliberé de l'obliger*

Digitized by Google

ger en cela, eſtant comme il le declare peu apres, ornandæ, amplificandæque ejus gloriæ curioſus, atq; in his omnibus optimorum ejus conſiliorum promovendorum deſiderio flagrans. *Je ne veux point entrer, auſſi n'y pourrois-je pas penetrer dans le ſecret des conſeils & des deſſeins de ce grand Cardinal, mais auſſi peut on bien juger par la profeſſion qu'il fait, & par la dignité treſeminente qu'il tient dans l'Egliſe Romaine, qu'il n'eſt pas pour favoriſer ceux qu'il tient pour heritiques contre les Catholiques, en l'Egliſe deſquels il eſt l'une des premieres & principales columnes. Que dirons nous donques, ou quel jugement ferons nous de celuy d'entre nous qui luy offre ſon ſervice pour eſtre inſtrument à amplifier ſa gloire & promouvoir ſes conſeils? Tiendrons nous doreſenavant pour l'un des noſtres celuy qui monſtre avoir le deſſein de nous mener à Rome, pour nous reconcilier aux autels de Rome? Nous ne ſommes Reformés que pour avoir quitté Rome, & cet homme nous y veut remener pour y reprendre ce que nous y avons laiſſé. Nous ſommes la courtiſane repentie, qui s'eſt retirée du ſervice & ſouſtraicte de l'obeiſſance de la grande paillarde, & ce nouveau ſainct fait ce qu'il peut pour nous forcer à eſtre la courtiſane repentante de s'eſtre repentie. S'il poſſede des verités ſi claires & ſi fortes quelle puiſſent donner dans la viſiere des plus aveugles, & quelles ſoyent inesbranlables à quicunque les voudroit choquer, pourquoy les retient il ſi long temps cachées? pourquoy les deſguiſe-il? pourquoy ne les prononce-il qu'à demi bouche? pourquoy le temps n'eſt il pas encore venu pour les eſtaller? Ce ſont, dit il, des paradoxes qu'il ne le ſeront plus, lors qu'il aura approché le flambeau pour diſſiper les tenebres qui les tiennent encores enveloppés. C'eſt faire tort à la Religion de luy deſnier ſi long temps des eſclairciſſements ſi neceſſaires au ſalut de ſes nourriſſons. Les Apoſtres n'en ont pas fait ainſi, il ſe ſont monſtrés plus charitables au genre humain qu'il crouppiſſoit, lors qu'ils ont eſté envoyés dans de profondes tenebres d'erreur & d'ignorance. Ils preſchoient des verités fort extravagantes, & diametralement contraires aux ſentiments des peuples de leur temps, mais il les annonçoient clairement, hautement, publiquement, par ce que c'eſtoient choſes qui regardoient le ſalut des hommes & leſquelles il ne vouloient*

pourtant ni ne devoient en aucune façon diſſimuler, deguiſer, ni differer à un autre ſaiſon. Ie trouve neantmoins que noſtre nouvel Apoſtre, quoy qu'il die & qu'il nous promette de plus grands eſclairciſſements de ce qu'il a dit, imite aſſez bien en cela les vrais & anciens Apoſtres, & qu'il parle auſſi clairement qu'eux, mais ce ne ſont pas des oracles ſi vrais que les leurs, ni ſi ambigues que les profanes. Et m'eſtonne, veu qu'il ſe fait aſſez intelligiblement entendre qu'il croit que nous ayons encore beſoing d'eſtre eſclairés d'avantage. Il nous enſeigne ſans beaucoup d'obſcurité la primauté du Pape en qualité de Succeſſeur de S. Pierre, & ſon infallibilité: avec cette retenuë neantmoins, qu'il ne parle point de la puiſſance univerſelle en l'Egliſe, ni de la Monarchie. C'eſt donc ce qui luy reſte à dire ſur cet article, lors qu'il s'eſclaircira plus amplement. Non je me trompe, mais je croy pluſtoſt qu'il en demeurera en ces termes, parce que le ſens, & le deſſein de ceux qui veulent la reconciliation le requiert ainſi & que c'eſt une petite douceur de poudre de rigacliſſe, dont on envelopera la pilule, pour nous la faire tant mieux valler, en exigeant de nous ſeulement que nous croyions que le Pape a la primauté dans l'Egliſe pour la gouverner comme Succeſſeur de S. Pierre, qui avoit reçeu cette meſme puiſſance de Chriſt, ſans faire mention ni de Monarchie, ni de puiſſance univerſelle, qui s'entendra aſſez ſur les mots ſuſdits quand on s'eſtendra à les expliquer plus au long. De meſme pour le poinct de l'Euchariſtie, l'on ſe contentera ſi nous confeſſons que Jeſus Chriſt a changé le pain, qu'il a baillé à ſes diſciples en la Cene, en ſon corps, & le vin en ſon ſang, ſans qu'on nous preſſe d'advoüer que ce changement s'eſt fait les accidents demeurans ſans ſubject. Et pour cela on ne parlera point du mot de Tranſſubſtantiation. Si nous leur concedons la choſe, il nous remettront les termes, qui ne ſont bons qu'à effaroucher les foibles eſprits. Voila les moyens dont l'on veut ſe ſervir, & le chemin que l'on veut tenir en la reconciliation de laquelle on nous menace, & de laquelle il ſemble que le Sieur de la Miltiere ſoit Prophete, quand il ſe vante que dans ſix mois on preſchera ſa doctrine, & que ſi nous ne voulons eſtre eſclairés de volonté, que nous le ferons par force. Pour l'article du Sacrifice, je ne ſçay comment il peut en bonne conſcience & certaine ſcience faire diſtinction

ſtinction des Catholiques & des Evangeliques, ſe diſant Evangelique, & profeſſant ouvertement une doctrine tout à fait Romaine. Mais je voy qu'il ne fait aucune difference entre ces deux profeſſions, & que cette confuſion luy fournit un moyen tresfacil & tres-indubitable de reconciliation, ſi nous adherons à tout ce que l'on croit à Rome. Par ce moyen voila l'affaire faicte. Ie prevoy un grand mal qui doit arriver de tout cecy, & recognois une grande malice au perſonnage qui s'eſt donné à Rome, pour nous redonner, s'il pouvoit, à cette meſme Rome. I'eſtime auſſi que nos Paſteurs ont eu grand tort de le traicter ſi doucement, & ſuis d'avis qu'il falloit proceder contre luy ſuivant la rigueur de la diſcipline, & qu'il ne falloit point avoir compaſſion d'un homme qui n'a point à preſent de plus grande paſſion que de reſpandre ſon venin tandis qu'il ſera parmy nous, lequel n'auroit point d'effect ni d'efficace s'il eſtoit hors de chez nous. Vous luy rivés au reſte merveilleuſement bien ſes clous, & le rembarrés comme il faut ſur tous les poincts de ſa lettre, en l'un deſquels il eſt fort plaiſant, où il dit que l'Evangile ne luy a point donné de pain comme aux autres, mais le luy a oſté, & nous ſçavons tous qu'il a fait ce qu'il a peu pour eſtre nourri du pain de l'Evangile, mais les choſes luy ont ſuccedé à rebours. Il en prend maintenant une tres-mauvaiſe vengeance, l'Evangile l'a ruiné, & par deſpit il va ruiner l'Evangile. Ie ſuis,

MONSIEUR, Voſtre tres-humble Serviteur SAUMAISE.

EPISTOLA CI.

IOH. FRED. GRONOVIO.

HEri cum ad te ſcriberem, deſtinaram quærere ex te, cujus Poëtæ eſſet hoc hemiſtichium quod me alicubi legiſſe memini, *Fænoris accedat merces*: ſed nunc non ſuccurrit ubi legerim. Ea verba mihi apprime neceſſaria ad probandum quod intendi, contra omnes qui de Uſuris hactenus ſcripſerunt, quibus placet Fœnus idem eſſe cum Uſura, & quidem imperitè; adeo ut commune dictum nunc inter eos ambulet, Uſuras quidem ſe admittere, ſed Fœnus non admittere. Immo Fœnus, ut ego ſexcentis teſtimoniis Auctorum oſtendi,

non eſt Uſura, ſed pecunia credita ſub Uſuris ſive mutuum fœnebre. In eo hemiſtichio merces eſt Uſura, quæ pro uſu pecuniæ mutuaticiæ datur, fœnus ipſa pecunia quæ datur mutuo. Vide igitur an tibi memoria quam mihi fidelior, & ſi me potes in hoc adjuva. Nec enim puto me in bicipiti Parnaſſo perticulam illam verſus ſomniaſſe. De loco Statiano qui te exercet, ego viciſſim te juvabo. Scis multas interdum hariolationes perdendas eſſe, ut ad veram perveniatur, more infelicium ſcilicet aleatorum. De uno colle non poſſe intelligi, verba illa ſatis indicant, *ex ordine*: quæ in rebus numeri contiguis & quaſi in ordine euntibus tantum poni licet. Sic apud illum, *ſeptem totos ex ordine menſes*, item: *Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum.* Item eodem libro: *Tum noctem noctisque orientia ſigna, Idæumque Iovem Phrygiumque ex ordine matrem. Invocat & duplices Cœloque Ereboque parentes.* Multa talia poſſent afferri. Idem eſt quod ἐφεξῆς Græci dicunt, & antiqui ἐπιχερῶ. Ideo de reciprocatione vocum lætitiæ in montem jactarũ, ut ex monte repercuſſarum accipiebam. Sed ubi ille collis? Vide igitur an placere poterit nova mea conjectura. Legebatur fortean antiquitus in libro vitioſo deſcripto *ſe nosque*: unde ſequentes per tranſpoſitionem ſcripſere, *Nos ſeque*, & *noſſeque*. Omnino a manu Poëtæ fuiſſe putem, *ſenusq; ex ordine collis Confremat.* id eſt: ſeni colles urbis ex ordine confremant. Scis *terdenum militem* Poëtæ pro terdenis militibus, & *centenum remigem* pro centenis. Ita hic *ſenus collis*. Sed quare *ſenus*, inquies, cum ſint *ſeptem?* Imo ſeni tantum erant intra urbem. Nam Vaticanus collis trans Tiberim; nec olim habitatus erat, nec ad urbem pertinebat, ut inter omnes convenit, & clare id docuit Onuphrius in urbis Romanæ deſcriptione. *Senus* ergo *collis confremat*, qui intra urbem ſcilicet: *ex ordine*, id eſt, contigue & ſine ulla interruptione; quod de Vaticano non poterat, qui Tiberi ab aliis diviſus ac veluti diſſociatus. Alias ſi admittere & illum voluiſſet, Poëta potuiſſet dicere: *ſeptenusque ordine collis*: ut alibi: *ſeptem-gemino æthera pulſat colle Roma.* Non memini integri loci. Tu vale & me ama. xx. Maij. CIↃ IↃ CXXXVII.

EPI-

EPISTOLA CII.

IOH. FRED. GRONOVIO.

TUis, quas heri accepi, ſtatim meo more reſpondiſſem, niſi occupatio tunc me tenuiſſet, cui præverti debui. Librum illum Hiſpani Doctoris de Uſuris libenter videbo. Non enim verba tantum in eo opere tracto, ſed etiam res, nec puduit totum Molinæum legere, & aliquot alios, ut ſaltem eos in multis refellerem. Mitte igitur quam primum, quem ubi legero, ſi tanti primo aſpectu videbitur, remittam; ſi non legero, tanto citius. Hephæſtion in Enchridio, capite περὶ συνεκφωνήσεως, citat Sotadem ἐν τῇ Ἰλιάδι; hoc verſu: *Σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ᾽ ὦμον.* Ad quem locum Interpres vetus ita notat: *Ἰλιάδα ἔγραψε Σωτάδης μεταθεὶς τὰ τοῦ ποιητοῦ εἰς ἴδιον μέτρον.* In ſexto Faſtorum locus Ovidianus perperam à Scaligero mutatus. Nihil mihi mutandum videtur. Auctorem eſſe dicit in inceſto qui Palladium in urbem intulerit. Rem eſſe Romanam ait, id eſt, jam eſſe penes Romanos, quicunque tandem auctor eam illis dederit. Tuetur, inquit, Veſta; tradita eſt tutelæ Veſtæ, in ipſius nimirum æde aſſervanda. Quare præcipue Veſtæ ſervanda data? Quod aſſiduo lumine cuncta videt. Quod cum perpetuus ignis ſit in ejus æde, facile aſſiduo ex eo lumine cuncta videre poteſt, ne quis nimirum intret, qui Palladium furetur, ut ante ereptum fuit Priamo, ſive ab Ulyſſe, ſive ab Ænea, aut alio quo. Recte judicas, *ſeptenusque ordine collis*, nimium abeſſe à veſtigiis antiquæ ſcripturæ. At minimum recedit *ſenusque*, cum ſola tranſpoſitione peccet. Quod tibi nimis videtur eruditum, neſcio an id obſtare poſſit, quo minus recipiatur. Illud *ex ordine*, de pluribus collibus ordine junctis, continuis aut vicinis probat accipiendum. Sic apud Ovidium tuum de curru Solis, *poſitæque ex ordine gemmæ*. Tales ſeni tantum Romæ colles. Nam Vaticanus, ut extra urbem, ita trans Tiberim; non igitur ex ordine cum reliquis. Deinde cum dicat colles illos Romanos confremuiſſe vocibus lætantium,

tium, gratulantiumque de ſanitate Rutilii, non in eo numero locum habere potuit Vaticanus, qui in loco minimè habitato poſitus, ſed plane extra Urbem. Conſidera hæc penſiori examine, fortaſſe mecum ſenties. Si tibi aliqua melior ad manum conjectura, cur non eam mihi indicare dignatus es, ut ſtatim ei ſubſcriberem. Vale Eruditiſſime Gronovi, & quod hactenus te feciſſe video, bonæ menti litare perge, cujus in ſacrarium paucos in his locis admiſſos conſpicio. ἔρρωσο καὶ χαῖρε. Non tantum bona mens, ſed etiam judicium rectum hinc prorſus exulant. Iterum vale. A. D. PR. Kalendas Junias CIↃ. IↃ. CXXXVII.

EPISTOLA CIII.

JOH. FRED. GRONOVIO.

HEri tuas accepi, Eruditiſſime Gronovi, cum libro Doctoris Hiſpani, qui mihi uſui futurus eſt, ut cæteri ejuſdem farinæ, quos tamen legere non ſum dedignatus. Si non ob aliud, ſaltem ut refellantur inſpiciendi ſunt. Sed nemo magis refelli, immo repelli meretur, ultra omnium elegantiarum & eruditionis fines quam ipſe cum mea illa præclara, ſi Dis placet, in * loco conjectura. Bonam mentem, quam tibi poſterioribus commendabam tantopere, non ipſi mihi tunc adfuiſſe fateor, ſed nec meis oculis rectè uſum fuiſſe qui legerim *. Properantiæ hæc condonabis, & aliarum rerum occupationi, quod ita tamen te velim facere, ut & ipſam epiſtolam, in qua cubat tam infelix & inficetum conjectaneum aut comburas aut canali immergas, niſi etiam malis, quod ipſius meritum eſt, turpius eam perdere. In alio meo codice vidi me probaſſe illam, quam tu, ſcripturam. Aliam nunc in penſationem illius improbæ objiciam examinandam. In Poëmate de Nuce, neſcio an aliquis vitium in hoc verſu viderit:

Hæc mihi perpeſſæ, domini patienda querela eſt.
Cauſſabor quare ſit lapidoſus ager.

Immo, *Cauſſa habeor*. Difficilius eſt illud diſtichon ſub finem:

Corpora præbemus plagis, & ſæpe ſagittis,

Cum

Cum populus tunicas depoſuiſſe vetat. Huic Poëmati argumentum præbuit vetus Epigramma Antipatri ex lib. I. Anthologiæ, cui titulus in veteribus membranis εἰς καρύην πεφυτευμένην ἐν τῇ ὁδῷ. Εἰνοδίην καρύην με παρερχομένοις ἐφύτευσαν, Παισὶ λιθοβλήτου παίγνιον εὐστοχίης. Vale & me ama XXXI. May CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA CIV.

IOH. FRED. GRONOVIO.

HEri non potui tuis reſpondere quas hora ſeptima veſpertina accepi. Hoc erat, quod de te ſubverebar. ** Sed bene quod alium te erga me eſſe oſtendiſti, & quæſo te, ut pergas eſſe. Verum mihi dici volo, nec à quoquam corrigi atque in viam reduci, ſi deerravero, abnuam unquam. De rejectione Judicum quod petis, utrum protinus & ſtatim atque à Prætore editi eſſent judices, removeri ſuſpectos petierint partes, an dies præfinitus fuerit rèo, intra quem ad hoc auxilium confugere deberet, certe nunc non ſuccurrit quid dicam, & libri eſſent ad hoc evolvendi qui ad manum non ſunt, & locus Ciceronis qui non tibi, nec mihi occurrit. Quod memoria ſuppeditat, hoc poſſum dicere, mihi videri ſimul ac ex urna educta eſſent nomina judicum, cum accuſatori tum reo ſtatim factam copiam, quos ſibi iniquos putarent fore, aut adverſario faventes, rejiciendo. Rejectione celebrata, aliorum nomina in urnam mittebat Prætor in eorum locum, qui rejecti eſſent, ut judicum legitimus numerus conſtaret. Hæc *ſubſortitio*, niſi fallor, dicebatur, ut prima, *ſortitio.* Qua peracta ſecunda ſortitione judices in leges jurabant, ut religione obſtricti judicarent. De * omnia penè exhauſta ſunt. Tu plura & meliora occupaſti, & quædam ex his, quæ etiam obſervaveram. ***. Quidam amicus per litteras nuper ad me ſcripſit diſceptatum fuiſſe Lutetiæ in magno conventu Litteratorum de ſenſu hujus verſus Martialis .. Quæſivit quaſi de re magna & ſeria ageretur, quis eſſet ille eques ahenus. Reſpondi quæ viſa

ſunt. Tu quid cenſes. Cave tamen cum quoquam hæc communices. Turpicula enim ſunt. Et nolo quiſquam ſciat bellas hujuſmodi quæſtiones ad me deferri. Vale & me ama. Leydæ IV. Id. Junii. CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA CV.

JOH. FRED. GRONOVIO.

DE loco Ovidiano, dudum eſt cum eum caſtigavi. Mea illius loci emendatio ex genere eſt earum, quas ſum veritus tibi exprimere, quia aſſenſum fortaſſe tuum non impetrarent. Sed quoniam nunc rogas, quæ mea ſit ſententia, neceſſe eſt ut eam tibi oſtendam. Lego proxime ſcripturam codicum: *jam nunc contecto magnus in ore ſonus*. Opponit quæ habet ex Tragœdia his quæ ipſi conferre poteſt Elegia. Tragœdia, inquit, me ſceptro decorat & alto cothurno. An his tantum? Immo & jam nunc contecto in ore magnus ſonus, id eſt, qualem expetit Tragicum argumentum, grandis ſonus *ore tecto*, id eſt, προσωπείῳ velato pronunciandus. Perſonatos diverbia ſua pronunciaſſe Tragicos actores, & Comicos veteres, nemo quod ſciam ignorat. De magno ſono Tragœdorum vel hic verſus Satyrici fidem fecerit: *Fabula ſeu mæſto ponatur hianda Tragœdo*. Poſſem adſerere illam conjecturam multis, ſi opus eſſet. Apud eundem Satyricum nuper, cum aliud quærerem, forte incido in illud verſus ἀποσπασμάτιον, quod me diu fatigatum quærendo & exercitum habuit, de quo etiam tibi moleſtus fui: *fænoris accedat merces*. Eſt in Satyra VI. ubi Caſaubonus fœnoris mercedem ἀντὶ τοῦ fœnus interpretatur, quod eſſe mercedem ait pecuniæ mutuò datæ. Immo fœnus ibi credita eſt pecunia ſub uſuris, cujus merces eſt uſura. Sed omnes iſti errarunt, non ille tantum vir aliàs ſummus & ſuæ ætatis doctiſſimus. De ſtatua equeſtri verum eſt, ſed aliter id ſum interpretatus, quod nunc ut pluribus explicem non eſt otium. Accepi Epiſtolam Caſauboni ab illo Senatore noſtrate, quam cum altera quam jam

ad

ad te miſi, jungas velim. Sed quid ſit illis epiſtolis? Nihil enim audio. An interrupta alio opere earum editio? Fac quæſo ſciam. Non licuit hic mihi nanciſci (tam multos habeo amicos) veterem Horatii interpretem Acronem aut Porphyrium. Si habes, inſpice ſodes ad verſum illum: *Hic quinas capiti mercedes exſecat*, quomodo explicent. Nullum hic etiam habeo recentiorum interpretum. Indica etiam, rogo te, quomodo illum locum accipiant; nam certus ſum non ab illis poſſe exponi. Vale & me amare perge. XVI Junij CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA CVI.

JOH. FRED. GRONOVIO.

BReves immo perbreves à me hodie accipies, quia longiores non poſſum præ brevitate temporis quod mihi vacuum eſt. Commodum à concione redeo, & convivas in prandio habeo, quos jam jam exſpecto. Gratias ago pro indicatis expoſitionibus interpretum Horatii. Mallem ſciſſe quid ibi dicat vetus Scholiaſtes: ſed quoniam ille tibi non ad manum, videbo an alicunde poſſim nanciſci. Qui de centeſima aliquid viderunt, ſine dubio ab eo id hauſere. Omnes tamen, quod futurum prædivinaram, male interpretantur. Quinæ centeſimæ quas iſte fœnerator ſorte exſecabat vel pro ſorte exigebat, ſexaginta in centum reddunt ſingulis annis. Quaternarum centeſimarum exemplum extat apud Ciceronem in epiſtolis ad Atticum, in hoc verſu quinarum. Hæc fuit maxima uſura. *Triplex uſura* apud Juvenalem pro terna centeſima: *triplicem uſuram præſtare paratus Circuit, & fatuos non invenit*. Cur hoc? quia legitima uſura tunc centeſima fuit. Hinc *duplex uſura* eſt duplex centeſima: *triplex, quadruplex, quintuplex* eodem modo. Sed hæc in libro, qui jam editur. De loco Ovidii, nihil verius lectione ſcripta, quam defendis, *minus* pro *magis*. Non ad teſtamenta, ſed ad mancipationem, quæ ære & libra fiebat, plane alludit. De illa mancipatione multa dixi in VIII. capite libri de Uſuris, occaſione ſumpta de alie-

natione rerum tractandi, quia Canoniſtæ pro Mutuo mercedem exigi non debere cenſent, quia pro eo, quod jam tuum eſt, exigitur; nam mutuum de meo tuum. Nugari illos oſtendo, & nullam in Mutuo fieri abalienationem doceo. Locum Varronis examinavi ex lib. VI. de L. L. Incertum mihi erat, quo ſenſu ſcripſerit: *Mucius Scævola, quæ per æs ac libram fiant & obligentur, præterquam quæ mancipio dentur*. Duas diverſas ſententias refert ſuper ſignificatione *Nexi*, Manilii & Scævolæ, ille Nexum generale nomen, quo res mancipii, id eſt, quæ mancipio darentur, etiam comprehendebat. Scævola, quæ per æs & libram fiant ut obligentur, *præterquam quæ mancipio dentur*. An his verbis à Nexo excludit mancipationem? Ita mihi viſum eſt. Nam ſi præter illa quæ mancipio dantur, ſignificari etiam diceret, quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, ſententiæ Manilii accederet. Deinde Varro ita plane accepit, cum addit quod obligatur per libram, neque ſuum ſit, nexum eſſe, atque inde dici, quia nec ſuum ſit. Quid tibi videtur? Alias pluribus. Non brevis eſſe laboravi, ſed aliter, ut tempus eſt meum, non potui. Vale Gronovi elegantiſſime ϰ̀ χριπκώζατε. Leydæ, XII. Kal. Julias CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA CVII.

IOH. FRED. GRONOVIO.

GRatum eſt, doctiſſime Gronovi, quod me tuarum curarum participem facere volueris; vel ante illos, quibus eos jure meritoque dedicaſti. Non opus erat tamen iſto me honore afficere, cum ante aliquot menſes egregiam hanc ſcriptionem magna ex parte impreſſam jam communicaſſes, & per partes in literis penè totam exhibuiſſes. Quæ ſingula probavi, non aliter fieri poteſt, quin univerſa ſummopere

mopere laudem. Hoc ſane & præter alios fortaſſe mei ordinis habeo, ut virtutem & doctrinam ſuis pretiis ęſtimare ſciam, non enormes & ὑπὲρ ἄνθρωπον laudes congerendo, ſed humanas, eoque veriores, quo ſinceriores. Laudant alii, quod neſciunt, quod non intelligunt, eoque propenſius effunduntur ad illa extollenda, quorum ſenſum non habent, æque commendare parati, quod pravum ſit, quam quod rectum. Cum dixero à multis annis in hac Academia non prodiiſſe opus, in quo limatiſſimi judicii & eruditionis conſummatæ plura veſtigia impreſſa appareant, veras ac tuas tibi laudes reddidero, non adſcitas nec fucatas. Hoc unum in te reprehendi ac culpari poſſe video, quod teneræ nimis mihi frontis videris adverſus eos, quos ſemel amandos aut admirandos ſuſcepiſti. Niſi hoc eſſet, ... Vides me Momi illius mimum agere, qui cum in toto Veneris corpore nihil haberet, quod reprehenderet, ad carpiſculum ejus deſcendit, quem carperet. De Nexo ſententiam meam expoſui capite quodam libri de Uſuris. Non enim mihi veriſimile viſum, Varronem iſtic labi potuiſſe. Et cum integra ſcripta Manilii & Scævolæ haberet, non potuerit mentem eorum aſſequi, nec melius quam nos eam expiſcari ex fragmentis, quæ ab illo citata ſunt. Hæc præterea ratio Scævolæ fuit, ut Nexum tantum de obligatione omni caperet, quæ per æs & libram fieret, & mancipii dationem inde excluderet, quia qui daret mancipio, vix ad ullam rem obligatus eſſet, niſi ad periculum judicii præſtandum, & defenſionem in judicio ſuſcipiendam, ſi res repeteretur. Non enim auctoritati obnoxius erat, non duplæ præſtationi, non ad id quod intererat emptoris rem non fuiſſe evictam. Hæc latius ibi expoſui, & quid eſſet auctoritas, & quid à mancipio differret, quomodo in illis intelligenda eſſet, ubi rei furtivæ æterna auctoritas dicitur in XII., & æterna auctoritas cum peregrino. De nexis qui nexum inierant ob æs alienum, cui non erant ſolvendo, dixi etiam in eodem opere: ſed non debes propterea tua delere. Attigi enim ea tantum, quæ pertinere viſa ſunt ad locum, quem ibi tractavi.

Poſtremo cum tibi ab iſtis memoria recentior ſit, plura & meliora potuiſti conquirere & colligere, quæ me fugerint. Denique nihil cauſæ eſt nunc, cur libros magnos debeam conſcribere, cum adeo levia & nugatoria ſcribam, ut quamvis craſſum volumen intra duas horas perlegi poſſit. Hoc nuper φιλολόγος ille dicebat, ſe apud te ante aliquot ſeptimanas, (an dies?) totas Exercitationes Plinianas intra bihorium percucurriſſe, & infinita ſuperflua deprehendiſſe. Tali homini quid faceres? Ad campos relegares, quo miſellum illum Manlium relegat, in Notis ad Agricolam, qui à patre tantum ad tempus fuerat relegatus. Meas ad Rivetum, ſi placet, curabis. Vale. Leydæ. Calend. Jul. CIↃ IↃ CXXXVII.

EPISTOLA CVIII.

IOH. FRED. GRONOVIO.

LIbrum quem ut ad tempus tantum dederas utendum, & ante tempus, quo διαδόσιν exemplarium amicis facere decreveras, tibi remitto, & eum retinui, quem ἀναφαίρετας dediſti; pro quo quantas poſſum gratias ago, cum fœnore etiam relaturus, ubi meus de Uſuris editus fuerit. Hac illac diſcurrendo quædam in tuo opere notavi, de quibus te monitum volui, etſi ea non tanti ſint, ut eorum debeas habere rationem. *Ripam* illam *Nili Cecropio ſtagnatam luto*, ſimpliciſſimum eſt interpretari firmatam & munitam nidis hirundinum. *Stagnans* aqua, quantumvis limoſa, hoc non poteſt præſtare, ut ripa firma ſit & undas coërcere idonea. Limus quidem aggeritur, & quod ſubinde aggeſtum eſt, aliam etiam ripam facit: nec enim manet eadem. Novo quippe adgregato limo nova ripa exoritur, non munita & firma, ſed primo impetu venientis torrentis abſceſſura, ut ſolet in fluminibus, quæ terram limoſam ſuapte natura & pinguem adluunt, ſi paullo violentiora ſint, & rapido agmine fluant. Hinc tam ſæpe alveos ſuos mutaſſe omnes legimus. Fac ſedatos ire, & alluvionem

nem etiam facere lento pede aggeſto limo, ut etiam in pluribus cernere eſt. Neque tales poſſunt ripam ſuam ita præſtare firmam & ſolidam, ut muri vice vel aggeris muniti undas repellat. Præterea non video, quo ſenſu dici queat *ripa ſtagnata*, ſi à ſtagno deducatur, quæ eſt λίμνη. *Stagnata* loca dicere eſt, in quibus aqua reſtagnat: ſed quæ limo aggeſto obhumata ſunt, ut loquitur Tertullianus, adeo ut ſpeciem τῆς ξηρᾶς præferant, quis unquam *ſtagnata* ea dixerit, quæro: præcipue ſi nulla aqua ſtagnante madeant, nec uliginoſa ſint. Si putas *ſtagnare* de nulla alia re dici poſſe, niſi quæ ſtagnum oleat aut paludem, quomodo eam ſignificationem trahes ad locum illum Juſtini libro XXXVII. c. III. ubi dicit Mithridatem, quod venena metueret, antidota ſæpius bibiſſe, & *ita ſe adverſus inſidias exquiſitis tutioribus remediis ſtagnaviſſe*. Nulla certe hic palus, nulla aqua ſtagnans ſomnianda eſt. Muniſſe ſe Mithridatem antidotis dicit adverſus venena, quibus appetebatur. Ne in altero quidem loco ejuſdem Juſtini vulgari notione τὸ *ſtagnare* poſitum eſt libro XXXVI. c. III. & ſi de lacu Aſphaltite ſermo ſit: *nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur*. Hic aqua *ſtagnatur* ipſa patiendi ſignificatu, non *ſtagnat*, non quæ ſuperfluat, ſed quæ denſetur, firmetur, ſolidetur, bituminis vi, adeo ut homines in ea natantes mergi non poſſint. *Stagnare* alia etiam notione ſumitur, pro ſtagno, quod eſt vulgare *ſtannum*, inducere & linere, quod Græci ϛεγανῶσαι dicunt. At *ſtagnare*, quod munire & ſolidare ſignificat, aliunde habet originem quam vel à *ſtagno*, quæ eſt λίμνη, vel à *ſtagno*, quod eſt κασσίτερον. Idem certe quod ϛεγνῶσαι, vel ϛεγανῶσαι ſignificat, unde & pro ferruminare accipitur. Gloſſæ veteres: *ſtagnat* ϛομοῖ. ϛομῶσαι inter alia & ferruminare eſt. Sed & indurare, unde ϛόμωμα ferrum duriſſimum, quod σκληρότατον τοῦ σιδήρου Græci exponunt. Et ϛομῶσαι σίδηρον. Inde & ſanguinem ſiſtere *ſtagnare* dixerunt, quo uſus eſt Sammonicus, quamvis *ſtangare* pro dixerint tranſpoſitis literis recentiores. Nam & Græci barbari ϛάγγον quoque pro ϛαγνὸν uſurparunt. Inde Corona pretioſa apud

Digitized by Google

apud Meurſium: στάγγος *ſtannum*: κασσίτερον verbum illud *ſtangare* pro ſanguinem ſiſtere , aut quemcunque alium humorem , qui effluit & abundat , reprimere vulgo dicimus. *Ripa* illa *ſtagnata Cecropio Luto* moles eſt Plinio in Oſtio Heracleotico inexpugnabilis , evaganti Nilo oppoſita, & ſtructa ex nidis hirundinum , unius fere ſtadii ſpatio , quod humano , inquit , opere perfici non poſſet. Tuum eſt videre an *ſtagnata ripa* in Statio intelligenda ſit, quam Nilus ſtagnando fecit, induxit, & limo auxit , cum tota illa ſtagnatio hirundineo operi imputari debeat. *Coma ſaucia Niſi* etiam mihi ſauciat cerebrum, nec poſſũ tuæ ſententiæ accedere. *Purpurei* ibi dicitur *coma ſaucia Niſi*. Non eſt certe purpureus , niſi ob comam. Si ſauciam quoq; accipimus pro purpurea, erit purpurea coma Niſi purpurei. Atqui non alia de cauſa purpureus à Poëta vocatur, niſi ob comam purpuream. Hoc quam longe à nitore Poëtæ ſit , facile perſpicis. Deinde dubito , an *ſaucium* pro purpureo capi poſſit. De *cruento* aliud eſt. Nemo enim cruentus niſi cruore ſparſus, hoc eſt , ſanguine. *Sanguineus* autem color pro purpureo. At *ſaucius* dici poteſt etiam qui non cruentus. *Amore ſaucius*. Tralatum hoc dices. Euge. An non ſaucii ita multi ut tamen ſanguis non manet ? Contuſio ſauciat , & alium etiam colorem loco inducit , quam purpureum , niſi purpureum pro nigro intelligamus. At non ea purpura inſignis Niſi coma fingitur Poëtis. *Saucium* pro mœſto ac triſti ſua ætate invaluiſſe vulgari ſermone notat Nonius. Quo ſenſu etiam reperire eſt apud Auſonium :

Saucius ac lævo lumine caſſus eras.

Priorem verſum non memini. Hoc dico , ut etiam hinc differentia inter *ſaucium* & *cruentum* dignoſcatur. Nemo enim *cruentum* pro mœſto diceret. Quæramus itaque aliam interpretationem *comæ ſauciæ*. *Igne comato* olim legebam in verſu Calpurnii pro *cruento* , ex libris qui habent *cremato*. *Affectionem* pro colore & tinctura quod in loco Tertulliani accipis , vereor ut poſſis probare. Alia plane mens eſt Afri auctoris. Sed nec *afficere* uſpiam pro tingere reperies. *Sufficere*, *officere* , *inficere* ,

Digitized by Google

ficere, *conficere*, eo ſenſu tralatitia ſunt, in diverſo tamen tincturæ genere & gradu, quæ omnia minutiſſima ad Arnobium diſpunximus. Hæc non carpendi ſtudio à me dicta boni conſulas velim. In meis ut eadem libertate utaris, permitto. Raptim. Iterum gratias ago. Vale & me ama. XII. Julii CIↃ. IↃ. CXXXVII.

EPISTOLA CIX.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

RESumam arma, Vir Ampliſſime, quorum uſus hic crebrior, nullo reſpectu eorum quæ mihi nativa ſunt, quibus fortaſſe nec melius uterer, quo recentior ſum ab auctorum lectione qui lingua iſta loquuntur, quàm à nutricis lacte quæ me illam alteram docuit. De Fœnore ut res ſunt nonne fateberis haud meliorem & convenientiorem his locis dari à me potuiſſe tractatum ubi hominem πάντες τοκισταὶ, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. Præterea penſanda fuit hæc uſura mora temporis, quod in hac Academia conſumpſi ſine ullo fructu ſtudiorum meorum. Multa ſane ad hoc argumentum pertinentia congeſſi, quæ non concordant cum hominum doctiſſimorum, qui hactenus de ea re ſcripſerunt, ſententiis. Græcorum præcipuè Uſuras malè à noſtris explicatas fuiſſe oſtendo, de quibus omnium ultimus cum tractaverit ὁ μακαρείτης Scaliger in opere poſtumo *de Re nummaria*, nihilo melius illas quam alii fecerunt elucidavit. Fœnus etiam & Uſuram non ita diſtinguenda cenſeo ut vulgò noſtris Juriſconſultis placuit. Nam Fœnus doceo nihil aliud propriè fuiſſe quam δάνειον ἐπίτοκον, eoque nomine diſtinctum à Mutuo, quod erat gratuitum. Si Fœnus aliquando & pro Uſura ſumitur, id abuſive dictum, & de ea tantùm Uſura uſurpandum demonſtro, quæ ex cauſa Mutui fœnebris exigebatur. In ſumma, Fœneratores in bene morata Republica tolerari poſſe, modò exceſſus tollatur, καὶ τὸ ὑπὲρ μέτρον, modusque improbitati & avaritiæ

 à lege

à lege certus imponatur pro ratione temporum & locorum & hominum. Inter נשך & תרבית nullam eſſe differentiam, niſi reſpectu creditoris & debitoris, detrahit illa ex ſubſtantia debitoris, addit iſta ad creditoris opes. Pluribus hæc confirmare ſtudui, & liber in ſatis magnam molem exiit. Minutiſſima litera excuditur in octavo, & triginta circiter foliorum erit. Properant ſub prælo ***. Non miraberis ubi videris. ***. XIV. Marci καὶ μετ' αὐτοῦ ὄχλος μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων. Reprehendit Bezam & veterem Interpretem quod veterunt *cum gladiis & fuſtibus*. Nam μάχαιρα in gloſſario H. Steph. exponitur ſica. Eſſe igitur pugionem & brevem gladiolum. Quaſi verò illi venerint cum fuſtibus & brevibus gladiolis, & non cum gladiis & machæris longis potius. Apud Polybium & alios idoneos Auctores μάχαιρα paſſim de gladio. Talia infinita ſunt. In Arrianos ſæpe invehitur, Pontificiis parcit. Ἡμιόλιος τόκος eſt ſeſquicenteſima, Κεντηνάριον centum ſunt libræ. Raptim. Leydæ, v. Julii. CIƆ IƆ CXXXVII.

Barnabæ Latina non habui, prius urbe exceſſi quàm ille qui promiſerat fidem liberaſſet, ſi haberem, tu quoque haberes. Vale, Vir Ampliſſime, & me ama.

EPISTOLA CX.

IOH. FRED. GRONOVIO.

SChedas tuas tibi remitto, in quibus plurimas obſervationes vidi doctiſſimas, & bona fruge, ut ille ait, offertiſſimas. Si tale totum opus erit, quale hoc δεῖγμα eſt, ut eſſe non dubito; gloriam tibi pariet iſte labor, & ſtudioſis literarum utilitatem impenſe magnam. De *Salamine vera* videor mihi hoc idem obſervaſſe, ad Hiſtoriam, ſi forte, Auguſtam, aut in Plinianis. Non enim bene memini, nec libri ad manum ſunt. Bis terve quæ exemplaria pro meo uſu ſervaveram, coactus ſum amicis dare, qui ſibi non donata queſti fuerant. Sic ego careo. Nihil tamen tibi affirmo, & poteſt mihi me-

hi memoria imponere ex eo, quod ipſe ita in mente habuerim. Pro *infeſta ſtatione* apud Calpurnium, quod vix ferri poſſe judico, (nihil enim amœnius tali ſede ac ſtatione, qualem ibi memorat, ſub platani umbra, adſtrepente garrulo fluvio) vide an diviſim legi melius ſit, *In feſta ſtatione*. Neſcio quid ſit fiſtula *bilatris* apud Marcianum. Hoc ſcio, de fiſtula non idem olim factum, quod de tibia, ut duæ ſimul inflarentur. Qua de re nos pluribus ad Hiſtoriam Auguſtam. Hinc illud Martialis:

Sæpe duas inflat, ſæpe monaulon habet.

De fiſtula alius mos. Ea ſeptem harundinibus compacta. Nec poterant hujuſmodi combinari, dum inflarentur. Fuere quidem & μονοκάλαμοι σύριγγες, ſed nec illæ binæ unquam, quod ſciam, uno ore inſpirari ſolitæ. Præterea hoc poſſum tibi affirmare, me contuliſſe olim Marcianum cum duobus vetuſtiſſimis exemplaribus, uno ex Regia, altero ex Thuanea Bibliotheca, in quibus diſerte ſcriptum offendi, *ſibilatrix*: idque proprium fiſtulæ: nam συρίζειν eſt ſibilare, unde σύριγξ. Egregia tua obſervatio de ratione auri excoquendi apud aurifabros, ſed parum convenit loco Maniliano. *Cererem* pro palea dici non poſſum concoquere. Fac potuiſſe ita loqui Manilium, deberet ſtatim ſubjici hic verſus poſt auri mentionem, *quicquid & auro, conſumentque foci Cererem.* Atqui ſubjungitur poſt ferri & æris fuſionem, quibus fundendis palea non adhibebatur. Sum tamen in eadem tecum ſententia, perperam περὶ μαγείρων Scaligerum interpretari. Vitioſa etiam manifeſte lectio, quam ſic olim emendabam, *Quod ſumantque foci Cererem.* Quod, inquit, ferrum atque æs fornaces ſolvant, quod foci panem ſumant ad coquendum, tua iſta munera ſurgent, ô Capricorne. Quicquid ignis ageret, ſub eodem ſigno cenſeri ibidem dixit. Poſſet tamen etiam ſcribi, *cum ſumentque foci Cererem*. Quidvis ſane potius verum ſit, quam de modo illo fundendi per paleas auri intelligatur. Locus alter ejuſdem Manilii depravatiſſimus etiam ſemper mihi viſus. Medicina, quam adhibes, nondum ſat certa mihi videtur. Quid enim, rogo te, *collis* ibi

 facit,

facit, aut quam ad rem conſeritur. De florum & coronamentorum ſtudioſo ibi loquitur, qui hortum variis hujuſmodi floribus, ad coronas & ſerta idoneis conſerit. *Colles* ad hoc electos nondum legi. Bacchus amet colles: vitibus itaque aptiores quam floribus. Longe ineptiores qui *colem* refingunt. Quid enim cauli cum floribus. Conſtitutio præterea claudicat. Quo enim referes iſta, *pallentes violas*, cum verſu ſequente? An ille colet hortum ſimul & pallentes violas? hæc non cohærent. Ille colet hortum floribus gemmantem, violas & hyacinthos, lilia & papavera, roſam collemque conſeret. Ita iſta concipiuntur. Deinde *cæruleum foliis collem* dici, qui arefactis foliis arborum vicinarum conſtratus ſit, ut tu exponis, quale ſit, quæſo, conſidera. Quomodo enim conſtratus ille collis queat eſſe foliis, niſi arborum in ipſo conſitarum? Vicinæ colli arbores folia ſua in eum non poſſunt mittere, ut totus iis conſternatur. Præterea iſte elegans hortorum cultor, quomodo patietur collem floribus conſitam, conſterni foliis arborum. Poſtea iſta conſtratio non totius anni eſt, ſed ejus temporis quo folia cadunt. Denique ſi floribus iſte collis conſitus eſt, non poterit arboribus vacare. Poſt omnia *cæruleum* à foliis, quibus conſtratus eſt, appellari neutiquam probem. Nec enim cœrulea folia ſunt cum cadunt. Alium quippe colorem habent, quem Latini *xerampelinum*, nos vulgo à mortuis foliis nominamus. Cum hærent arboribus folia, ne quidem cœrulea ſunt, ſed viridia. Nec oppones mihi *cæruleum* cum viridi à Poëtis confundi. Hic omnes colores ſcitè diſcrevit hoc loco, *pallentes* violas appellando, *purpureos* hyacinthos, *tyriam* purpuram referentia papavera. Deinde aperte in hoc ipſo verſu diſtinguit viridem à cœruleo: *Cæruleum foliis viridemque in gramine collem.* Tu *viridem in gramine* interpretaris ſolo gramine infœcundum. Quod ego non aſſequor. Si viridis eſt gramine ille collis, non poteſt eſſe infœcundus gramine. Si gramine porro conveſtitus, quî conſitum dices floribus? Gramen ſponte provenit, at conſitum dicit gramine. Si conſitus gramine, non vacabit floribus.

Digitized by Google

floribus. Multas vides me poſſe movere quæſtiones, nullam explicare. Si mei judicii res ſit, ſuſpicer ſub illo corrupto *collis* nomine, florem aliquem latuiſſe hactenus. Omnia quippe eo ferunt. Enumerat florum varia genera, quibus ille hortorum amator conſerit hortum ſuum, violas pallidas, purpureos hyacinthos, lilia, papavera tyria, roſam rubentem, *cæruleum foliis*. Quid? Quid? Habeo ad manum conjecturam veterem, quam non confido tibi probatum iri. Dicam tamen. Nam & verſus ſequentis inde pendet ſententia. Quomodo enim iſte hortorum cultor prata depinget veris figuris? Non ſeruntur flores in pratis. Sed è contra, quæ in pratis ſponte naſcuntur, ſtudioſe ab iſtis amatoribus florum quæruntur, & transferuntur in hortos. Suſpicor igitur ſcripſiſſe Manilium:

Cæruleum foliis viridemque in gramine amellum
Conſerit, & veris depingit prata figuris.

Habet à Virgilio. *Amellus* flos in pratis naſcitur. *ipſe aureus*, ut inquit Poëta, *ſed in foliis, quæ plurima circum Funduntur, violæ ſublucent purpura nigræ*. Hic violæ nigræ color ſubluceus Manilio *cæruleus* eſt. *Folia* in floribus quid appellentur, alibi docuimus. Fila capillacea, quæ in medio calice floris, ea dicit eſſe aurea, id eſt, lutea, folia ipſa floris cœrulea. *In gramine viridem amellum* appellat, quia inter gramen provenit in ipſis pratis. Inde qui flores ſectantur, collectum & cum radice decerptum in hortos ſuos transferunt, & ſic *veris depingunt prata figuris*: id eſt, ſuis ac nativis coloribus ac ſpoliis prata ſpoliant. Nam *depingere* hic contrarium τῷ pingere, hoc eſt, picturam auferre è pratis. *Amellum* qui neſciebant quid eſſet, pro eo poſuerunt *collem*. Mage majores in eo depravationes reperiri ſcio. Audacem tamen conjecturam fateor. Sed ſine audacia non vincuntur talia monſtra. Pro *depinget*, ſi nimis abſonum videtur, *definget* poteſt legi. Quo ſenſu reperitur apud idoneos auctores, τῷ *fingere* contrarium. Et ſatis bene cum *figuris* convenit. Quæ ſequuntur in eodem Manilii loco etiam peſſime ſe habent in his: *Effingetque*

que ſuum ſimiles. Memini quo ſenſu ſæpe reperiatur illud *ſuum* in ſcripto Manilii. Cæterum vix mihi perſuaſeris, *ſuum ſimiles* pro ſuorum ſimilibus hic poſitum. Sola interpunctione mutata medebar ſcribendo :

Aut varios nectet flores, ſertisque locabit,
Effingetque ſuum. Similes in mutua preſſos
Incoquet, éque Arabum ſylvis mulcebit odores
Et Medicos unguenta dabit referentia flatus,
Ut ſit adulterio ſuccorum gratia major.

Tria hic hominum genera recenſet, qui ſub Corona Ariadnæ naſcuntur, στεφανωματικούς, στεφανοπλόκους & μυρεψούς. De στεφανωματικοῖς in ſuperioribus, quæ explicata ſunt. Hic de στεφανοπλόκοις, qui varios flores nectendo & ſertis locando ſuum effingunt. ſubaudi, florem aut opus. Varios miſcendo naturales flores, ſuum quodammodo florem in ſerto aut corona effingunt. Sequitur de μυρεψοῖς. *Similes in mutua preſſos Incoquet*. Multos flores ſimiles, id eſt, odoratos, in mutua preſſos incoquunt. Hoc proprium μυρεψῶν, multa ejuſdem aut ſimilis odoris una incoquere & unguentum ex omnibus unum efficere. Dioſcoridis liber περὶ μύρων hoc docebit. Ut στεφανοπλόκος ex multis floribus unum quaſi florem & ſuum facit, ita ex multis odoribus unum, id eſt, unguentum concinnat μυρεψός. Vale & me ama. Leydæ, XXII. Aug. CIϽ IϽ CXXXVII.

EPISTOLA CXI.

JOH. FRED. GRONOVIO.

Doctiſſime Gronovi, ſcis imitari peritos pugiles, qui ubi cavere non poſſunt, ne feriantur, hoc ſaltem ſtudent, ut ſtatim referiant. Quæ de Cyclo ſcripſi, aut vera ſunt, aut objectiones, quas contra attuliſti, veræ & ſolutæ. Si tales iſtæ, vana & inania, quæcunque de Cyclo notavi. Niſi enim fruſtra ceciderit, quod objeciſti, non poſſunt noſtra ſtare. Prius tamen omnia erant refellenda argumenta quibus adſtruxi

adſtruxi Κύκλον non eſſe unius Poëmatis nomen, ſed diverſorum, quam ad iſtas objectionum tragulas venires. Si enim maneant illa inconcuſſa, nihil poteſt contra ea objectari, quod ſit alicujus momenti. Negavi Κύκλον aliter dictum, niſi de collectione variorum Poëtarum, qui Κύκλον componebant. Cur igitur Ariſtoteles dixit, τὰ ἔπη τοῦ Εὐμήλου Κύκλος? Certe quia ad Κύκλον illa pertinerent, & unus eſſet ille ex Poëtis, quibus conſarcinatus eſt Κύκλος. An hoc novum, ut pars pro toto, & totum pro parte interdum accipiatur? Κύκλος poëma Eumeli, quia τοῦ Κύκλου, quia partem Κύκλου faceret, quia eo modo ſcripſiſſet quo illi Poëtæ, quorum opera in compilationem Κύκλου congeſta ſunt. Non enim omnes idonei viſi, qui in eam collectionem incurrerent. Soli illi ad hoc delecti, qui fabulares hiſtorias ita pertexuerant, ut ab origine ad exitum uſque ſerie non interrupta deducerent. Ex his compilatus eſt Cyclus fabularum. Erat, qui Troïcum bellum conſcripſerat, à raptu Helenæ exordium ſumens, & in Trojæ Haloſi finiens, ordine continuo. Fuere porro qui reditum Græcorum in patriam literis mandarent à Trojæ excidio. Νόστους Græci appellant hujuſmodi ſcripta. In Cycli compoſitione adtexti hi ſunt auctores illis, qui Trojanum bellum digeſſerunt. Atque ita in cæteris. Sic corpus hiſtoriæ Mythologicæ conſummatum eſt. Quod argumentum Apollodorus in Bibliotheca exſequutus fuerat, totumque hauſerat ab Epico Cyclo. Homerus qui particulam tantum Trojani belli in Iliade deſcribendam ſumpſerat, iram Achillis, neque finem illius belli neque initium tetigit, ſed variis ἐπεισοδίοις ita opus ſuum adornavit, ut plus verſuum conſumpſerit in ira Achillis canenda, quam Κυκλικὸς aliquis Poëta in toto bello pertexendo. Nihil minus igitur quam Κυκλικὸς Poëta Homerus: ideo nec ejus Poëma Κύκλος, nec ad Κύκλον quicquam pertinens. Si omnes Poëtæ Heroici, qui aliquid tractarunt μυθικὸν, digni eſſent viſi & apti qui allegerentur in hunc ordinem, nemo poterat inde excludi, ſed omnis Poëta ἡρωικὸς etiam fuiſſet Κυκλικός. Utcumque hoc tuum viſum eſt: ſed quod ſecundo loco poſuiſti, an etiam tui genii? Non ſane vide-

videtur. Ab aliquo tibi ſuggeſtum eſt, quem refutare non auſus es, quia gratiam ejus volebas. Obtuſum certe ſatis telum. Quid hoc, inquis, dicere eſt: publica materies erit juris privati, ſi circa eam non moraberis: nam publica materies ipſe Cyclus eſt. Hæc ille dixit Gronovius, nec ſenſit quid diceret. Immo omnia dicit, qui ſic argumentatur. Unde Poëta argumentum ſumet operis, niſi ex publica materia? Niſi velis novam ab illo fingi, quæ indicta adhuc ſit & inaudita. At hoc non vult Horatius. Ex publico ſumendam præcipit. Atqui illa tota Cyclo continebatur. Publica, inquit, materies privati juris erit, ſi circa eam non moraberis. Non hoc ille dicit, non eſſe morandum circa materiam quam ſuſceperit tractandam. Quomodo enim hoc fieri poſſet, ut aliquis rem aliquam exſequeretur, ſcribendo; nec tamen moram in ea deſcribenda faceret? Sed non morandum ait circa patulum orbem. Ex Cyclo, inquit, ſumes materiam ſcribendi, quæ cum publica ſit, ſi tuo modo eam cœperis tractare, non eo modo, quo in Cyclo deſcripta eſt, tum privati juris erit, quod erat publici. Si quis hiſtoriam belli Trojani è Cyclo depromptam ita ſcribere inſtitiſſet, eodem nimirum ordine & modo, quo Cycli ſcriptores eam compoſuere, homo ille ex publica materia non faceret privatam, nihil enim quod eſſet ſuum afferret. Hoc ex verbis Horatii non poſſe evinci dicis. Vetat enim morari circa orbem, hoc eſt, detinere ſe & producere, quæ pertinent ad orbem quem intelligit. Hæc quorſum pertineant prorſus non intelligo. Ut mihi videtur, hoc ille vult, ſive Tragœdiam quis ſcribat, cujus argumentum ex Homero deſumpſerit, ſive Epicum Poëma, non circa patulum ac vilem orbem eſſe morandum: id eſt, non eſſe κυκλικῶς illud argumentum pertractandum, adeo ut more Cyclicorum Poëtarum ordine procedat in narrandis, quę geſta ſunt, ac prima primo, deinde conſequentia ſuo loco reddat. Quæ ſequuntur, id manifeſto oſtendunt:

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum feſtinat, & in medias res

Non

Non ſecus ac notus auditorem rapit.

Non damnat ἐπεισόδια, immo commendat. Male *orbem vilem* hic interpretantur τὸ τυχὸν ἐπεισόδιον. Quomodo enim ἐπεισόδιον eſt orbis, aut quare? Cur patulum etiam appellat? At patulus orbis & vilis eſt κύκλος aut Cyclicum poëma, quod res geſtas κατὰ πλάτος deſcribit, ut bellum Trojanum ab ovo Ledæ, reditum Diomedis ab interitu Meleagri. Hoc eſt, *circa patulum orbem* verſari ac *morari*, nihil eorum, quæ in fabula ſunt, indictum relinquere. At contra bonus & γόνιμος Poëta, quæ deſperat poſſe niteſcere tractata, relinquit, atque ita mentitur, ſic falſa veris miſcet, primo ne medium, ne medio imum diſcrepet. Quod non facit Cyclicus, omnia ordine exponit, nihil audet de ſuo addere, aut falſa veris miſcere: quod plerumque fit in ἐπεισοδίοις, qualia nulla habent Cyclici, & qui circa patulum orbem morantur. Qui legerant apud Ariſtotelem τὰ κύκλῳ λέγειν, ſtatim hoc arripuerunt, & putarunt *circa patulum orbem morari* idem eſſe quod τὰ κύκλῳ λέγειν. At id eſt circuitionibus uti, ita quæ circum rem ſunt & extra rem dicere, ut nunquam rem ipſam attingas, ut ſervi faciunt in furto aut alio delicto deprehenſi, quidvis potius dicere amant, quam id quod res poſtulat ac verum eſt. At κύκλος Poëticus non inde dictus. Immo Cyclici Poëtæ omnia, quæ ad rem pertinebant, nimis dicere avebant, nihil omittebant, adeo ut communia etiam ac vilia perſequerentur. Ideo & non ſolum *patulum orbem* dixit Horatius, ſed & *vilem*. Qui exorditur Trojanum bellum à gemino ovo, an aliquid prætermittere vult, quod ad eam hiſtoriam pertineat? Cyclus ipſe non inde tamen appellatus, ſed quia totum σύνταγμα hujuſmodi Poëtarum, qui hiſtoriam fabularum pertexuerant, hoc nomine fuit vocitatum, ex eo κυκλικοὶ dicti, qui eo modo res κατὰ πλάτος narrabant, ut illi fecerant. Κύκλος autem, ut σίφαρος, iſtis compilationibus inditum nomen. Fatentur certum eſſe hoc loco Horatii non de tragicis modo, verum & de epicis agi. Hoc ſaltem verè admonuerunt. Sed quod ſubjiciunt ſcriptorem Cyclicum eſſe Romanum aliquem, qui Trojanum bellum ab initio fuſe erat per-

Digitized by Google

ſecutus falſum. Nullus enim Poëta Cyclicus Romanus, nec ulli unquam κυκλικοὶ vere dicti, quam qui locum in illo συντάγματι, appellato κύκλῳ, haberent. Ad quorum inſtar & qui res latius inflatiuſque pertexebant, ab initio ad finem nihil omittentes, ſed omnia ordine perpetuo connectentes, dici etiam potuere Cyclici, & κυκλικῶς ſcribere, hoc eſt, *circa patulum orbem morari*. Qui omnia circumvehitur verbis, ut nihil indictum ſinat, poteſt etiam dici *circa orbem morari*. Nam *orbe curare* & κύκλῳ θεραπεύειν Medici appellabant hujuſmodi curandi methodum, quæ paullatim de diæta communi ſubtrahebat, deinde per eoſdem gradus ac numeros ſenſim ad priſtinum victus morem redibat, quaſi orbe quodam curationis. Nihil tamen hæc ad κύκλον ἐπικὸν, cujus alia denominationis ratio non poteſt adferri, quam quæ nobis allata eſt. Sed jam nimis ipſi circa hunc orbem vagati ſumus. De loco Maniliano, ignoſce, ſi tuam mihi pertinaciam non adprobas. *Suum* nunquam dicitur, niſi relatione facta ad rem, de qua ſermo eſt, aut ad hominem, de quo agitur. Nihil tertium eſt. Semper enim relativum hoc pronomen. Si diceres alios flores *ſuos* eſſe, alios facticios, quis te intelligeret, aut ſi intelligeret, quis Latine loqui te crederet? At ſi diceres, lanæ quædam ſunt *ſui* coloris, aliæ adſciticii, rectum eſſet. Illud *ſuum* ad lanas refertur, quæ ſui coloris ſunt, cum proprium tantum habent & nativum colorem, non alienum, nec fucatum. In hoc Manilii loco ſi legas, ut legimus, ὁ στεφανοπλόκος varios nectit flores, *effingitque ſuum*; illud *ſuum* refertur ad ipſum corollarum vittorem, qui ex pluribus floribus ſimul nexis unum & ſuum effingit, nempe facticium. Ibi *ſuus* color erat nativus, qui referebatur ad lanas, quæ cum ſuum colorem habent, nativum habent, unde & Græcis ἰδιόχροα appellantur. Hic *ſuus* erit facticius, quia relatio fit ad artificem, qui ſuum ex pluribus floribus florem non poteſt facere niſi facticium. Si vero ſcribatur, ut tibi ſcribi placet: *Effingitque ſuum ſimile*; quo referes illud *ſuum*, ſive ſuorum, cum neque de floribus intelligi queat, neque de artifice? Coronarum opifex varios nectet flores effingetque ſuorum

rum

Digitized by Google

rum ſimiles. Quinam erunt illi *ſui?* Nativi nimirum. Ut hanc ſignificationem habeant, referri debent ad aliquid. Nam vidimus illud *ſuum* ad artificem relatum, contrarium plane ſignificare. In noſtra vero interpunctione, quid eſt, quod tibi diſpliceat? Nonne verum eſt corollarum victorem ex pluribus floribus, quos ſimul nectit, ſuum quodammodo florem effingere? Deinde quod ſequitur, an non etiam veriſſimum, unguentarios ſimiles multos flores, hoc eſt, ejuſdem generis & odoris ſimul incoquentes unguentis parare? Per me tamen, quod libuerit, ſenties. non in hoc opes ſunt ſitæ reipublicæ. Nihil erat cauſæ cur mihi Florum in memoriam revocares. Scio me auctorem illum olim in Germania curaſſe edendum, cum vix quindecim eſſem annorum. Præter mea errata tot alia de ſuo accumularunt operę,ut fœtum illum nunquam pro meo agnoverim. Habeo tamen ad editionem paratum elegantiſſimum illum auctorem: qui ubi prodierit, ſi unquam prodit, oſtendet quid interſit inter puerilia rudimenta & maturioris ætatis curam. Finiam, ubi te prius ſummopere oravero, ut meam libertatem boni conſulas, æqualemque, aut etiam, ſi libebit, majorem in meis uſurpes. Quod ſi feceris, gratiſſimum feceris. Vale. Leydæ, xxx. Aug. CIↃ. IↃ. C XXXVII.

EPISTOLA CXII.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

VEllem, amiciſſime Gronovi, tam ſimpliciter in pectus tuum deſcendiſſent, quæ dixi, quam candide è meo exierunt. Libertas fortaſſe paulo crudior & ab auribus horum hominum, quibus aſſueviſti, alienior, in hanc de me opinionem te præcipitem dedit, quaſi ſuſpiciones aliquas de te ſequius conceptas hoc ſcribendi genere ulciſci voluerim. Nihil tale perſuadeas tibi me cogitaſſe. Quem à primis Epiſtolæ meæ verbis dicendi tenorem forte fortuna

Digitized by Google

ſumpſi, eum ad finem uſque ſine ulla mente mala pertuli. Excuſavi etiam in fine horridiorem ſolito ſtilum, quod ſatis eſſe putavi diluendæ aut delendæ amaritudini, ſi quam tuo guſtui reliqua epiſtola induxiſſet. Vis uno verbo me tibi ſatisfacere? offendere te nolui. Nec ſanè credidi te in aliam partem eſſe accepturum omnia, quæ ſcripſi, quam à me eſſent data. Hoc mihi plerumque vitium eſt, ut, prout ſcribendi impetus me cepit, ita nunc demiſſius, nunc inflatius, animi ſenſa in chartas effundam. Qui me norunt, facilè mihi iſta condonant, quia ſciunt nihil intus latere occulti veneni, quod fidentes & ignaros obſcuro morſu premat. Fateor tamen, ne quid manifeſta nimis negem, me ſuſpicatum eſſe tibi, cum illa de cyclo exarares, aliquem adfuiſſe, qui hæc tela adverſum me invito ſuggereret. Adeò quippe levia mihi viſa ſunt, ut objiciebas, ut à te profecta non crederem. Non id tamen me impulit, ut bilem ex imo ductam in te evomerem: quem quanti ſemper fecerim, ex quo primum mihi innoteſcere cœpiſti, quamque animo meo charum habuerim, ſatis ſciunt quibus cum quotidie converſari ſoleo. Memineram etiam pactionis inter nos conventæ. Oro te igitur & obteſtor, ne quid amplius tibi menti hæreat, quod exulceratam eam poſſit teſtari. Vale mi Gronovi, ac me amare, ut ante ſolitus, perge, ac ſi quod friguſculum ex aſperitate mearum priorum contraxiſti, totum in meam gratiam nunc depone. Iterum vale. Leydæ, Kalendis Septembribus CIↃ. IↃ. C XXXVII.

EPISTOLA CXIII.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

GAudeo te tibi reſtitutum, ut dolui te mea cauſa abs te diverſum abiiſſe. Tanti non erat, ut hoc faceres eorum gratia, quæ ſcripſeram. Sed quod ad me attinet, tanti certè fuit, ut exſculperem tanquam ab irato in calo-

calore animi ac fermento diſertiſſimam epiſtolam. Nunc igitur ad lineas, quas nobiſmetipſis præſcripſimus, ſtemus. Περὶ τοῦ πρύμναν κρούσασθαι: naves quæ ex alto paſſis velis veniebant, & verſus portum tendebant, proras contra portum verſas habebant, puppes ad mare. Ubi portum intraverant, ut in navali ſtarent, ſi diu ibi erant futuræ, ita ſanè relinquebantur, ut venerant, proris ad littus religatis. Ἐπιπρώρους νῆας Græci appellant. Heſychius: Ἐπιπρώρους, τὰς μὴ κατὰ πρύμναν προσεσχηκυίας, quæ non puppe ad littus erant appulſæ, nec littori πρυμνηδὸν adplicatæ. Si vero non diu erant ibi manſuræ, ſed ad paucum tempus, ut in procinctu eſſent, & quocunque tempore, primo vento, ad vela facienda paratæ, tum ubi portum inierant, convertebantur in puppem, ut puppis nimirum littori adhæreſceret: prora verſus mare reſpiceret, qui ſtatus eſt navis jamjam exituræ ac vela daturæ. Id ut fieret, ab una parte remiges eam incitabant, dum alterius lateris remigatio ceſſaret, ut ſic ſenſim converteretur, ac prora fieret loco puppis. Hoc igitur fuit, quod πρύμναν κρούσασθαι dicebant, vel etiam ἐπὶ πρύμναν κρούσασθαι. Cum navis retro agitur & pro prora puppim oſtentat, πρύμναν χωρεῖν dicitur, & πρύμναν κρούσασθαι, vel ἐπὶ πρύμναν, qui eam retroagit. Quod etiam fit in prœlio navali, dum fugam capeſſunt naves, quæ impetum hoſtilem ferre non poſſunt: loco enim proræ, quam pugnaturi in hoſtem obverſam habebant, ἐπὶ πρύμναν ἀνακρούονται, & πρύμναν χωροῦσι, vel, ut Auctor apud Heſychium, παλιμπρυμνηδὸν, οἷον παλίμπρυμνον χωρήσειν. Incertus auctor apud Suidam: ἐπὶ πρύμνην ἀνεκρούοντο καὶ ὤκελλον τὰς ναῦς. In puppim propellebant naves, & littori eas adplicabant. Id ſenſim ac paulatim fiebat unius lateris remigibus in puppem navim propellentibus, dum alterius lateris remiges inhibent remos. Suidas: πρύμναν ἀνακρούσασθαι ἐστὶ τὸ κατ' ὀλίγον ὑποχωρεῖν μὴ στρέψαντας τὸ πλοῖον· ὁ γὰρ οὕτως ἀναχωρῶν ἐπὶ τὴν πρύμναν κατηλαύνει· τοῦτο δὲ ποιοῦσιν, ἵνα δόξωσιν μὴ φανερῶς φεύγειν κατ' ὀλίγον ὑποχωροῦντες, ἵνα μὴ τὰ νῶτα τοῖς πολεμίοις δόντες τιτρώσκωνται. Pollux diſtinguere videtur inter ἀνακρούσασθαι, & πρύμναν κρούσασθαι, ut illud ſit de navi, quæ ad littus adpellit puppe

ad terram converſa, hoc de navi, quæ ſe in fugam convertit: utrobique fit converſio puppis; hic ad terram, illic ad hoſtes. Verba ejus hæc ſunt: καὶ τὸ μὲν εἰς ἐμβολὴν ὑπαγαγεῖν εἰς τοὐπίσω τὴν ναῦν, ἀνακρούσασθαι· τὸ δὲ εἰς φυγὴν, πρύμναν κρούσασθαι. Ubi εἰς ἐμβολὴν non eſt *ad congreſſum*, ſed *ad adpulſum* navis. Nam ἐμβάλλειν eſt προσορμεῖν. Heſychius: ὀκέλλει, ἐμβάλλει, προσορμεῖ. At quæ jam ad littus religatæ ſunt, & in navali quieſcunt naves, puppibus ad terram revinctæ, ut ſolebant ad profectionem paratæ, eas ἐπιπρύμνους vocabant. Hinc & πρυμνήσια, funes, qui navem ex puppi ad terram religatam tenebant, quæ exponunt Grammatici τὰ πρυμνόθεν εἰς γῆν δεσμοῦντα τὰς ναῦς σχοινία. Epiſtolas τοῦ μακαρίτου Caſauboni ad Scaligerum τοῦ πάνυ ſi miſeris, quæ in illis ſunt Arabica, Hebraicis Characteribus deſcribam, & tibi remittam. Vale, & me ama. Leydæ, Nonis Septembribus CIↃ. IↃ. C XXXVII.

EPISTOLA CXIV.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

TArditatem reſponſi ad tuas poſteriores ſi incuſaveris, excuſabunt facile variç occupationes quibus diſtractus fui. Puto jam te defunctum eſſe moleſta illa ὀδονταλγίᾳ, qua te vexari tum querebaris. Opto certè ex animo te ea liberatum. Expertus ſcio quanti doloris ſit illud malũ, quod ſolet ab illis, qui eo carent, aut contemni, aut irrideri. De *remis inhibendis* & πρύμνας ἀνακρούσεως non miror ad plenum tibi non ſatisfeciſſe, quæ ſcripſeram. Nec enim omnia, quæ dici de illa re poterant, dixeram. Græculi ipſi, qui eam locutionem apud auctores tritam nobis explicare conantur, parum videntur ubique, quid verè eſſet, ſciſſe. Certe ipſi ſibi non conſtant, nec differentiam tenent, quæ inter κρούειν & ἀνακρούειν fuit. Sed & rem totam non admodum dilucidè exponunt. Faciam hic, ſi potero, ut aperte omnia tibi delicem. Quod ad loquutionem

Digitized by Google

nem Romanam attinet, *inhibere remos*, videtur, ſi ſonum verborum attendas, planè contraria Græcæ illi πρύμναν κρούσασθαι. Nam in verbo κρούσασθαι motus eſt ſignificatio, in verbo *inhibere* quietis. Ceſſationem itaque & pauſam remigandi potius denotaret quam κροῦσιν. Atqui κροῦσις non fit ſine motu. Quod enim κρούειν Græci in re navali dicunt, quum remis mare pulſatur, id Latinis *ferire* eſt, ut apud Poëtam: *Certatim remis feriunt mare*. Certè Cicero ita acceperat *inhibitionem remorum* pro ſuſpenſione & ceſſatione remigandi, quod Græci non κρούειν dicunt, ſed χάζειν ἐρετμά. Scis enim à χῶ, quod eſt *inhibeo*, fieri χάζω. Unde Poëtæ χάσσαντες ἐρετμά, quod eſſet ad verbum *inhibitis remis* ac ſuſpenſis. Sed aliter nautici ſumebant illud *remos inhibere*. Quod & ipſum Ciceronem primo fefellit, qui ita uſurpaverat, dum putaret remiges tunc *inhibere* dici, cum ſuſtinent remos ac ſuſpendunt, intermiſſo pulſu remorum. Poſtea intellexit, ut ipſe fatetur, verbum eſſe nauticum, & aliam habere ſignificationem. Ita enim ſcribit ad Atticum: *Nunc ut ad rem redeam*, inhibere *illud tuum, quod valde mihi arriſerat, vehementer diſplicet. Eſt enim verbum totum nauticum, quamquam id quidem ſciebam: ſed arbitrabar ſuſtineri remos, cum inhibere eſſent remiges juſſi. Id non eſſe ejuſmodi didici heri, cum ad villam noſtram navis appelleretur. Non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant; id ab* ἐποχῆς *remotiſſimum eſt.* Et paulo poſt: *Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim.* Eo tamen ſignificatu, quem nunc ſibi diſplicere ait, uſurpaverat hoc verbum in 1. de Oratore: *ut concitato navigio cum remiges inhibuerint, retinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum intermiſſo impetu pulſuque remorum.* Ubi vides *inhibere* remiges, cum intermittitur impetus ac pulſus remorum. Cum tamen inhibitio illa remigum non ad remos inhibendos ſpectaret, & intermittendum eorum pulſum, ſed ad alium modum remigationis pertineat, æquè vehementis motus, atque etiam majoris. Et notandum eſt, non dici Latinè apud hos auctores remos inhiberi, ſed remiges inhibere. Nam certè non aliter *in-*

hiberi

hiberi remi dicerentur, quam de remigandi ceſſatione & ſuſpenſione remorum. Sed remiges ſimpliciter *inhibent*, cum alio modo remos habent, qui non *remos inhibere*, id eſt, reprimere & ſuſtinere dicuntur, ſed ipſam navem, quam alio modo habent ad remigandum. Retro quippe navis *inhiberi* dicitur, cum retro agitur, atque impellitur in puppem, non in proram. Scis *inhibere imperium* quomodo dicatur. Livius in XXXVI. *Itaque ex utraque parte ſigno dato, cum roſtris concurriſſent, neque retro navem inhiberent*. Immo *inhibere* ſimpliciter nautæ dicebantur, cum retro navem agebant, ut iterum majore impetu hoſtilem navem adoriri poſſent. *Inhibere remos*, ut dixi, eſſet χάζειν ἐρετμὰ. At *inhibent* remiges *navem*, cum eam retroagunt in puppem, quod eſt ἀνακρούεσθαι πρύμναν. Id verbi ἀνακρούεσθαι ſignificat ſurſum verſus κρούεσθαι. Qui incitant remis navem, dum remis mare pulſant ac feriunt, κρούεσθαι dicuntur. Ubi vero mutanda eſt remigatio, & pro ea, quæ navem in ante impellebat, ea ſumenda eſt, quæ navem retro propellat, tum illa ἀνάκρουσις πρύμνης locum habet. Non incedit tum, ſed recedit navis, quæ cum ceſſim propellatur, eundem quidem motum habet pulſumque remorum, ſed in contrariam partem. Nulla planè fit converſio navis, ſed eodem modo, quo procedit, etiam recedit. Sed mutare debent ſedilia remiges, ut mutetur remigatio, quæ ad impellendam in ante proram fiebat, debet fieri ad impellendam retro puppem. Hoc eſt propriè πρύμναν ἀνακρούεσθαι. Contrario enim modo verſus puppem feritur mare remis, id eſt, remigatur. Quod dixi Græculos parum hujus rei ſive locutionis, quam explicabant, intelligentes videri, fidem faciam ex verbis Scholiaſtis Ariſtophanis ad Veſpas, quæ ſic habent: τὸ δὲ πρύμναν κρούσασθαι φασί τινες λέγεσθαι, ὅταν μεταχαθίσαντες οἱ ἐρέται ἐλαύνοιεν ὀπίσω ἐπὶ πρύμναν, ὅταν εἰς λιμένα εἰσέρχονται, ἵνα τὴν πρύμναν εἰς γῆν ἔχωσι νεύουσαν, καὶ τὴν πρῶραν ἔξω. Attende quæſo, οἱ μεταχαθίσαντες ἐρέται, ſunt remiges qui ſedilibus mutatis incipiunt aliter remigare, & navem in puppem propellere, quæ ante in proram procedebat. Hoc ſanè fit cum in conflictu navali ſine ulla navis converſione, utrim-

que

Digitized by Google

que remis incitatam eam retro propellunt remiges, ut vehementiore impetu rurſus in proram impulſæ naves hoſtiles impetant. Sed ſi ea navis in portum recipienda ſit, & terræ adpellenda, vel adplicanda, ut puppis quidem ad littus religata ſit, & terram ſpectet, hoc eſt, εἰς γῆν ſit νεύουσα, prora autem mare proſpiciat, hoc fieri non poteſt ſine navis converſione. Ecce enim ex alto navis venit plenis velis, prora in terram & portum obverſa. Si velis igitur puppem ad littus convertere, non id obtinebis mutata remigatione, utrimque remis incitata navi. Nam ſi in puppem propellas navim, non portum eo modo ſubire poterit, ſed in altum retrocedet. Converſio igitur nunc erit neceſſaria, ita ut puppis eam partem ſpectet, quam prora ſpectabat. Si convertenda itaque eſt navis, nulla ratione convertere queas, ab utroque latere remigando. Et nugatur prorſus ille Scholiaſtes, qui navem eo modo portum intrare poſſe dicit ſine ulla converſione. Hoc enim dicit clare: ἵνα τὴν πρύμναν εἰς γῆν ἔχωσι νεύουσαν, καὶ τὴν πρῶραν ἔξω· ὅπως ἄνευ τροπῆς εἴη εἰς ἔξοδον ἡ ναῦς. Vult ideo navem à puppe terræ applicari, ut parata ſit & in procinctu ad egreſſum ſine converſione, prora nempe in mare proſpectante. Sed quæſtio eſt, an ſine converſione portum ingredi potuerit, ſola remigatione utrimque procedente verſus puppim. Quod negamus. Aliter igitur πρύμναν κρούεσθαι dicebantur de navi, quæ in portum erat recipienda, & littori πρυμνηδὸν applicanda, aliter πρύμναν ἀνακρούεσθαι cum à puppe retro cedebat navis in conflictu navali, ut rurſus à prora adverſus hoſtes incederet. Hinc Heſychius, παλιμπρυμνηδὸν exponit τὸ εἰς τοὐπίσω ἀναποδίζειν. Ita enim apud eum legendum pro παλινπαγαδὸν, & paulo ante εἰς τοὐπίσω ἀνακάμπτουσι. Naves quæ fugiebant è prælio navali, ne terga ſtatim verterent, aliquandiu ita remigabant, ut verſus puppim remos incitarent, atque ita navem in puppem propellerent, quod erat propriè πρύμναν ἀνακρούεσθαι, hoc eſt, contrario modo remis mare pulſare. Mox poſt longulum ſatis ſpatium convertebant navem, & paſſis velis ſe in fugam dabant. Quæ converſio navis eo modo locum habuit, cum in portum erat inigenda, & à parte

Ll puppis

puppis littori adpellenda. Suidas, cujus verba jam in prioribus meis citavi: πρύμναν κρούεσθαι· δεῖ τὸ καθ' ὀλίγον ὑποχωρεῖν μὴ στρέψαντας· ὁ γὰρ οὕτως ἀναχορῶν ἐπὶ τὴν πρύμναν κωπηλατεῖ· τοῦτο δὲ ποιοῦσιν, ἵνα μὴ δόξωσιν φεύγειν καθ' ὀλίγον ὑπαπιόντες. Quamdiu igitur non convertitur navis, ſed remis verſus puppem impellitur, ne terga obvertat hoſtibus, tamdiu locum habet illa locutio, πρύμναν ἀνακρούεσθαι. Ubi vero convertitur in puppem, cum portus intrare debet, tum illa ἀνάκρουσις locum habere deſinit. Hoc omnino neceſſe eſt. Sed nec converti navis poteſt, niſi ceſſante ab una parte remigatione. Quod in noſtris Galeis, hoc eſt triremibus, hodie conſpicitur. Aliud eſt igitur πρύμναν κρούσασθαι, aliud πρύμναν ἀνακρούσασθαι; quam differentiam in prioribus attigi tantum ex Polluce, non etiam planius expoſui. Πρύμναν κρούσασθαι, de navi dicitur, cum remiges eam convertunt in puppem, ut cum portum ingreſſa littori eſt applicanda, aut cum in prælio navali in fugam convertitur claſſis, terga, hoc eſt, puppes navium hoſtibus oſtendens: tunc, ut dixi, ab una tantam parte remis incitatur, & ſimpliciter, κρούεσθαι πρύμναν vel ἐπὶ πρύμναν, quia remis incitatur, ut in puppem convertatur non mutata remigatione, ſed in unam partem acta, ab altera interim ceſſante. Quod & *inhibere* dicebatur, quia ab uno latere remi inhibebantur. Ἀνακρούσασθαι verò πρύμναν eſt cum remigatione mutata, & in contrarium acta navis per eandem veluti lineam, qua inante propulſa fuerat, retro agi in puppem incipit. Nemo certè à me impetrabit, ut κρούσασθαι idem ſit quod ἀνακρούσασθαι. Hæc raptim, ſi quid habes, quod contra dicas, quæſo, monere ne graveris. Sic altercando veritas non amittitur, ſed emittitur. Literas Ampliſſimi illius Conſiliarii Noribergenſis ad te remitto, quem meo nomine plurimum, ſi placebit, jubebis ſalvere. Nihil mihi optatius eſt nec acceptius, quam hujuſmodi viris, doctrina, probitate, ac dignitate conſpicuis innoteſcere. Vale. Leydæ III. Octobr. CIↃ. IↃ. C XXXVII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXV.

HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

ELzevirii Typographi tibi noti, Ampliſſime Vir, me nuper adierunt, & rogarunt, uti ad te ſcriberem ſuper verſione Procopii quam te paratam habere editioni inaudierunt. Cum enim & ipſi in procinctu ſint ad edenda omnia ejuſdem Procopii opera Græca, auctiora multis in locis ex collatione ſcriptorum Codicum Vaticanæ Bibliothecæ, judicant, & meritò ſane, editionem ſuam ſine tua verſione mancam quodam modo futuram, cum & ipſa ſola poſſit ſine textu Græco efficere ut minus deſideraretur. Pro eo igitur gratiæ loco quam mihi apud te patere intelligunt, hoc mihi negotii dederunt tui interpellandi & orandi, ut eorum precibus hac in parte velis id dare quod publico ſanè donabitur, cum tam egregia verſio typis illorum, qui elegantia cæteros omnes ſuperant, exibit. Ad me quod attinet, promitto etiam operam meam, ſi qua in re tibi utilis eſſe poterit, quandiu liber erit ſub prælo. Uſuræ meæ ſub eo currunt, ſed non nimium velociter; levium nempe non gravium uſurarum more, ut ipſe valdè ſunt levidenſes. Hodie aut cras collucebunt plateæ noſtræ ignibus ob redditionem Bredanam incenſis. Vale, Vir Ampliſſime, & me tibi addictiſſimum amare perge. Leydæ, XIII. Octobris, CIↃ. IↃ. CXXXVII.

EPISTOLA CXVI.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

DIligentiam meam, notam illam tibi, antiquam nunc puto requiris ac deſideras, amiciſſime Gronovi. Redibo fortaſſe ad eam aliquando ac mores priſtinos reſumam.

ſumam. Nunc non poſſum. Ita variis qua occupationibus qua moleſtiis diſtineor & interpellor. Remitto tibi ſchedas tuas, quas cum cura perlegi. Omnia placent, & mirificè quidem, excepta, quæ in prima pagina occurrit, loci Senecæ de Cicerone, explicatione & emendatione: *Compoſitio ejus una eſt, pedem ſervat, curvat, lenta, & ſine infamia mollis.* Illud, *curvat*, mihi videtur à mala manu eſſe, & pro varia lectione debere accipi. Et ſanè ſunt Codices, qui partim *ſervat* non habent, cum aliis deſit *curvat*, dum *ſervat* retinent. Prorſus mihi conſtat legendum eſſe: *Compoſitio ejus una eſt, pedem ſervat, lenta & ſine infamia mollis.* Sed nec illud, *pedem ſervat*, ita interpretor, ut tu facis. Nec enim hic de pedibus oratoriis ſermo eſt, quos æquè ſuos habent ut Poëtæ. Quomodo igitur, rogo te, *ſervare pedem* oratio diceretur, quæ in una periodo & trochæos & jambos, & dactylos etiam haberet? Non unius pedis hic eſſet circuitus, nec proinde unius pedis tenorem ſervare dici poſſet. Vide contraria vitia orationis Aſianæ, quæ opponit virtutibus Ciceronianæ: *At contra Aſinii Pollionis ſalebroſa & exiliens & ubi minimè exſpectes relictura.* Hæc eſt oratio, quæ *pedem* non *ſervat*. hoc eſt, quæ non uno tenore, nec æqualiter ambulat, nec quo pede cœpit ire, pergit. Noſti illud Poëtæ: *quo pede cœpit, eat*, id eſt, pedem ſervet. Qui in plano ambulat, poteſt pedem ſervare. At qui per ſalebroſa incedunt, modo lentius ire, dum ardua erepunt, coguntur; modo citatius progredi, dum per declivia deſcendunt. Ita Aſinii ſalebroſa oratio pedem non ſervabat. Metaphora omnino ducta ab ambulantibus. Non addam plura. hæc enim ſatis clara. Vale. Leydæ, XVI. Octobr. CIϽ. IϽ. CXXXVII.

EPI-

EPISTOLA CXVII.

JOHANNI BEVEROVICIO.

Dordrechtum.

AMpliſſime Domine, gratias Tibi ago ingentes pro titulis *Syntagmatis* Naudæi *de Re Militari*, quos tibi remitto. Duo jam menſes eunt ex quo eos ab amico Pariſienſi accepi. Librum ipſum exſpecto quotidie, qui datus eſt uni ex comitibus ſive miniſtris noſtri novi Legati, qui Caletis eſſe dicitur, brevi cum ventus faverit venturus. Rem veterem Militarem non attigit, neque Romanam, neque Græcam; ſed tantum hodiernam. At in illo præcipuè campo decurro. Non igitur concurrimus. De *Termino*, noli te fatigare, ego certè aliquando reddam & quidem cum fœnore, niſi Deus terminum hujus vitæ breviorem ſpe mea ponat. Liber *de Uſuris* eſt in fine. Tria aut quatuor capita reſtant. Tum ſequetur alter de *Modis Uſurarum*, non mole minor, neſcio an fruge. De loco Pliniano ſic mihi videtur. Cenſuit Varro non venerationis cauſa juſſiſſe Majores capita aperiri aſpectu Magiſtratuum, ſed valetudinis, ut in hac conſuetudine firmiora redderentur. Non venerationis, inquam, nam ſi hoc ſpectaſſent, non aperiri, ſed potius operiri jubere debuerant. Nam Deos adoraturi caput velabant. Qui Deos adorabant capita velare ſolitos Romano ritu, non es docendus. Occurrit locus in Vitellio apud Suetonium, quem dicit miri in adulando fuiſſe ingenii, adeo ut primus C. Cæſarem adorari, ut Deum inſtituerit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet niſi capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens. Rationem puto reddit Plutarchus in Quæſtionibus Romanis, cur honos exhiberetur hominibus capite aperto, Diis operto. Cum contraria ſint hæc venerationis argumenta, & certum ſit illud, quo Dii honorantur. Inde Varro commentus eſt non venerationis

cauſa juſſiſſe majores capita aperiri coram Magiſtratibus, ſed valetudinis. Vale, Vir Ampliſſime, & me amare perge. Leydæ; v. Novemb. CIↃ. IↃ. CXXXVII.

EPISTOLA CXVIII.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

De mea taciturnitate, Doctiſſime Gronovi, non eſt quod ſequius judices, & contra quam amicitiæ tot experimentis tibi ſpectatæ, jamque ſatis longo uſu confirmatæ ratio poſtulet. Quod hactenus ſilui, ſi ſcires, quot quibuſve modis fuerim occupatus, ſilentii mei cauſas non ſolum legitimas, ſed etiam planè juſtas diceres. Nec occupationes tantum in cauſa fuere, ut in officio ceſſarim, & pro aſſiduo infrequens miles ſim factus, ſed etiam alia, quæ neſcio an auſim tibi fateri, ne mollitiem tibi animi mei hac confeſſione prodam. Ab his aliquot ſeptimanis diverſæ me diſtrahunt curæ ob incertitudinem, an hic manſurus ſim. Non quod domicilium inter tot partim apertos, partim tectos inimicos mihi valde arrideat, ſed ne media hyeme iterum me cum meis undoſo mari & ventis non committere, ſed exponere cogar. Quod tamen erit faciendum, ſi decretum reſcindunt, quod in meam gratiam factum eſt. Nunc ferrum eſt in igne, nunc comitia de meo capite aguntur. Hodie enim conventus Curatorum habetur, qui de ea re judicaturi ſunt. De loco Salluſtii, nondum quidquam invenire potui, quod ſatisfaceret. Quid enim ibi ſunt *vectigales?* *Cohortes* quidem ibi ſunt ſociorum pedites. *Turmæ* ſunt legionarii equites. De equitibus ſociorum nulla ibi mentio, quorum tamen ſigna ibi ceciniſſe quoque oportet cum aliis. Vide igitur an eorum nomen lateat in illa voce *vectigalis*. An *litui ab Alis?* *Alæ* enim propriè tunc de equitibus ſociorum. *Litui ab alis, item cohortium, turmarum, legionum tubicines ſimul omnes ſigna canere.* Sane cum univerſi exer-

Digitized by Google

exercitus tubicines cecinisse velit, caret ratione, ut non etiam occanuerint ſigna equitum alariorum, qui erant auxiliarii equites, quos jungit cum cohortibus, qui erant auxiliarii pedites. Deinde addit, *turmarum*, *legionum tubicines ſimul omnes ſigna canere.* Et per *turmas* & *legiones*, pedites equites Romani exercitus, hoc eſt, civium intelligit. Sic liticines proprios faceret ſociorum, tubicines Romanorum. De quo alibi videro. Nunc propero, & in aliud tempus reſervo quæ reſtant. Arabica literarum Caſauboni Hebraicis characteribus deſcribere nondum etiam licuit, quod brevi fiet. Meas ad Rivetum quæſo ſtatim cures. Vale, & me ama. Leydæ XXII. Novemb. CIↃ. IↃ. C XXXVII.

EPISTOLA CXIX.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

EPiſtolas Caſauboni tibi remitto. Expectabam donec amicus aliquis ſe offerret, qui tibi eas referret. Nam ſimul atque eas accepi, in ipſo articulo Arabica expreſſi characteribus Hebraicis. Reperies inter paginas ad locum ipſum ſchedulas mea manu ſcriptas, eodem ordine Hebraica habentes, quo Arabica ſunt in litteris Caſauboni. Credo tibi te lætum accepiſſe rem aliter deciſam, quam noſtri boni viri eam abituram putaverunt. Si commodior tempeſtas fuiſſet ad diſcedendum, non ſub conditione, ut feci, ſed ſimpliciter & abſolutè hinc recedendi veniam à Curatoribus petiiſſem. Ita mihi diſplicet eorum hominum, inter quos mihi vivendum eſt, non jam ineptiæ, quas facilè ferrem, ſed atrocia dicta factaque generoſò vix ferenda. Ad penſum me redire vis? Nihil eſt, quod & ipſe magis velim; & quod hactenus ceſſavi, ſcias occupationes in cauſa fuiſſe. Ne nunc quidem minores ſunt, ſed tamen primo quoque die in tuam gratiam hoc omne militabitur. Vale, ac me ama. Raptim.

Et

Et rogo excuſes feſtinationem & malam ubique manum, quam neſcio an poteris ubique aſſequi. Iterum vale. Leydæ, III. Decemb. CIↃ.IↃ.CXXXVII.

EPISTOLA CXX.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

VIde quam iniquus ſim, mi Gronovi. Qui moras ſolens adfero reſponſioni ad alteras amicorum, vix eas in amicis ferre poſſum. Niſi ſcirem te meas poſteriores accepiſſe, vix tibi redditas crederem ex tarditate tui reſponſi. Nunc paucis tecum agam, ut beneficium, quod à te deſidero impetrem. Heinſius habet non propriam quidem illam ſed in Bibliotheca publica, cui eſt cuſtos adpoſitus, poſitam collectionem legum Atticarum à Scaligero olim τῷ πάνυ compilatam. Eam aliquando vidi in Gallia miſſam ab eodem Heinſio ad quendam amicum, qui tum deſtinabat edere leges illas Atticas cum Commentario. Ea compilatione nunc opus habeo. Oro te igitur, ut eam utendam petas tuo nomine ad aliquot tantum dies. Quæ tua cum illo familiaritas, facilè id obtinebis. Nemo reſciſcet mihi peti, & ſtatim poſt aliquot dierum uſuram remittam. Fac igitur hoc, obſecro te, in meam gratiam. Si quid in alia tua cauſa me facere poſſe putabis, audacter impera. Plura alias. Meas ad Rivetum rogo cures. Vale. Id. Decembribus CIↃ.IↃ.CXXXVII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXXI.

JOH. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

AD tuas reſponſum ideo diſtuli, quia putabam brevi abſolutum iri opus meum de Uſuris, quod una me miſſurum opinabar. Sed dum more ſuo rem adhuc trahunt, & finis non mihi videtur exſpectandus ante aliquot etiam ſeptimanas, non potui tibi diutius debere cujus ſolutioni jam moram plus ſatis longam feci. Nomſii morte valdè ſum affectus & planè commotus. Eam vel priuſquam tuas reciperem filius Iſaacus nunciarat. Triſtis hic annus & funebris mihi fuit amiſſione multorum carorum capitum, inter quos non poſtremas tenuit ὁ μακαρίτης Nomſius, etſi parvo uſu mihi cognitus. Sed cum cogito mortales nos omnes eſſe, non deflendos judico qui priores eam viam ingrediuntur quæ omnibus eſt conficienda. Qui poſt longam navigationem prior portum occupat, is magis felix cenſetur quam infelix,cur non beatiores putabimus, qui celerius quo nobis eundum eſt, pervenerunt. Sed quorſum hæc tecum philoſophari, qui melius noſti? Neſcio an reſciveris, irritos conatus fuiſſe noſtrorum ****. De baptiſmo filiolæ cave putes in alia eſſe me ſententia quam dudum fui, cum tibi promiſi. Eo diſtuli ad hoc uſque tempus quia reſponſum à Patre non potui citius habere, qui totam æſtatem præteritam & partem autumni decubuit. Eum deſtinavi patrinum, ut vocant, cum tua lectiſſima conjuge, vel ſi mavis, filia. Poſtquam melius ipſi eſſe cœpit, ante tres ſeptimanas ad me reſcripſit, ſibi placere quem illi honorem conciliavi. Nunc tuum eſt videre, quando Corneliæ tuæ commodum erit ad nos venire, ut hanc operam nobis det. Ubi quid tibi & illi animi ſit cognoverimus tum diem vobis ſignificabimus, vel ipſi potius, ad quem vobis id fieri placuerit, ſignificabitis. Uxor mea ſcribet ad filiam, eamque rogabit ut

nos hoc honore dignetur. In anteceſſum hæc volui ut ſcires. Nunc illa Hagæ eſt, & non reditura illinc niſi poſt aliquot dies. Lectiſſimam tuam uxorem cum filia & omnibus tuis officioſiſſime ſaluto. Vale, Vir Clariſſime, & Salmaſium tuum amare perge. Leydæ, XIII. Decembr. CIↃ. IↃ. CXXXVII.

EPISTOLA CXXII.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

ACcepi leges ejus civitatis, quo avem, quæ Tutu dicit, nemo inferebat, niſi qui ridiculus eſſe vellet. Veto te eſſe ſollicitum, ne quis malus aut curioſus reſciſcat me illas per te habere. Quam celerrimè potero, iis uti pergam, & remittam. Moram vero, quam præſcribis, non ſolum facilè ac libenter feram, ſed etiam majorem, ſi ſit opus. Locus Flori ſic mihi videtur legendus: *Sed ille qualis erat ad nuntium rei, feliciſſima temeritas! per invios ad id tempus montium tumulos, &c.* Libri omnes tamen, & in his optimus ac vetuſtiſſimus Nazarianus, retinent *feliciſſimæ temeritatis*. Vide an ita etiam dici poſſit per parentheſin, quales amat hic noſter: *qualis erat ad nuntium rei, feliciſſimæ temeritatis!* Græciſmus quippe eſt, qui & Plauto familiaris. Ut in Moſtellaria: *Dii immortales, mercimonii lepidi!* Apud Ariſtophanem: ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν. Si novum tibi videatur ſine numinis præpoſitione hanc exclamationem peragi, & hanc inveniemus in verbis Flori, ſi legamus: *qualis erat ad nuntium, Dii feliciſſimæ temeritatis!* Sed de hoc in Notis plura. De loco Ovidii in Faſtis ubi liber vetus habet, *texta lacerna capa*, pro *manu*, ſcias *capa* illud irrepſiſſe in textum ex gloſſa, qua lector explicabat, quid eſſet *lacerna*. nempe *capa* vel *cappa*. Sic enim infimum ævum vocitavit, quæ veteribus *lacerna*. Graſwinckelio τῷ πάνυ ſalute meo nomine dicta, inſuper etiam nuntiabis à Jac. Gothofredo exiiſſe opus de imperio

perio maris, quod impenſe commendatur & laudatur ab his qui viderunt. Nondum illud accepi. Ubi accepero, faciam illum ejus compotem, niſi aliunde ejus copiam nactus fuerit. Vale, ac me ama. Leydæ, VIII. Januarii CIↃ. IↃ. CXXXVIII. Memento tuam mihi communicare, quam primum poteris, obſervationem de A. D. PR. Hanc loquutionem ita fortaſſe eventilabimus altercando, ut veritas quaſi lux è face major, quo motitatus vehementius, emittatur..

EPISTOLA CXXIII.

JOH. GERARDO VOSSIO.

Amſtelodamum.

HOdie mane, Vir Clariſſime, tuus mihi Iſaacus adfuit, omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis, qui tuas reddidit, quas gratiſſimas fuiſſe, nec putem te nec velim dubitare. ****. Atque hæc hactenus. Nunc librum meum de Uſuris ad te mitto, & audeo hoc tibi onus imponere ut legas, mihique ut amicus amico liberè ſignifices quid ſentias. Non dubito quin ſit incurſurus in varias opiniones, partim probantium partim improbantium, prout erant affectus erga auctorem benevolentium aut malevolentium. Neutros volo, verum mihi dici volo. Tu facies & me amare perges. Mea tuam ſalutat officioſiſſimè, quam & ego pariter cum omnibus tuis. Iterum vale. Oblitus fueram tibi gratias agere pro libro de Pictura Junii affinis. Exemplar hoc etiam habes quod ei curabis, Uſuram pro Pictura.

ISAACO VOSSIO S.

ISaace Doctiſſime, mitto tibi reſponſum ad litteras Clariſſimi Parentis, cum duobus exemplaribus libri mei de Uſuris. Unum Patri, alterum Junio avunculo, qui in Anglia eſt, deſti-

 natur.

natur. Paulo poſt diſceſſum à me tuum accepi ab Angliæ Legato, qui Hagæ reſidet, codicem Africani de bellico apparatu ex Londiniana Bibliotheca à Junio Patricio mihi miſſum, in ejus fine reperi & Nicephori Blamydæ γεωγραφίαν συνοπτικὴν, quam & in Bibliotheca olim videram nec deſcripſeram, & poſtea etiam in Regia Pariſiis vidi. Holſtenius eam parabat edere cum minutis Græcis Geographis, poſſet & illa unà cum Scylace tuo & Paludis Mæotidis Periplo edi, ſi tanti putabis ubi videris. Vale à

SALMASIO Tuo.

EPISTOLA CXXIV.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

NOn nollem, Doctiſſime Gronovi, legiſſe obſervationem tuam de *Ante diem*, & pro ea gratias ago tibi meritiſſimas. Forſitan & mihi debebis, ſi videbor non male operam poſuiſſe in ea diſcutienda. Veniam autem dabis libertati, ſi dixero te in refutandis aliorum opinionibus magis mihi probare quod adfers, quam in tua aſſerenda. Non enim poſſum à me impetrare, ut placeat animo meo illa adpoſitio, quam fingis. Scis quæ per appoſitionem dicuntur, caſum etiam in omnibus ſequi ejus vocis, cui adponuntur. *Urbs Roma, urbis Romæ, urbem Romam, urbe Roma.* At heic quid? *Ante diem tertium Kalendas*, *die tertio Kalendas* dici vides. Quidni & dicatur *hic dies tertius Kalendas?* Quod autem debere intelligi cenſes τὸ *die*, ut ſic procedat, *die ante diem tertium Kalendas*, pace tua dicam, non cohæret. Poſſe dici non dubitabis, & paſſim etiam ſcribi non te latet, *die tertio Kalendas*, vel etiam *tertio Kalendas*. Ergo & hic etiam ſubaudiendum eſſet illud *die*, hoc nempe modo: *Die die tertio Kalendas*. Quod an ipſi tibi probari poſſit, velim ſcire. Huic ſubauditioni

Digitized by Google

ditioni non favet, immo ei unice adverſatur illa loquutio, quam adſtruis, & veriſſime quidem, ut disjunctim legatur, *in ante diem tertium Kalendas*. Nihil certè verius. Sed ſi illud *die* ſubintelligi deberet, hic verò planè eſſet exprimendum, *in die ante diem tertium Kalendas*. Nec mihi perſuadeo rectè ſupprimi inter duas præpoſitiones. Locus Livii, ſi bene capio, paulum admodum aut nihil omnino te juvat. Cum enim vellet dicere, diem qui vocatur ante diem xv. Kal. Sextiles inſignem duplici clade fuiſſe, omnino debuit ita loqui, ut notaret diem illum, qui eſt ante diem xv. Kal. Sextiles, duplici clade fuiſſe inſignem. Nonne & ſic potuit dicere, *diemque decimo quinto Kalendas*. Immo & ſic potuit, *diemque decimum quintum Kalendarum*. Sed quia tum in uſu frequentiore erat Latinè loquentium, ut ſic nominarent illum diem, qui eſt decimus quintus ante Kalendas, nempe *ante diem decimum quintum*; ideo ita eum vocavit, & inſuper, ut clarius id exprimeret & deſignaret illum diem, addidit, *diemque*, cum tamen in illa loquutione nuſquam ſubaudiri debere certum ſit. Ita etiam loquutus Agellius lib. v. cap. xvii. *Ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas vel Idus, tamquam ominalem diem, plerique vitant*. Eo loco repetiit illud *diem*, ut liqueat nihil pertinere ad ſubauditionem. Quod Livius eam vocem *diem* præpoſuit, quam hic poſtremo loco poſuit, nihil magis ad id attinet. Quid enim ſi ita dixiſſet Agellius? *Diem quoque ante diem quartum Kalendas vel Nonas vel Idus tanquam ominalem plerique vitant*. An ſi ſic ſcripſiſſet, eo argumento utereris, ut probares ſubaudiendum eſſe *die* in illa loquutione, *Ante diem Kalendas*. Non ſanè puto. Præterea facilè vides, nihil facere vocem illam ſubintellectam ad expediendam rationem, cur in quarto caſu ſubjiciatur *Kalendas*. Quod cum per appoſitionem fieri dicas, vix poſſe id obtineri nunc intelligis. Ejus quippe loquutionis par eſſe debet ratio, quæ eſt in *pridie Kalendas* & *poſtridie Kalendas*. Celebriores enim Grammatici putant id adverbium *pridie* more præpoſitionis accuſativo adjungi. Ita paſſim loqui Ciceronem & Livium, *pridie Kalen-*

das Januarias, *pridie Nonas*, *pridie Idus*. Nec ſecus quid de *poſtridie*. Quæ tamen vocabula in aliis loquendi generibus non hanc normam ſervant. Nam *pridie hujus diei* & *poſtridie hujus diei* Latinos dicere non te fugit. Quid igitur? Si *pridie Kalendas* rectè dicitur, annon eodem modo certum eſt dici *tertio & quarto Kalendas?* Si vice præpoſitionis illud *pridie* hic habet quartum caſum, quidni & ſimiliter *tertiò* hic adverbialiter poni cenſeamus, & more præpoſitionis accuſativum regere? Si *tertiò* & *quartò* ſic poſita erunt adverbia vel adverbiorum vice, & *tertium* & *quartum* ita quoque uſurpari credendum, ut *paulum* & *paulo*. Nunc quærendum de illa additione *ante diem*, quo pertineat. Eundem quippe ſenſum eſſe, etiamſi non adjiciatur, planum eſt. Qui dicit *tertio* aut *tertium Kalendas*, idem dicit atque ille, qui pronuntiat *ante diem tertium Kalendas:* & qui ſcribit *pridie Kalendas*, non obſcuriorem rem eloquitur, quam qui ſcribat *ante diem pridie*. Rectè obſervaſti eandem loquendi formam fuiſſe uſitatam in diebus, qui Kalendas ſequerentur, & in his qui antecederent. Similiter enim dixiſſe veteres *poſt diem tertium Kalendas*. Qui ergo ſic enuntiaret ſimpliciter *tertio* aut *ſecundo Kalendas*, dubium erat, utrum de præcedenti Kalendas quarto die an ſubſequenti intelligeret. Quid igitur, ſi illa *ante diem* & *poſt diem* ad hoc addita dicamus, ut vitaretur ea ambiguitas? *Ante diem tertiò* vel *tertiùm Kalendas*, & *poſt diem tertiò* vel *tertium Kalendas:* illud *ante diem* erit πρὸ χρόνου, & *poſt diem* μετὰ χρόνου, ut *in diem* εἰς χρόνον, in tempus. Si ita putemus, ſic ſanè occurremus omnibus difficultatibus, quæ in hac loquutione moleſtiam doctis exhibent. Vereor tamen, ne hæc ſubtiliora ſint quam veriora. Nam primum illud *tertio* vel *quarto* non poteſt pro adverbio accipi, ſed ſemper ſubintelligitur *die*, quod & aliquando exprimitur, *die tertio Kalendas* aut *die quarto*. Deinde illud tuum *poſt diem*, *ſecundum aut tertium Kalendas* vix poſſit ſubſiſtere. Nemo enim unquam ſic ſcripſiſſe deprehenditur. Nam *poſt tertium Kalendas* idem plane eſt cum *ante diem tertium Nonas*. Nunquam

igitur

Digitized by Google

igitur illum diem tertium poſt Kalendas ipſis Kalendis comprehenſis nominarunt *poſt diem tertium Kalendas*, ſed ſemper *ante diem tertium Nonas*. Alias magna confuſio circa has loquendi formulas exorta fuiſſet. Non idem eſt quod apud Varronem habetur *poſt diem tertium Saturnalia*. Id quidem exponendum eſt, ut tu facis: ut tum tantum dies interfuerit, inter Saturnalia & Opalia: ſed nihil ſimile cum illo, *poſt diem tertium Kalendas*. Dies quippe tertius poſt Saturnalia non poteſt aliter dici: At dies poſt Kalendas tertius vocatur *ante diem tertium Nonas*. Ne per falſa igitur aut dubia te circumagam & per ambages diutius dücam, quam paucis potero, nunc tibi meam ſententiam exponam. Non eſt dubium, quin illa verba hujus loquutionis, *Ante diem tertium Kalendas*, integra ſint & ab omni antiquitate Romanis uſurpata. Quæ nihil aliud ſignificant, quam ſi eſſet ſcriptum, *diem tertium ante Kalendas*. Id apertè ex loco Agellii, quem ſupra produximus, apparet, lib. v. cap. XVII. apud quem quod in textu poſuit, *Ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas, vel Idus tanquam ominalem plerique vitant*: in ipſa capitis ſumma ita ponitur: *& cur diem quoque quartum ante Kalendas vel Idus quaſi religioſum plerique vitant*. Nam mihi conſtat titulos capitum ab Agellio ipſo eſſe, etſi aliter ſentiant quidam viri doctiſſimi. Quod & poſſem nunc tibi oſtendere ac probare, ſi ea res ageretur. Nec in alia ſententia eſt Priſcianus, doctiſſimus Grammaticorum ſui ævi, in lib. XVIII. Hæc verba enim *tertio* & *quarto Kalendas* ſic interpretanda eſſe docet pro in tertio vel quarto ante Kalendas. Cum igitur dicebant *tertio* vel *tertium Kalendas*, id conciſum erat pro *Ante diem tertium Kalendas*. Iſtud autem *Ante diem tertium Kalendas* plene poſitum fuit pro tertium diem ante Kalendas. Ut enim Græci dicebant, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, vel τρίτην ἡμέραν τόδε ἢ τόδε ἔπραττον, ita Latini ad eorum exemplum, *tertium diem* aut *tertio die hoc faciebam*. Si quis itaque ſic loquatur, *Acceſſi ad urbem tertium diem ante Kalendas Januarias*, nonne æquè bona, etſi Græciſſens, erit loquutio, quam ſi diceret, *Acceſſi ad urbem*

bem tertio die ante Kalendas? Jam vero quod attinet loquutionem *Ante diem tertium Kalendas*, non omnino ſequor Priſcianum, ut poſitum ſit pro diem tertium ante Kalendas, & illud *diem tertium* ſit more Græcorum dictum τρίτην ἡμέραν πρὸ ἐπερτίλον, pro τρίτῃ ἡμέρᾳ. Sed & vulgaris antiqua loquendi ratio fuit: *Ante diem tertium quam hoc facerem*, pro, die tertio antequam hoc facerem. Utrumque tamen uſitatum, *paucos dies antequam hoc facerem*, vel *paucis diebus antequam hoc facerem*. Quod ita etiam efferri poſſe certum eſt, *ante paucos dies quam ex urbe exirem*. Notat idem Priſcianus eodem libro, *ante paulum*, idem eſſe quod *paulo ante*, & *poſt paulum* idem *paulo poſt*. Ergo *ante paulum tempus quam ad urbem accederem*, eadem eſt loquutio ac *paulo tempore antequam ad urbem accederem*. Quod ſi eſt, certè *ante diem tertium Kalendas* idem eſt quod *die tertio ante Kalendas*, niſi quid tu, docte Trebati, diſſentis. Nemo mihi hic cogitet ἀναστροφὴν, quam viri docti non intellexerunt. Quod enim Schottus exiſtimat, *Ante diem* IV. *Kalendas* per anaſtrophen dici, largiter errat. Contra enim eſt. Præpoſitiones dicuntur Latinè, ut Græcè προθέσεις, quia præponuntur nominibus. Si poſtponantur, contra earum naturam eſt & ſitum, quia præponi debent. Ergo tunc fit ἀναστροφὴ & converſio, vel perverſio potius. Qui dicit, *Tranſtra per & remos*, ἀναστροφὴν committit: nam debuit dicere *per tranſtra & remos*. Ita ergo qui dicit *ante diem tertium Kalendas*, nullam facit ἀναστροφὴν. Nam præpoſitio *ante* ſuum locum & ordinem obtinet. At ſi quis diceret, *tertio die ante Kalendas*, ἀναστροφὴν planè incurreret præter caſus mutationem, quam etiam conſequi in ἀναστροφῇ aliquot præpoſitionum Grammatici obſervant, ut in *ante*, *poſt*, *inter* & *penes*. Si dixero, *illum ante*, eſt ἀναστροφὴ, ſed nulla caſus mutatio: ſed ſi ſcribam, *paucis ante diebus*, tunc præter ἀναστροφὴν caſus etiam immutatio fit. Soſipater de ſupradictis præpoſitionibus: *Hæ propoſitiones*, inquit, *nonnunquam promiſcue accipiuntur*, *& poſtponi ſolent*; *accentum utique mutant aliquando & caſum: quale eſt*, paucis ante diebus; *item* paucis poſt annis: *item*, arma inter juve-

juvenum: *item*, illum penes: *ut ſit*, penes illum, ante vel poſt paucos dies, inter arma juvenum. Vides illud, *paucis ante diebus*, illi Grammatico poſitum videri pro *ante paucos dies* per ἀναστροφὴν, quæ & caſus immutationem habeat conjunctam. Alii Grammatici putarunt in his loquutionibus non ἀναστροφὴν cauſam eſſe caſus immutationis, ſed ἀρχαϊσμὸν. Veteres enim præpoſitiones iſtas, *poſt*, *ante*, *circum*, ablativo etiam junxiſſe: *quod*, inquiunt, *hodie facere non poſſumus*. Ita Servius accepit in illo verſu Virgilii: *Reſpexit tamen & longo poſt tempore venit.* ut ἀρχαϊκῶς ita poſuerit, pro, *poſt longum tempus*. Id Soſipatro videretur eſſe ἀναστροφὴ cum caſus immutatione. Addit Servius, poſſe etiam dici *longo poſt* unam eſſe partem orationis. Sed illi omnes nugantur. Nec enim accedo Soſipatro, qui putat ἀναστροφὴν fieri & ſimul etiam caſum immutari. In illa loquutione, *paucis poſt diebus* vel *paucis ante annis*, *poſt* & *ante* non amplius ſunt præpoſitiones, ſed adverbia. Nam & pro adverbiis illæ duæ præpoſitiones non raro ſumuntur. Quod & ipſi adnotarunt, ut apud Terentium, *poſt faceres tamen*. Et rectius Priſcianus quam Servius ita accepit apud Virgilium in illo verſu, *longo poſt tempore viſum*, in ſexto Æneidos. Subauditur enim in his loquutionibus *paucis poſt diebus*, poſt nimirum, quam hoc accidit, factum aut dictum eſt. Idem eſt & in *ante*, quod & pro *antea* accipitur, & vice adverbii ſæpe fungitur, ut in illo loquendi modo, *paucis ante annis*, & ſimilibus. Non manet igitur tum præpoſitio, ſed fit adverbium, nec ulla proinde contingit ἀναστροφὴ præpoſitionis, quaſi poſtponatur, ubi præponenda ſit. Hinc perſpicis, quam longe à vero ſint, qui per ἀναστροφὴν dici ſomniarunt *Ante diem tertium Kalendas*, cum ſitus & ordo præpoſitionis ita eam locari poſtulet. Nunc examinandum, cur dicatur, *Ante diem tertium Kalendas*. Si hoc ſit poſitum, pro *diem tertium ante Kalendas*, & illud *diem tertium* more Græcorum dictum ſit, ut illi τρίτην ἡμέραν ſolent uſurpare pro τρίτῃ ἡμέρᾳ, nulla eſt difficultas. Nam *diem tertium ante Kalendas* erit poſi-

tum pro die *tertio ante Kalendas*, & pro utroque, mutato ordine, *ante diem tertium Kalendas*. Quæ eſt Priſciani opinio, atque etiam Agellii. Mihi vero ſecus videtur. Rectè enim atque ordine dictum illis Veteribus puto *Ante diem tertium Kalendas*, vel etiam *Kalendarum*, pro, in die tertio, qui præcedit Kalendas, ipſaſque etiam comprehendit. Videamus quomodo Græci eam loquutionem Romanam expreſſerint, *Ante diem tertium Kalendas*: hoc nempe modo, πρὸ τριῶν καλενδῶν. Non ſolum ita noſter habet Græcus auctor de Biſſexto, ſed omnes quos vidi etiam antiquiſſimi, qui Latina in Græcum verterunt. Hippolytus in Canone Paſchali ita ſemper reddidit. Πρὸ τεσσάρων εἰδῶν, πρὸ τριῶν εἰδῶν, & ſimilia. Sic enim illa exponenda ſunt, quæ in veteri ſaxo ſcribuntur: ΠΡ Δ ει ΠΡ Γ. hoc eſt, πρὸ τεσσάρων εἰδῶν, πρὸ τριῶν. Ut & plene exprimuntur in antiquo auctore, quem penes me habeo. Τὴν πέμπτην Νόνναις, τ͂ ἕκτην πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν, τ͂ ἐνάτην πρὸ πέντε εἰδῶν, τ͂ ὀγδόην πρὸ ἓξ εἰδῶν, τὴν ια πρὸ τριῶν εἰδῶν, ac ſic de reliquis. Id ad verbum ſi vertas, erit, *ante dies tres Iduum, Nonarum* & *Kalendarum*. Quod & reſpondet ac plane idem eſt cum illis *ante diem tertium Kalendarum* aut *Iduum*. Nam quidam etiam ex Græcis ita Latinè illa reddiderunt, πρὸ τρίτης Καλενδῶν, ut alii πρὸ τριῶν Καλενδῶν. Et ſanè idem ſenſus eſt ſive dicas, *Ante tres dies Kalendarum*, vel *ante diem tertium Kalendarum*. Græci enim, qui πρὸ τρίτης verterunt, ſubintelligunt ἡμέρας; qui vero πρὸ τριῶν, ſubaudiunt ἡμερῶν. Idem porro eſt ſi dicas, *tres hi dies ſunt, ex quo amicum non vidi*, aut *tertius hic dies eſt*. Ergo idem eſt dicere *Ante tres dies* Kalendarum, & *ante diem tertium* Kalendarum. Notabis autem cum Græci non poſſent commode reddere illud, *Ante diem tertium* Kalendas, ita expreſſiſſe, quaſi legiſſent, *ante diem tertium Kalendarum*. Quomodo & veteres etiam loquutos fuiſſe conſtat. Sane Priſcianus lib. XVIII. ex Ciceronis prima Invectiva: *Meminiſti me in ante diem duodecimum* Kalendarum *Novembrium dicere in ſenatu, fore in armis certo die, qui dies futurus eſſet in ante diem ſextum* Kalendarum *Novembrium*. Quod Græci paſſim ſequuti ſunt in ea formula

Digitized by Google

Græcè interpretanda. Quin imo & ipſe Priſcianus ibidem agnoſcit æquè in uſu eſſe Latinè loquentium, *tertium* vel *tertio Kalendas* vel *Nonas* vel *Idus*, vel *Kalendarum*, *Nonarum*, *Iduum*. Mihi verò longè etiam magis regulæ conſentaneum videtur dicere *Ante diem tertium Kalendarum*, vel *Ante dies tres Kalendarum*, ut Græci vertunt, pro die qui tertius eſt dies Kalendarum, quarum Kalendæ ipſæ cum reliquis duobus conſtituunt tertium. Si tertius dies Kalendarum rite vocatur, qui ex duobus præcedentibus ac die ipſo Kalendarum conſtituitur, cur illud *Ante* præfinitur ac dicitur, *Ante diem tertium Kalendarum*, pro illo die tertio Kalendarum? Certè & Priſcianus in illo Ciceronis loco, *ante diem ſextum Kalendarum*, interpretatur ſimpliciter ſextum diem Kalendarum. Sed quod quæritur de illa præpoſitione *Ante* præpoſita, quæri etiam ſimili ratione poteſt, cum dicitur *dies tertius ante Kalendas*, qui ipſas etiam Kalendas contineat, haud minus quam *Ante diem tertium Kalendarum*. Ut enim *Ante paucos dies quam exirem*, idem eſt quoad ſenſum atque illud, *paucis diebus antequam exirem*: ita omnino *Ante diem tertium Kalendarum* eandem habet ſignificationem cum illo, *die tertio ante Kalendas*. Et Priſcianus enim per ellipſin præpoſitionis cenſet dici *tertio* vel *tertium Kalendas*, pro tertium ante Kalendas. Omnino quicquid dixeris, non poteris effugere, quin illud *ante Kalendas* Ulpiani hic etiam locum habeat, ubi dicit, *qui ante Kalendas proximas ſtipulatur*, ſimilem eſſe ei, qui poſt Kalendas ſtipulatur. Quotquot enim dies fluxere ante Kalendas, ea ſtipulatione comprehenduntur, & ipſe etiam dies Kalendarum. Ita ergo & dies vel tertius, vel quartus, vel quintus, & quicunque denique poſt Idus nominantur, ita debebunt accipi, ut ipſas etiam Kalendas comprehendant. Nec niſi poſt finitas Kalendas, quod in ſtipulatum deductum fuerit, ut fiat aut ſolvatur ante Kalendas, peti poterit. Si dies tertius ante Kalendas ipſas etiam Kalendas involvit, certè dies ille, qui vocatur *Ante diem tertium Kalendarum*, pariter Kalendas ipſas complectetur. Sed idem dies vocabatur

Digitized by Google

ante diem tertium Kalendas, in accuſandi caſu. Sanè & Priſcianus cum exponeret illud Ciceronis, *in ante diem duodecimum Kalendarum*, fatetur frequentius accuſativo illud *ante* adjungi, ut nimirum dicatur, *ante diem duodecimum Kalendas*. Sed errore & abuſu loquendi id factum potius puto. Cum enim diceretur, *ante diem tertium Kalendarum*, vel *diem tertium*, vel *tertio ante Kalendas*, utrumque genus mixtum eſt, ac dictum etiam *ante diem tertium Kalendas*. Quod manifeſtius apparet in illa loquutione, *pridie Kalendas*. Debebat eſſe *pridie Kalendarum*, ut dicitur *pridie hujus diei*. Sed qui ſic loquitur *pridie Kalendarum* aliquid actum, non poteſt comprehendere ipſas Kalendas. Alioqui qui diceret pridie illius diei ſe aliquid feciſſe, non præcedenti tantum die, ſed etiam ſequenti id à ſe factum diceret, & ſic duos dies pro uno poneret. Quod ratione prorſus caret. At in illa loquutione, *pridie Kalendas*, ſubaudiri etiam debet illud *ante*, haud ſecus quam in *tertio Kalendas*. Vel etiam integrè pronuntiandum eſt, *ante diem pridie Kalendas*. Qua utraque loquutione ſive ἐλλειπτικῇ, ſive πλείᾳ etiam ipſæ Kalendæ comprehendi debent. Græci, dum Græcè reddere volunt, vertere ſolent, πρὸ μιᾶς Καλενδῶν. Quod debuiſſent dicere πρὸ δυοῖν. nam proximè præceſſit πρὸ τριῶν, quod eſt *ante tertium Kalendarum*: ſequebatur igitur, ut adderent πρὸ δυοῖν, qui duos efficit dies cum ipſis Kalendis, cum πρὸ μιᾶς de ſolo pridie poſſit intelligi. Et ſanè feciſſent, ſi Latinos habuiſſent auctores in hac formula. Nam & illos debuiſſe ſubjicere conſtat poſt *ante diem tertium Kalendarum*, *ante diem ſecundum Kalendas*. Tunc & Græci ſimiliter vertiſſent πρὸ δυοῖν Καλενδῶν. Oportet itaque Latinis aliquam vitationem fuiſſe illius numeri, quaſi ominoſi. Cur enim ejus nominatione abſtinuiſſent? Affers quidem è Cicerone aliquot exempla. Sed illa loca dubiæ ſunt fidei. Nec ipſis ſcriptis codicibus hac in re plurimum fiderem. Nihil enim facilius quam unum jota abeſſe aut alterum. De Novella Theodoſii, in qua hæc ſubſcriptio, illo tempore minus attenderunt iſtis ominoſis. Vetera porro omnia Kalendaria in hac re conſentiunt.

tiunt. Nuſquam enim appellant illum diem, *ante diem ſecundum*, ſed ſemper *ante diem pridie*. Ut Græci πρὸ μιᾶς; qui πρὸ δυοῖν, ſcripſiſſent, ſi apud Latinos *ante diem ſecundum* reperiſſent. Quod ille autem meus Græculus de biſſexto notat δυάδα ominalem fuiſſe Latinis, & ideo nominationem ejus vitaſſe, de illo loco intelligit, ut in illo nempe menſis die ſignificando non expreſſerint. Et nihil ſanè verius quam non expreſſiſſe. Nec ille ſolus ex Græcis hoc notavit: ſed habeo plures, quos ad teſtimonium poſſim citare, quos apparet id à Latinis auctoribus ſumſiſſe. Vetus auctor de menſibus Romanorum: Τὴν μὲν οὖν νουμηνίαν ἔλεγον Καλένδας· τὴν δὲ δευτέραν τοῦ μηνὸς πρὸ τεσσάρων ἢ πρὸ ἓξ, ὡς εἴρηται, Νοννῶν· ἔσω δὲ παράδειγμα, ὥσπερ ὅταν πεμπταῖαι ὦσιν αἱ Νόνναι· τὴν δὲ τρίτην, πρὸ τριῶν Νοννῶν· τὴν δὲ τετάρτην, πρὸ μιᾶς Νοννῶν, διὰ τὸ ἀποφεύγειν τὴν δυάδα. Malè ergo ominata, & ideo non nominata δυὰς, non ſolum in Nonis, ſed etiam in Kalendis & Idibus. Apud Johannem Lydum, auctorem veterem, cujus & Photius meminit, & inter eos, quos legit, in Bibliotheca ſua recenſet: Παρ' Ἰταλοῖς ὁ δυικὸς ἀριθμὸς ἀποφεύγεται· σεκοῦνδον δὲ αὐτὸν ὀνομάζουσιν, οἱονεὶ εὐτυχῆ τελείως, κατ' εὐφημισμὸν, ὡς Εὐμενίδας καὶ Ἀδράστειαν καὶ Πάρκας κατ' αὐτοὺς τὰς μηδενὸς φειδομένας Μοίρας. Quod non ita accipiendum, ut tu facis, qui ſomniaſſe meum Græculum arguis, cui plures nunc dedi ſuffragatores & auxiliarios, qui te umbonibus junctis cogant in ſuam ſententiam deſcendere. Ex Agellio conſtat capite & libro, quæ ſupra citavi, Romanis atros fuiſſe dies primos poſt Kalendas, Nonas, & Idus. Qui dies primi ſunt dies planè *ſecundi* vel poſteri Kalendarum, Nonarum & Iduum. Si retro eum vocaſſent, ut tu velle videris, poſteros illos dies, non aliter eos appellaturi fuere, quam *poſt diem ſecundum Kalendas, Nonas* & *Idus*. Secundos itaque illos dies Kalendarum, Nonarum, & Iduum, quia nefaſti haberentur & ominoſi, ne quidem nominare voluerunt in præcedentibus Kalendas, Nonas, & Idus diebus. Cum enim appellare deberent diem pridie Kalendarum, *ante diem ſecundum Kalendas*, & ſic de Nonis & Idibus, maluerunt dicere, *ante diem pridie*.

Nonius *poſteros* dies eos vocat, qui iidem ſunt cum *ſecundis*; dies nempe poſtridie Kalendas, Nonas & Idus. *Atri dies*, inquit, *dicuntur, quos nunc nefaſtos vel poſteros vocant*. Afranius Fratriis: *Septembres heri Kalendæ: hodie ater dies*. Atque hæc de δυαδικῷ ἀριθμῷ Romanis ominoſo. Hæc celox nimis onuſta eſt. Ubi embole ex aliis mercibus non accedet, onerabimus in navem illam mercem, de qua in literis tuis. Vale, & me ama. XII. Kalend. Februarias CIↃ. IↃ. CXXXVIII. Raptim. Vix enim relegere licuit. Meas ad Cl. Rivetum quæſo cures. pro opera videbis & Epigramma, quod ei miſi. Iterum vale.

EPISTOLA CXXV.

JOH. FREDERICO GRONOVIO.

Cognovi ex tuis haud nimium gratam tibi accidiſſe libertatem, qua uſus ſum in carpenda obſervatione tua *Ante diem*. Atqui eam dederas, nec niſi dediſſes, ſumpſiſſem. Quid enim mea refert, quo quis modo credat aut ſcribat? Sed quod eandem tibi vindicaſti in coarguenda mea reprehenſione, rem longè gratiſſimam feciſti. Nulla enim vetus avia adeo alte mihi viſceribus inſedit, ut eam de pulmone revelli ægre patiar. Cum video rurſus, me pugnare veris poſſe, qui veris facilè vincor, idem victoriam de me non libenter trado, ſi juſta ſit. Nolim tibi amatam opinionem & amplexibus tuis adeò fortiter inhærentem avellere, & ſtultus ſim, ſi ſperem id me poſſe efficere. Lubet tamen oſtendere mihi quoque meam nec ſine cauſa placere, quin tanto magis gaudebo, ſi ſine rivali amavero. Potentiſſima mihi ratio viſa eſt, ne crederem appoſitionem eſſe in illa loquutione, *Ante diem Kalendas*, quod viderem eam appoſitorum eſſe naturam, ut ſequi debeant eandem in omnibus motionem, quam haberet dictio, cui adponi ſolent. Hoc verum, nec

nec in dubium revocaſti. Sed ais, me velle eandem rationem illius, *A. D.* III. *Kal.* & illius *die tertio Kalendas*. Non puto me tam fuiſſe ſtultividum, ut hoc cogitarem. Immo in meis, ſi recte eas legiſti, invenies me dicere verba illa, *tertio Kalendas* ἐλλειπτικῶς dici, cum ſubaudiendum ſit *ante Kalendas*. Idem eſſe & in illa locutionis formula, *tertium diem Kalendas*, quæ eadem prorſus eſt cum ſuperiore, *tertio die Kalendas*. De qua tamen, ſi memini, nullum in diatriba tua verbum. Quomodo igitur potui eandem rationem, in illis ſtatuere, quæ toto genere & ipſe differre notavi, cum illud *A. D.* III. *Kal.* plenum eſſe dixerim, illa vero, *tertium* aut *tertio Kalendas*, defectiva? Sed ipſe non bene percepiſti quid voluerim. In quo culpam eſſe meam fateor nonnullam, qui tot verba perdidi, nec tamen me ſatis explicavi. Appoſitio ut ſit in illis *A. D.* III. *Kalendas* non facit illa præpoſitio *ante*, ſed eſt in duabus illis vocibus *diem Kalendas*. Da alterum quæ regat ſextum caſum, ſi appoſitio tua locum habet, ibi quoque habere debebit: ſi quis nimirum dicat, *à die tertio*, *Kalendis*, *ſe aliquid feciſſe*. Fateris ipſe ita ſe rem habere, cum ponis per omnes caſus ambulare hanc appoſitionem. Dixi itaque ſi per appoſitionem acciperemus illud dici *tertium diem Kalendas*, non rectam fore loquutionem, *die tertio* K*alendas*, ſed dicendum eſſe, *die tertio* K*alendis*. Quid ad hæc opponis? Quærebam quomodo in hac appoſitione adpoſitum ſequatur caſum verbi cui adponitur? Scribis, nihil eſſe demonſtratu facilius. Vereor ne hæc demonſtratio non ſit ex earum genere, quas Mathematici γραμμικὰς appellant. Ais igitur, ut hoc demonſtres, poſſe dici & *dies tertius* K*alendæ*, & *tertiæ diei* K*alendarum*, & ſic deinceps. An ſic ſatis id demonſtratum putaſti? Quid ſi negem dici poſſe, an non meliori ratione & ἀποδεικτικωτέρᾳ utar? Certe quod nunquam dictum eſt, nec à quoquam uſurpatum, ſi contendam non poſſe dici, mea potius ſit, quam tua ex demonſtratione ἀναγκαιοτέρᾳ victoria. Age vero, oſtende, ſi potes, aliquem idoneum auctorem ita loquutum eſſe. Si hoc facis, ut tuum tibi reddam, viceris. In iſtis loquutionibus & formu-

lis

Digitized by Google

lis non te latet auctoritatem & uſum rationi prævalere. Sed quid vetat ad ipſam etiam rationem provocare, & probare non illam hic tecum facere? Adpoſitio qualem hic intelligimus, duabus tantum dictionibus conſtat. Non eſt quod ullum numeri nomen adjungamus. Si *dies Kalendæ* Latinè rectè dici poteſt pro die Kalendarum, tum qualemcunque voles numerum ei adjunxeris, & rectè procedet. Videamus ergo an aliquis Latinè loqui volens dicere queat, *dies Kalendæ, die Kalendis*: ut dicitur *Urbs Roma*, *Urbem Romam*, & *Urbe Roma*. Nemo ſanus ita loquatur: *Eram in urbe die Kalendis Januariis*, pro die Kalendarum Januariarum: *A die Kalendis Januariis male me habui*, pro à die Kalendarum Januariarum. Quæſo, bona fide mihi reſpondeas, hoc eſt, an dicturus ſis, *die Bacchanalibus jucundè fuimus*. Diceres puto, die Bacchanalium. Scio veteres dixiſſe, *Saturnalibus bono die*, ut & apud Catullum, *Saturnalibus optimo dierum*. Sed hoc aliud eſſe non es docendus. *Dies Opalia* & *dies Saturnalia* pro dies Saturnalium & dies Opalium, neſcio an uſpiam occurrat in auctore Latino. Nec ſanè puto. De Nomine Kalendarum, Nonarum, Iduum, hoc idem adſtrui poteſt. Feriarum hæc nomina eſſe in ſingulis menſis Græci Latinique auctores ſcribunt. Vetus ſcriptor Anonymus: Νεμᾶς εἰς τρία τὸν μῆνα διελὼν τρίχη τὰς ἐν αὐτῷ διετύπωσεν ἑορτάς. Sequitur paulo poſt: Πρώτη τοίνυν ἑορτὴ αἱ Καλάνδαι, παρὰ δ' Ἕλλησι νουμηνία. Et ſic de Nonis & Idibus. Ut Græci non dicunt ἡμέρα νουμηνία, ſed ἡμέρα νουμηνίας, ita nec Latini unquam dixerunt, *dies Kalendæ*, ſed *dies Kalendarum*. At tibi placet, ut congrua, hæc oratio: *Hodie Amſterodami manebo, cras Leydæ: dies tertius, Kalendæ, reducent me Hagam.* Tolle illud *Tertius*, & fac te rediturum eſſe Hagam ipſis Kalendis Februariis. Sic igitur dices ex nova tua Latinitate: *Dies Kalendæ reducet me Hagam*. Amice, hæc mera monſtra ſunt. Atque facilius ferri poſſet hæc loquutio de ipſo die Kalendarum, quamvis certum ſit nullam appoſitionem tolerari in eo poſſe, quam eo ſenſu quo vis: ut *dies tertius Kalendæ* ſit tertius dies poſt Kalendas, vel ante Kalendas. Perſequamur

& even-

Digitized by Google

& eventilemus analogiam hujus loquutionis. In quarto caſu
dices. *Tertium diem, Kalendas Januarias, tranſegi cum amico
Amſtelodami.* Hic magna erit ambiguitas, & confuſio, utrum
more ſolito Latinorum intelligas te tertium diem ante Kalen-
das Amſtelodami tranſactionem cum amico feciſſe, an tradu-
xiſſe illum diem tertium Kalendas dictum per appoſitionem.
Scis autem æquè uſitatum fuiſſe Romanis *tertium diem Kalen-
das hoc fieri*, ac *tertio die Kalendas*. Facetius porro illud eſt,
quod per omnes caſus inoffenſo pede tranſiiſſe tibi viſus in
ſexto & ultimo cadis vel claudicas. Sic enim ſcribis: Et ſic „
per omnes caſus. At in ablativo cum adpoſitio eſt, *tertio die* „
Kalendis; ipſe Kalendarum dies ſignificatur; cum verò dici- „
tur, *tertio die Kalendas*, intelligitur tertius ante Kalendas. „
Cur hoc tam diverſe? Sed verba illa vix bene capio tua:
In ablativo cum adpoſitio eſt, *tertio die, Kalendis*, ipſe Ka- „
lendarum dies ſignificatur. Annon vis & in hac loquela in- „
telligi tertium diem ante Kalendas, vel certè etiam poſt Ka-
lendas? Nam utrumque intelligi poſſit. Quid in primo caſu,
cum dicis, *dies tertius, Kalendæ, me reducet Hagam*, quomodo
accipis? An & *Kalendæ* ibi ſignificabunt ipſum Kalendarum
diem, ut in ſexto? Qui ſic loqueretur, dubium certè me dimit-
teret, utrum de tertio die poſt Kalendas, an de tertio ante
vellet intelligere. Ignoſces ſi mentem tuam heic percipere
non poſſum. Quæ nihilo liquidior aut dilucidior in his, quæ ſe-
quuntur: Denique in illo, *Ante diem tertium Kalendas*, prout „
ego explico, primus dies hujus numeri intelligitur ipſe, qui „
ſic vocatur; tertius vero ipſæ Kalendæ: at in illo *die tertio* „
Kalendas, incipit numeratio à die Kalendarum, iſque primus „
eſt; qui ſic dicitur tertius. Davus ſum, non Oedipus. Verba
illa, *die tertio Kal.* per abbreviationem ſcripſiſti, ut neſciam
utrum *die tertio Kalendas*, an *die tertio Kalendis* ſcribere volue-
ris. Poſtremum tamen hoc potius puto. nam video tibi in animo
fuiſſe exponere adpoſitionem illam, quæ in ablativo uſurpatur,
tertio die Kalendis, quia ipſum diem Kalendarum ſignificari tra-
didiſti. Nunc demum in viam intelligentiæ redeo. Eandem

Digitized by Google

ſignificationem vis eſſe utriuſque loquutionis, *ante diem tertium Kalendas*, & *die tertio Kalendis*: ſed in illa primum diem hujus numeri intelligi ipſum, qui ſic vocatur, tertium vero ipſas Kalendas; in iſta vero, *die tertio Kalendis*, incipere numerationem à die Kalendarum, cumque primum eſſe; qui ſic dicitur, tertium. Amice care, ita te intricaſti, ut valde metuam, ne è cœno cupiens plantam evellere, fruſtra cupias. Oſtendere primum debuiſti, hanc formulam veteribus uſitatam fuiſſe, *die tertio Kalendis*. At præter has duas nulla mihi occurrit in veterum ſcriptis. Aut enim dicunt, *ante diem* III. *Kalendas* vel *Kalendarum*, aut *tertio* vel *tertium Kalendas*. In hac poſteriore ſubintelligi præpoſitionem *ante* omnes Grammatici antiqui teſtantur, ut ſit pro *die tertio* vel *tertium ante Kalendas*. Utraque loquutione ultimus terminus, ad quem numerus refertur in Kalendis ſtatuitur & figitur. Nec aliter poteſt. Nam in hac dierum menſis computatione qualis apud veteres Romanos inita eſt & inſtituta, numeri καθ' ὑπόβασιν procedunt, non κατὰ πρόβασιν. Non debes igitur numerare incipere à Kalendis ipſis, ſed à die qui numeratur, qui dies, prout magis magiſque ad Kalendas, hoc eſt, ad ultimum terminum, ad quem referuntur, ſenſim diminuuntur & unum diem perdunt. Quam ὑποβάσεως ἀριθμοῦ ſignificationem & ad ultimum terminum, qui eſt in die Kalendarum, relationem, utraque illa loquutio ſupra poſita planam certamque exhibet. At qualem fingis tibi in illa, quæ apud te ſolum reperitur, præterquam, quod dubia eſt atque incerta, utrum de diebus ante an poſt Kalendas accipi debeat, contra naturam eſt illius numerationis, & à nemine veterum uſurpata legitur. Dicat quis aliquid ſe feciſſe aut facturum eſſe *die tertio Kalendis Januariis*, nemo de die ante Kalendas tertio potius accepturus eſt, quam de die tertio poſt Kalendas. At ſi dixero me veritatem hujus loquutionis approbaturum eſſe elegantiſſimo Gronovio *die tertio Kalendas Februarias*, aut *ante diem tertium eaſdem Kalendas*, ſtatim omnes intelligent me deſignare diem tertium qui præcedit Kalendas menſis ſupraſcripti. Sed ridi-

Digitized by Google

ridiculi illi veteres Romani, qui cum poſſent expeditè & clarè eam rem ſignificare his loquendi modis, quos tu confinxiſti, maluerunt obſcuritatem affectare, & ἐλλείψεις neſcio quas amare præ illa & integra & plana quam adducis. Non ſanè nunc temere digladiaremur, qua ratione aut quo ſenſu dixerint *ante diem tertium Kalendas*, aut cur ἐλλειπτικῶς hoc idem extulerint pro *die tertio*, aut *tertium diem Kalendas?* Quid enim illo tuo clarius aut brevius? *die tertio Kalendis hoc fieri: dies tertius Kalendæ nobilitatus eſt inſigni victoria:* & ſic de cæteris. At illi mori moroſas ſtribiligines loquendo ſequi maluerunt, in quibus multas ſubauditiones, ut intelligantur, fieri neceſſe eſt. Agellius ſcribit libro v. cap. XVII. *Q. Claudius annalium quinto cladem pugnæ Cannenſis vaſtiſſimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles.* Quid ille ineptus ſibi voluit? Nonne brevius & expeditius hanc rem ſic eloqui poterat, dicendo: *factam dicit die quarto Nonis Sextilibus.* Idem cum in titulo capitis poſuit: *& cur diem quartum ante Kalendas, vel Nonas, vel Idus, quaſi religioſum plerique vitant.* Quid, malum, opus fuit addito illo *Ante?* An non abſque illo planior & conciſior fuit futura oratio hoc modo: *Et cur diem quoque quartum Kalendas, vel Nonas, vel Idus, quaſi religioſum plerique vitant?* Poſtremo qui ſcribat in eodem capite, *ante diem quartum Kalendas, vel Nonas, vel Idus, ominalem fuiſſe*, cur non potius ſcripſit, ut compendioſior eſſet ſermo, *diem quoque quartum Kalendas vel Nonas:* per appoſitionem nempe. Hac eadem appoſitione, ſi nota veteribus fuiſſet, locus ille Livii, quem adfers firmandæ tuæ ſubauditioni, explicatior & brevior fieri poterat. Ex his omnibus, mi Gronovi, liquere poteſt ei, qui non valde pertinax fuerit, fuiſſe admodum pertinaces antiquos ſcriptores in illa loquendi formula, quam nemo unquam rectè explicaturus eſt, niſi illa via, quam inſtitimus. Et priuſquam porro ad illam tuam ſubauditionem iterum diſcurrendam veniamus, patere, ut paulo, quam ante, enucleatius ab ipſo capite quæſtionem hanc examinemus. Hac enim penſius ad obruſſam exacta, inanis apparebit illa tua ſubaudi-

auditio; & ratio harum loquutionum purgatior pateſcet. Ut *ante* & *poſt* relata ſunt, & σχέσιν habent planè parem, ita eadem ratione ac proportione cenſentur. Et numeratio quidem dierum poſt Kalendas, quæ κατὰ πρόβασιν procedit, naturalior eſt, quatenus progreditur augeſcendo. Quæ fit καθ' ὑπόβασιν, minus ſecundum naturam, quia minuendo computatur: eandem tamen habet analogiam. Nam à decem ad unitatem ſimiliter fit regreſſus, ut ab unitate ad decem progreſſus. Quamvis autem Romani magis probarunt in diebus menſium numerandis eam rationem, quæ fit καθ' ὑπόβασιν ἀριθμῶν, non potuerunt tamen illam, quæ naturalis eſt, ſi quis uſurpare velit, eodem modo tractare. Accipiamus igitur Kalendas, hoc eſt, primum menſis cujuſque diem, Terminus hic erit medius inter minuentes per numeros & gradus dies prioris menſis, & increſcentes ordine naturali dies ejuſdem menſis, cujus ſunt Kalendæ. Ad quas Kalendas tanquam ad ultimum terminum referetur computatio καθ' ὑπόβασιν præcedentium ex priori menſe dierum poſt Idus, & ſequentium ex eodem menſe κατὰ πρόβασιν, ſi quis hanc eandem rationem velit inire, quam diſcernent tamen præpoſitiones *ante* & *poſt*, vel implicite, vel explicite. Primus igitur menſis dies Kalendæ. Incipiamus à naturali ordine, qui κατὰ πρόβασιν progreditur. Sequens dies erit ſecundus, quia poſt primum, ac dicetur *ſecundus dies Kalendarum*. Si vis etiam, *ſecundus dies à Kalendis*, & *ſecundus dies poſt Kalendas*. Sic tertius, ac deinceps. Ille ſecundus dies Kalendarum, vel poſt Kalendas, non dicitur niſi ratione primi. Dicitur etiam & *poſterus dies* vel Kalendarum, vel etiam poſt Kalendas. Hinc compoſitum adverbium *poſtridie* pro antiquo *poſteri die*. Sic enim loquebantur pro poſtero die: ut *die quinti*, *die noni*, & ſimilia apud Agellium. Hunc *ſecundum* vel *poſterum* diem Kalendarum, ſi quis in primo caſu vellet appellare: *hic ſecundus eſt dies Kalendæ:* vel de tertio: *hic tertius eſt dies Kalendæ:* profecto exſibilaretur. Potes dicere: *hic ſecundus eſt dies*, vel *tertius Kalendarum*, vel *poſt Kalendas*. Quod ſi dicas, *poſtridie Kalendarum*, de hoc ſecundo

Digitized by Google

cundo die, rectum erit, ut *poſtridie hujus diei*. Si *poſtridie Kalendas* dicas, ut paſſim legimus, hoc figuratum, & per ἔλλειψιν intelligendum, poſtridie poſt Kalendas. Nec enim Grammaticos hic audio, qui *poſtridie* vicem præpoſitionis hic habere volunt, & regere accuſativum. Ita ergo, ſi quis dicat tertio die poſt Kalendas Januarias ſe feciſſe, rectè dicturus eſt. Sed ſi vellet dicere, *tertio die Kalendas Januarias*, & ſubaudire *poſt*, ratio quidem id æquè admitteret, ut in diebus Kalendas antecedentibus: ſed quia numeratio illa obtinuit in præcedentibus, non in ſubſequentibus, ideo non uſitata eſt in ſequentibus κατὰ πρόσθεσιν diebus hæc loquutio, ut aliquis dicatur *tertio die Kalendas* aliquid feciſſe, & intelligatur poſt Kalendas id factum. Id enim ſolum obtinuit in numero dierum Kalendas præcedentium. Nam in hoc qui ſequitur alia admiſſa eſt numerandi ratio, ut ille dies, qui tertius eſt poſt Kalendas, appelletur *tertio Nonas*, hoc eſt, tertio ante Nonas, introducta illa perpetua καθ' ὑπόβασιν numerandi ratione. Nunc retrogrediamur, ac videamus, quid obſervatum fuerit in diebus Kalendas præcedentibus ex priori menſe, quique referuntur ad Kalendas ipſas ſequentis menſis, tanquam ad ultimum terminum. Ut dies *poſtridie Kalendarum* vel Kalendas. Hic enim ſine errore *poſtridie Kalendas*, dicitur ſubaudiendo poſtridie poſt Kalendas, quia *poſt* habet incluſum. Ut, inquam, dies poſtridie Kalendas, *ſecundus* eſt Kalendarum dies, vel poſt Kalendas, qui primus eſt, ita ultimus menſis dies, qui proximè præcedit Kalendas, *ſecundus* eſt Kalendarum, vel *ſecundus* ante Kalendas. Quem tamen vitarunt nominare antiqui ob δυσφημίαν, ut nec *ſecundum* poſt Kalendas, quem potius nominarunt *poſtridie* poſt Kalendas. Hunc ergo ſecundum ante Kalendas vocarunt ſimiliter *pridie Kalendas*, id eſt, pridie ante Kalendas. Id enim omnino ſubaudiendum, haud minus quam in *tertio Kalendas* vel *ſecundo*, ſi diceretur. Fac dici, nam & exempla reperiuntur. Ut *ſecundo Kalendas* dicitur, pro ſecundo ante Kalendas, ita omnino & *pridie Kalendas*, pro pridie ante Kalendas.

Omiſſum eſt per ἔλλειψιν illud *ante* ob frequentem & uſitatam loquendi numerationem in omnibus menſis diebus, ante Kalendas, Nonas, & Idus. Nam illa altera quæ κατὰ πρόβασιν numeraret poſt Kalendas Nonas & Idus, licet naturaliter ſit, & eandem rationem habeat, non eſt tamen frequentata, quia uſum non habuit apud Romanos. Dicam igitur *ſecundo* vel *tertio die Kalendas*, & ſubaudietur *ante*: Sed ſi velim in primo caſu id enunciare, *hic dies eſt ſecundus* vel *tertius Kalendas*, haud ſanè, &c.

Amice Lector, *Quæ ſupererant in hac Epiſtola, quia* ἀπόγραφον, *neſcio quo fato, periit,& operæ,urgente neceſſitate,admodum properabant, non potuere ſatis tempori ex ipſo Autographo denuò deſcribi; quare hic finem fecimus, proximis nundinis volente Deo, aut etiam maturius, quod reliquum erat pertexemus, & adjiciemus præterea Alterum Tomum reliquarum Epiſtolarum ad Viros Cll. & Doctiſſimos, Rivetum, Sarravium, Grotium, Voſſios, Gronovium alioſque plurimos, ad Annum* CIↃ. IↃ. CXL. *quas jam etiam dare conſtitueramus, verùm prægnantibus cauſis in Germaniam excurrens Typographus, oravit ut hic finem faceremus; His ergò fruere Lector, & Vale. Lugd. Bat. Prid. Non. Auguſt.* CIↃ. IↃ. CLVI.

Ad Pag. 294.

Relegenti mihi Prolegomena *mea & has Epiſtolas, etiam iſta notare contigit* παροράματα, *à Benevolo Lectore nunc emendanda, & excuſanda.*

Pag. IX. l. 12. *inactum* leg. *intactum*. p. X. l. 27. leg. *juvenem . . . . ingreſſum*. pag. XII. l. 11. *et*. leg. *ut*. l. 21. leg. *attonitos*. pag. XIII. l. 5. leg. *propè*. p. XVIII. l. 13. *ſexto*. leg. *tertio*. p. XXXIII. lin. 5. poſt *ſchedis*, pone comma. p. XXXVII. l. 5. *donec*. leg. *ac*. lin. 6. *conſuluit*. p. XL. l. 6. leg. *Eccleſijs Salmaſius*. l. 19. leg. et adde, *Romanum, ingrata eſſet Aula Pontificiæ. Int*. p. XLI. lin. 31. leg. *dolebat, ut* &c. p. XLIV. l. 21. leg. *longiuſculæ*. p. XLV. l. 9. leg. *deturbatum ſe fuiſſe, locuples* &c. lin. 11. leg. *agitur erga* &c. p. XLVI. lin. 21. poſt *mille*, adde, *florenos*. In Epiſt. p 5. l. 12. *voyerez*, leg. *jungerez*. p. 163. lin. penult. leg. *differants*. pag. 177. lin. 28. *deſordre*. p. 218. l. 2. leg. *C'eſt ce*. l. 12. leg. *& den*. p. 219. l. 2. leg. *ayent* pag. 222. l. 3. leg. ὁ κτηρίωΓι. p. 249. l. 16 leg. *homines*. p. 257. l. 1. leg. *notas*.

SUMMA PRIVILEGII

D. D. ORDINUM FOEDERATARUM BELGII PROVINCIARUM.

ILluſtrium & Præpotentium D. D. Ordinum Fœderatarum Belgii Provinciarum Decreto cautum eſt *Antonio Clementio*, ne quis tredecim annis ſequentibus, citra ipſius voluntatem, in hiſce Regionibus ullo modo, ſive omnes, ſive ex parte, imprimat, aut alibi impreſſas in has Provincias inferat aut divendat EPISTOLAS CLAUDII SALMASII. Qui ſecus faxit, tum Exemplarium omnium confiſcatione, tum præterea trecentorum Aureorum mulctâ damnas eſto: prout latius patet in ipſo Diplomate, dato Hagæ-Comitum, in Conventu Potentiſſimorum D. D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii. XXIV. Auguſti: CIↃ IↃ C LVI.

W. van Geuckelom, vt.

Ex Mandato D D. Ordinum
Generalium S.

N. Ruyſch.

E*X poteſtate quæ mihi à Potentiſſimis D. D. Fœderatarum Belgii Provinciarum Ordinibus facta eſt, Tibi ſoli,* Adriane Wijngaerden, *pro amicitia quæ mihi tecum intercedit, permitto, uti hunc Tomum* EPISTOLARUM CLAUDII SALMASII, *qui primus eſt, Typis tuis excudas & divulges: ne quis alibi alius præter Te, cupio, ſive jubeo, ex lege quam iidem Præpotentes Ordines dixere.*

ANT. CLEMENTIUS.

Digitized by Google

A. V. O. M. S. D.

Accepi tuas, & cum his cenſuram conjecturæ Anonymi ſcriptoris, de *Suburbicariis Regionibus & Eccleſiis*, auctore Iacobo Sirmondo, Societatis Ieſu Presbytero, quam jam inde ex quo typis eam edi mihi ſignificaras, & ſtatim ac edita eſſet miſſurum promiſeras, non patienter expectavi. Omne quod ab illo tempore tempus huc uſque fluxit, etſi non longum fuit, mihi tamen longum viſum eſt. Hic mos eſt ſcilicet magnæ cupiditatis, ut moras oderit, & punctum temporis, lineam putet. Id te curaſſe habeo gratiam, & ut quam primum fidem tuam liberarem, & ne ego diu cuperem, quod tantopere cupiebam. Iam potes ſcire, aut, ſi neſcis, ſaltem conjicere quanta cum aviditate ſcriptum illud legerim, cujus legendi tanto deſiderio me flagraſſe non ignoras. Quæris quid ſentiam? non hoc puto te petere, ut uno verbo quid mihi videatur abſolvam, atque utrum probem an improbem, ſic & ſimpliciter tibi indicem; nec ſi peteres, facerem. Nam profecto ridiculus eſſem ſi tantum me auctorem aut tanti meam auctoritatem haberi vellem, ut aut rationi præſcribere, aut ſola ſine ratione ſufficere poſſit. Non ſum tam arrogans & iniquus, nec tam præceps & judicii mei prodigus, ut ſententiæ ad hoc exemplum modumque, Pythagoreum planè, a me prolatæ, amicos cedere potius, quàm allatis rationibus credere, æquum exiſtimem. Petis igitur, ni fallor, ut non ſolum quæ mea ſit ſuper illo ſcripto ſententia, oſtendam, ſed etiam quare ita ſentiam, explicem. quid? an ut cenſuram illam recenſeam, & quodammodo cenſoris agam cenſorem? τοῦτο μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς, & ſi quid tibi negare poſſem, libenter adderem, ἔτοι δώσω. Non parva res eſt, inquam, nec quę paucis, aut brevis & communis Epiſtolæ verbis exponi poſſit. Quod ſi tibi otii tantum eſt, aut etiam ſi non ſit, tamen æquo animo ferre potes bonarum aliquot horarum, dum leges iſta, diſpendium, facile hoc pretio quod poſcis impetrabis, & tibi jacturam illam imputabis. Jam hinc igitur incipe quod ipſe tibimet intrivisti comedere, & tempus perdere aude. Enimvero, ut ingenuè & liberè fatear, tantum abeſt, ut ſpem quam de illo conceperam, cenſorius iſte liber impleverit, ut expectationem meam, quam

auctoris

auctoris nomen, de libris & de fama mihi cogniti, excitaverat, planè deſtituerit. Sic enim mihi perſuadebam ſpondebamque virum catum, ſi quis alius, & cautum, qui cenſorem profeſſus eſſet, & hanc ſibi perſonam impoſuiſſet, ita partes illas acturum eſſe quas elegerat, ut quo ſtylo alterum compungere voluiſſet, non ipſe confodiendum alteri ſe præberet. Cenſor non cenſor eſt, niſi ita ſe parat, atque ita munus adminiſtrat ſuum, ut quam alios notare impunè, tam ipſe notari poſſit à nemine. Hic verò noſter adeo non hoc proſpexit, ne cui graviori culpæ obnoxius ipſe deprehenderetur, qui leves aliorum noxias tam acerbè confricaret, ut unum illud curæ & ſtudio videatur habuiſſe, non quid culparet & damnaret, ſed quomodò reprehenderet id quod ſemel quo jure quaque injuria reprehendendum arripuiſſet. Hinc multa ut in cenſore ſeveritas, ſed in cenſura veritas nulla, aut ſi quæ eſt, in levibus & extra rem qua de agebatur, peccatis aſtutè conquiſitâ & captata eſt, ut fides inde adſtrueretur falſæ in aliis reprehenſioni, quæ majoris erant momenti, magisque ad rem pertinebant. Nunquam autem me in hac lite interpoſuiſſem, nec illi Anonymo, quisquis eſt, conjectori patrocinium commodaſſem, quem alio quam ſe patrono ac defenſore minimè indigere ſciebam, niſi eò me provocaſſes, & judicium meum de tota hac materia expetiſſes. Porrò & ante Sirmondum & alii quidam hanc eandem provinciam ſuſceperunt, & illius Anonymi libello reſcripſerunt, ut conjecturam, quæ jam multis non tàm de novitate placebat, quàm de veritate ſe probabat, deſtruerent, & falſam eam eſſe & abſurdam, demonſtrarent. Quid ab illis præſtitum ſit, & an illud effecerint quòd volebant, non alium velim teſtem quam hunc ipſum Sirmondum. Hic niſi vidiſſet eos fruſtra fuiſſe, & omnem operam luſiſſe, nunquam profecto poſt eos in eandem arenam deſcendiſſet, ut actum, quod ajunt, ageret, & cum hoſte jam confecto proſtratoque luctaretur. Nonne hoc magnum ſignum eſt, virum doctiſſimum ita de eorum conatu ſenſiſſe, ut nihil plus quàm conatum judicaret? an aliquid amplius ipſe fecerit, & quod alii tantum tèntarunt, exequutus ſit, hæc epiſtola declarabit, & tu dijudicabis. Sed ad rem venire jam tempus eſt, & in linea ſtare ad quam dimicandum eſt. Tota quæſtio vertitur in his duobus. Urbicariæ vel ſuburbicariæ regiones quæ fuerint, & unde ſic appellatæ: quænam item Eccleſiæ ſuburbicariæ, & unde hoc illis nomen. De ſuburbicariis regionibus prius diſpiciamus. Eas conjector fuiſſe conjiciebat, quæ ad præfecturæ urbanæ jurisdictionem pertinerent, quæque intra centeſimum ab urbe lapidem, qui terminus erat urbicæ jurisdictionis, includerentur: atque inde dictas urbicarias quod urbico præfecto ſubeſſent. Aliter cenſet cenſor. Quomodo igitur ille? fatetur, quando negare non poteſt, urbicarias provincias intra Italiam tantum eſſe, non tamen eas eſſe quæ præfecto urbi parerent,

rent,

Digitized by Google

rent, ſed quæ vicario urbi. O veritas quanta es, quæ tui etiam oſores ut ore tuo interdum, & ſi non plenè nec planè, tamen utcumque loquantur, facis! quæ quantumvis preſſa ſuppreſſaque erumpis aliquando, & ubi non datur totam lucem effundere, radiis tamen aliquot ſparſis & ſcintillis emicas! Satis eſt, bene habet, extorſit illa conjectura quam tantopere ſugillant, ut nullæ jam extra Italiam urbicariæ provinciæ reperiantur, immò ut ne omnes quidem Italiæ regiones hoc nomine cenſeantur: quod hactenus à magnis illis Eccleſiæ columinibus luminibusque, ut creditum fuerat, ſic aliis fortaſſe perſuaſum. Dicat nobis cenſor, ſed bona fide, quibus rationibus inductus, aut quibus adductus auctoritatibus, ipſe credere potuit, aut nobis voluit perſuadere, urbicarias provincias dici potius eas quæ ſub vicariæ urbanæ diſpoſitione cenſerentur, quàm quæ ſub urbanæ præfecturæ jurisdictione? Quid nobis adfert quare illud potius quàm hoc verum eſſe ducamus? quodnam hominum genus eſt iſtud? Deus bone, quàm mirificum! qui cum ſibi vel injuratis fidem ab omnibus haberi poſtulent, ipſi ut cuiquam vera dicenti auſcultent, nullo tam locuplete teſte, tam idoneo auctore, nulla denique tam valida ratione, facile ſe ſuperari patiantur? Sed hoc ſi agimus, agamus. Argumenta omnia, quæ ſtabiliendæ ſententiæ ſuæ in medium attulit, partim ſunt falſa, partim adeò levia, adeò infirma & frivola, ut in his evertendis non multum nobis operæ perdendum fuerit, nec enim diu concutienda fuerunt ut laberentur. Sponte ruebant. Ne verbis autem id magis, quæ tutò in ore volitant, quàm rebus oſtendamus, ſciendum eſt urbicariæ, & annonariæ regionis appellationem & diſtinctionem in uſu fuiſſe haud paulò ante Conſtantini imperium, ſub quo primùm vicarii urbis & Italiæ eſſe cœperunt: totus enim ille tractus, qui extra urbem certos uſque ad fines procurrebat, qui circa urbem & ſub urbe erat, & eadem cum urbe jurisdictione coërcebatur, *urbicarius* vel *ſuburbicarius* dicebatur, & *urbicaria regio* vel *ſuburbicaria*: quod territorium etiam urbanum vel urbicarium; ſuburbanum vel ſuburbicarium liceat appellare. nullum autem fere oppidum, nulla colonia, nullum municipium, quin aliquantum agri modum extra muros & circa muros adſcriptum haberet & certis limitibus definitum, intra quem juris dicendi, coërcendique magiſtratui illius municipii coloniæve poteſtas eſſet. hoc *territorium* vocabant: Gloſſæ, *territorium*, ἄγρον ἐπὶ Κολωνίᾳ interpretantur. ἐνορίαν alii dixere. *Regionem* etiam Latini appellarunt. Sæculus Flaccus de conditionibus agrorum: *Regiones autem dicimus, intra quarum fines ſingularum coloniarum aut municipiorum magiſtratibus jus dicendi coërcendique eſt libera poteſtas.* Nos etiam hodie omne illud ſpatium quod circa urbem aliquam certis finibus comprehenſum eſt, intra quos fines urbicus magiſtratus jurisdictionem coërcitionemque habet, *banleucam* ſeu *bannum* leugæ vocitare conſuevimus. Iurisdictionis in urbe Roma ſummam penes urbis

 præfe-

præfectum fuiſſe nemo paulò humanior ignorat. Jurisdictionis porrò illius poteſtatem non pomærio incluſam fuiſſe, ſed ad centeſimum uſque lapidem proceſſiſſe nemini item ignoratum eſt. Omne igitur illud ſpatium extra urbem Romam centeſimo milliario circumſcriptum, quod totam præfecti urbis jurisdictionem ambitu ſuo claudebat, *urbicaria* vel *ſuburbicaria* Regionis nomine intelligebatur. Sic accipienda *Vrbicaria Regio*, Cod. Theod. *Tributa in ipſis ſpeciebus inferri*, Leg. 11. *quod peraque in omni vino quod ex Vrbicaria regione confertur, obſervandum eſſe cenſemus.* Romana Regio ab eadem ratione dicitur in Antiqua Inſcriptione quam hic producemus:

POLLIO. IVLIO. CLEMENTIANO
SVEVENTORI. CIVIVM
NECESSITATIS. AVRARIÆ. DEFENSORI
LIBERTATIS. REDONATORI. VIÆ. POPVLI
OMNIVM. MVNERVM. RECREATORI
VNIVERSA. REGIO. ROMANA. STATVAM
COLLOCAVIT. CVRANTE. CL. PLOTIANO.

Romana regio, & Urbicaria regio eadem. hæc ab urbe; ſic enim κατ᾽ ἐξοχὴν Roma dicebatur. illa à Roma; ſic Ῥωμαίων χωρίον apud Ignatium in Epiſtola ad Romanam Eccleſiam: τῇ ἐκκλησίᾳ ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου τῶν Ῥωμαίων. χωρίον τῶν ῥωμαίων eſt regio Romana, vel Romana provincia; de qua infra, ubi de ſuburbicariis Eccleſiis agemus. Generali autem appellatione, quod Coloniis territorium, hoc urbi Romanæ Urbicaria regio vel Romana, intra cujus ſcilicet finem præfecto urbi jurisdictionem exercere licebat. Hæc appellatio, ut dixi, generalior eſt. nam plures regiones & ipſas urbicarias dictus comprehendebat. Sic *annonaria regio* Trebellio Pollioni Italia tota dicta eſt, quæ annonarias regiones continebat, extra centeſimum ab urbe lapidem omnes poſitas, & ideò ab urbicariis ſeparatas. Urbicaria igitur regio quæ urbicarias aliquot regiones complectebatur, ut annonaria, annonarias. Urbicariæ autem regiones ſemper cum urbe conjunctæ, & nunquam ab ea avulſæ aut ſegregatæ leguntur. ſequebantur enim urbem urbicariæ regiones: annonariæ verò cum Italia ambulabant, immo totam Italiam conſtituebant. Hinc in Cod. Theod. multis locis urbicariæ regiones ab Italia ſeparantur. urbicariæ & ſuburbicariæ eædem dicebantur. nam ut urbanus & urbicarius idem, ſic planè ſuburbanus & ſuburbicarius. quod enim nullæ viciniores urbi regiones, utpote quæ omnes intrà centeſimum concluderentur, inde etiam à vicinitate urbis, ſuburbicariæ & ſuburbanæ dictæ. Rus ſub urbe, ſuburbicum, ſuburbicarium, & ſuburbanum idem. Hæc Grammatici oleū olere dicent. oleant ſanè

Digitized by Google

ſanè, ſed ſi ad rem faciunt, quid eſt quod nos Grammaticæ pudere debeat? liquere certè de his puto, licet Grammaticalibus, quàm fruſtrà ſit Cenſor qui ſuburbicarias Provincias ex eo dictas cenſet, quod à vicario Urbis regerentur, & ſub ejus diſpoſitione eſſent. Sic Romanus orbis, qui Romanis parebat, dicendus etiam eſſet, Subromanus: & provinciæ Prætoriæ, quas proprætores vel Prætorii legati regebant, ſubprætoriæ; quæ præſidibus ſuberant, non tantùm præſidales, ſed etiam ſubpræſidales. pari quoque modo ſubconſulares nuncupandæ forent, quas adminiſtrabant legati conſulares. quid ni & ſubproconſulares, quibus adminiſtrandis proconſules præficiebantur? ad hoc exemplum ſuburbicariæ vocarentur, quæ ſub poteſtate & adminiſtratione urbici vicarii fuere regiones. quæ vocis formatio in hunc ſenſum inſolens omnino eſt & inuſitata; ſic dum bonum cenſorem profitetur, malum Grammaticum confeſſus eſt. ſed ne ſic quidem bonus cenſor, qui malus Grammaticus, in his præſertim, in quibus ſi alterutro excidas, utrumque amittas neceſſe eſt. Sed verba omittamus, rem putemus ipſam. quam abſurdum verò eſt ſuburbicariarum appellationem à vicariis urbis arceſſere, quarum nomen jam audiebatur, & in re Romana notum erat priuſquam vicarii cogniti eſſent? an ſuburbicarias vel ſuburbanas iſtas Romæ provincias tum demùm natas eſſe putabimus, poſtquam vicarii præfectorum Prætorio in Urbe & Italia à Conſtantino ſunt inſtituti? nullane ante hoc tempus ſuburbicaria Romæ loca? nugæ, quarum me piget tædetque. Hæc ſatis eſſe poterant tam ineptæ ſententiæ confutandæ ac revincendæ, ſi quid ſatis illis eſſe poſſet, qui linguam non habent qua verum fateantur. Qui ſi victi vivi dimittantur, nunquam victi ſint, & glorias ultrò flare ſolent & victorias ementiri. Ferrum igitur etiam premam, & vulnera eo uſque imprimam donec vel ultra mortem pateant. Laudo qui hoſtem non tantum cædunt, ſed & concidunt. Omnes, inquit cenſor, in Italia provinciæ, quæ ſub diſpoſitione vicarii urbis erant, ſuburbicariæ dictæ ſunt. Ita ne vero? minimo negotio ſciri iſtud poteſt. videamus an verum dicat. Quæ provinciæ in poteſtate vicarii urbis fuerint, & quot, Notitia imperii exponit his verbis, quæ & ipſe retulit: *Sub diſpoſitione V. S. vicarii Vrbis Romæ Provinciæ infra ſcriptæ: Conſularis, Campaniæ, Tuſciæ & Vmbriæ, Piceni ſuburbicarii, Siciliæ, Corrector Apuliæ & Calabriæ, Bruttiorum & Lucaniæ, Præſides Samnii, Sardiniæ, Corſicæ, Valeriæ.* Mirum verò cum omnes ſuprà ſcriptæ provinciæ ex ſententia cenſoris ſuburbicariæ fuerint, quod vicario urbis ſcilicet parerent, unam duntaxat ibi nominari *ſuburbicariam*, nempe Picenum. quo jure, quo privilegio Picenum ſuburbicarium dicitur, cæteræ non dicuntur? omnes eodem jure, eadem conditione cenſentur, ut non & eodem nomine cenſeantur quæ ratio efficere poteſt? omnes ſunt ſuburbicariæ, omnes ſub urbis vicario conſtitutæ, qui fit igitur, ut quod omnibus debetur, una poſſideat? quod omnibus

commune nomen eſſe debet, hoc uni ex omnibus quaſi peculiare donetur? præterea quid opus erat Picenum præter cæteras, quarum par erat ratio, hac nota inſignire, cum eo ipſo quod inter provincias ſuburbicarias recenſebatur, & ſub diſpoſitione vicarii ponebatur, ſuburbicarium illud eſſe ſatis intelligi daretur? Hæc mihi maximam admirationem movent, & merito. Illud dicet fortaſſe, Picenum ſuburbicarii appellatione ideo impertiri, ut diſtingueretur ab altero Piceno, quod annonarium vocabatur, & erat ſub diſpoſitione vicarii Italiæ. Si hoc ingerunt: regeram, quid opus ad hanc notandam diſtinctionem adjectione *ſuburbicarii*, cum Picenum illud quod inter provincias ſuburbicarias numerabatur, & eas quæ vicarii urbis adminiſtrationi tantum ſubeſſent, nonniſi de ſuburbicario poſſet accipi? nam quis poterat iſtic errare? aut quis Picenum annonarium pro ſuburbicario intelligere quod ibi locum haberet, ubi provinciis annonariis locus non erat, ſed ſolis ſuburbicariis? expecto quid ad hæc cenſor reſponſurus ſit. Conſtat annonarias regiones & ſuburbicarias fuiſſe diverſas, qua de re nec ipſe dubitaverit. ſic annonarium Picenum aliud à ſuburbicario. Tuſcia ſuburbicaria non eadem cum annonaria. annonarium Picenum vicario Italiæ ſubjectum: ſuburbicarium, vicario Urbis. Idque etiam cenſuræ auctor agnoſcit. At cum idem velit ſuburbicariarum nomine omnes cenſeri, quas ſub ſe habebat vicarius urbis. inter eas autem quæ ab illo vicario regebantur recenſet Notitia, Campaniam, Umbriam, Samnium, Apuliam, Calabriam, Bruttios, Lucaniam. ſi vera ejus ſententia eſt, certa ſtatui poteſt, has omnes provincias ſuburbicarias fuiſſe, non annonarias. Sed quid Trebellio reſpondebit, qui eaſdem illas provincias Italiæ accenſet & in annonaria regione ponit? verba ejus hæc ſunt: *Pudore tamen victus vir nimium ſeverus, eum quem triumphaverat correctorem totius Italiæ fecit, id eſt, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Bruttiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Umbriæ, Piceni & Flaminiæ, omniſque annonariæ regionis.* quibus verbis plus quàm manifeſtum eſt, Italiam & annonariam regionem de eadem ab auctore dici, & indiſcriminatim utramque poni. *Tota* enim *Italia*, & *omnis annonaria regio*, res diverſa non eſt, ſed eadem omnino. omnis annonaria regio, totam Italiam ſic propriè dictam conſtituebat; & tota Italia omnem illam regionem annonariam continebat, quæ generali nomine de omnibus Italiæ regionibus annonariis dicebatur, ut urbicaria de urbicariis. Valde autem obſervandum eſt in illo Catalogo provinciarum Italiæ vel annonariæ regionis apud Trebellium, nullam ſuburbicariam provinciam inveniri. Duæ erant quas certo conſtat ſuburbicarias fuiſſe: nam ita paſſim à Veteribus nominantur, Tuſcia & Picenum. eæ non habentur in illo numero. Nam Picenum quod ibi memoratur, & cum Flaminia junctim ponitur, annonarium erat, non ſuburbicarium. Tuſcia item illa quæ Umbriæ conjuncta recenſetur, annonaria fuit,
non

Digitized by Google

non ſuburbicaria. nec quin ita ſit, diſconveniet cenſor. Jam certum eſt Trebellii temporibus, hoc eſt Diocletiani, antequam ulli vicarii eſſent, urbicariam regionem ab annonaria diſtingui ſolitam, & urbem cum urbicariis regionibus, ſeparatam fuiſſe ab Italia & annonariis provinciis. Cum igitur ex illo Trebellii loco exploratum habeamus provincias illas ſupraſcriptas, Campaniam ſcilicet, Samnium, Lucaniam, Calabriam, Apuliam, Bruttios, annonarias fuiſſe, nec ad urbem vel urbicariam regionem pertinuiſſe, ſed ad Italiæ provinciam: quomodo efficiet cenſor, ut ſuprà dictæ omnes provinciæ, ſuburbicariæ quoque ſint, quod vicario urbis ſubeſſent? ſic plane oporteret eaſdem annonarias & ſuburbicarias fuiſſe. quod ſi eaſdem fuiſſe putat, doceat nos cur Picenum annonarium ubique à ſuburbicario diſtinctum inveniatur; & ſuburbicaria Tuſcia ab annonaria. undique concluſus tenetûr, nec uſpiam locus effugio patet. quid dicet? quid finget? jam certo certius eſt, niſi nos fallit ea Notitia, urbanæ vicariæ non ſuburbicarias tantum regiones, ſed etiam bonam partem annonariarum fuiſſe ſubjectas; imo etiam quaſdam quæ nec annonariæ nec ſuburbicariæ eſſent, ut Siciliam, Sardiniam, Corſicam; has tres. quid? an etiam dicet ſuburbicarias eſſe? De Sicilia ita ſane cenſet cenſor, ſuburbicariam nempe fuiſſe, quod vicario urbis pareret. rem factam habebat, niſi contrarium aſſerentibus faveret lex Theod. Cod. IX. *de extraord. munerib.* in qua apertè Sicilia ab urbicariis regionibus ſecernitur. nonne hæc diſerta verba ſunt? Non enim per Italiam tantum, ſed etiam per urbicarias regiones, & Siciliam patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſecundas eſſe perſpeximus. Nihilominus tamen rem ſe factam habere putavit, & lepido argumento ſic ſibi conſultum ivit: Siciliam in ea Lege ab urbicariis regionibus ſeparari, non quia urbicaria eſſet & ipſa, ſed quod curandis patrimonialibus & emphyteuticariis fundis peculiarem haberet rationalem, & alium ab eo qui urbicarias regiones procurabat. non poſſum pati quin rideam. an tu hæc poteris ſine riſu legere? non ſane putem, ſi benè mihi cognitus es, ita digna res eſt tuo cachinno. vide ſis mihi acumen. Sicilia ſeparatur ab urbicariis regionibus, non quod diverſa, ſed quod diverſum haberet rationalem. bona profectò ratio. hærebat niſi ſic ſe expediſſet. Eſt quod gaudeam me non tam acutum eſſe natum: nam ut rem video, in his minus ſæpe falluntur, qui minus acuti ſunt. ut ſum rudis & ſimplex, ita continuo collegiſſem, Siciliam quod tam diſertim ab urbicariis regionibus in ea lege diſtinguatur, & quod diverſum ab urbicariarum rationali habuerit rationalem, certò non poſſe dici urbicariam, nec de urbicariis unam regionibus fuiſſe: quin imo ideo non eundem qui ſuburbicariis procurabat, ei præfuiſſe rationalem, quia ipſa ſuburbicaria non eſſet. Hoc eodem quo Sirmondus utitur argumento, facile etiam probari poſſet, Italiam fuiſſe tôtam ſuburbicariam. nam & illa

non

non minus quam Sicilia peculiarem habuit rationalem, & non minus quam Sicilia in eadem illa lege diſtinguitur à provinciis ſuburbicariis. quod ſi hoc in rem fuiſſet Sirmondi, & ejus propoſito accommodum, potuit omnino & Italiam inter ſuburbicarias ponere & etiamnunc poterit, & quotieſcunque uſus illi venerit. Notitia imperii alium Italiæ rei privatæ procuratorem tribuit, alium Siciliæ, alium urbi & urbicariis regionibus : *Rationalis rei privatæ per Italiam : Rationalis rei privatæ per urbem Romam & ſuburbicarias regiones : Rationalis rei privatæ per Siciliam: Rationalis rei privatæ per Africam.* Sic Africa etiam inter ſuburbicarias fuerit quod ſuus illi & peculiaris rationalis eſſet, ſi vera cenſoris ratio eſt : & ſecundum hanc eandem rationem Illyricum quoque cui & rationalis erat, ſuburbicarium fuiſſe oporteret. Qui Rationalis in illa Notitia per urbem & ſuburbicarias regiones ſimpliciter & abſolutè dicitur, an eum non per omnes ſuburbicarias, ſed per quaſdam tantùm procuraſſe intelligemus? Atqui putabam qui ſuburbicarias generaliter dixerat, nec aliquem ex his exceperat, de omnibus intellexiſſe. Excepit verò, ſi Sirmondo bene creditur, tres provincias iſtas, Siciliam, Sardiniam & Corſicam, quæ ſuburbicariæ fuerunt, nec tamen ſuburbicariarum nomine comprehenſæ ſunt. Per tres illas provincias Rationalis unus fuit, qui trium provinciarum Rationalis vocabatur. ſic enim appellatur in inſcriptione legis unicæ Conſtantini, Cod. Theod. *de communi dividundo.* in qua miror non additum fuiſſe, *Gerulo trium ſuburbicariarum provinciarum rationali.* ita ſane oportuit, ſi ſuburbicariæ fuere. Sed profecto ſatis hic multos rationales video, nullam rationem. quid enim? omnibus provinciis ſuburbicariis duos dat Rationales, quorum alterum ſuburbicariarum regionum Rationalem dictum eſſe vult, & ſi omnes ille ſub ſua procuratione ſuburbicarias non haberet; alterum autem qui partem ſuburbicariarum adminiſtraret, nunquam tamen ſuburbicariarum Rationalem appellatum, ſed Siciliæ tantùm aut trium provinciarum, hoc eſt Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ. Hoc an cuiquam fieri veriſimile poſſit, neſcio, mihi certè non fit. Alius igitur erit per urbem & urbicarias Rationalis; alius per Siciliam, Sardiniam, & Corſicam, & aliquis putabit has provincias fuiſſe ſuburbicarias? ut ne cuiquam maledicam facile mihi imperare poſſum, ſed profecto ne de eo male ſentiam qui ita cenſet, nullo modo queo à me impetrare. Quantò ſimplicius erat, & ingenuo viro dignius, veritati ſponte manum porrigere, quàm in hos ſe laqueos inducere, è quibus eum mira, ut putabat, ingenii velocitate ac dexteritate expeditum, rurſus impedivimus, atque ut in eodem luto hæreret, fecimus, unde pedem quærens evellere fruſtra ſudabit. Sed qui in Sicilia rimam repererat qua evaderet, repidamque rationem excogitaverat qua provinciam eam ſuburbicariam faceret, etſi non eundem cum ſuburbicariis agnoſceret Rationalem, quid in Campania facturus ſit, ſcire ad modum
aveam.

aream. Provinciam enim iſtam, quam ſuburbicariam quoque eſſe voluit, quia vicario urbis pareret, Lex XII. Cod. Theod. *de indulgentiis debitorum*, manifeſtò à ſuburbicariis ſejungit his verbis: *præter cenſuales functiones Campania quam & vetuſtatis gravior onerat adſcriptio, & poſt hoſtium vaſtavit incurſio, peræquatis territoriis nonam partem tatnummodo præteriti aſſis publicarum toleret functionum. Picenum verò & Tuſciam ſuburbicarias regiones ſeptimam tributorum ad ſupputationem profeſſionis antiquæ per univerſos titulos jubemus agnoſcere.* Nihil heic loci relictum eſt acumini ſolertiæque cenſoris, ita plane hæc verba indicant, & tantùm non clarè clamant, Campaniam non fuiſſe de ſuburbicariis regionibus, quæ nec uſquam ſuburbicaria nominata invenitur, & in hac lege ab urbicariis regionibus eo ipſo diſcernitur, quod Tuſcia & Picenum ſuburbicariæ regiones dicantur, ipſa non dicatur. Nam & hæc diceretur, opinor, ſi eſſet, aut nec illæ dicerentur: quippe ſi iſta non minus quàm illæ, ſuburbicaria, cur illis potius quàm huic id nominis ajdungeretur. Non deerit fortaſſe quod reſpondeat. Campaniam nimirum totam fuiſſe ſuburbicariam, ac partem Piceni alteram annonariam, alteram ſuburbicariam dictam eſſe: Tuſcias item duas his cognominibus diviſas. diſtinctionis igitur gratia Picenum & Tuſciam, ſuburbicariæ regiones fere ſemper cognominatæ ſunt, ut à Piceno & Tuſcia annonariis diſcerni haberent. Nihil nos movebit; nec morabitur ejusmodi reſponſum: quippe qui certum habeamus & exploratum, Picenum ſuburbicarium & Tuſciam ſuburbicariam, partes Piceni & Tuſciæ appellatas eas eſſe, quæ propiores vicinioresque urbi eſſent, & intra centeſimum comprehenſæ clauderentur: quæ verò longius recederent earumdem provinciarum partes & extra centeſimum excluſæ ſummoverentur, annonarii Piceni & Tuſciæ annonariæ nomine veniſſe. Ea propter Campaniam, quæ tota ſecluſa eſſet à centeſimo milliario intra quem ambitum poſitæ provinciæ ſuburbicariæ dicerentur, nec poſſe dici, nec unquam eſſe dictam ſuburbicariam. Quod ſi contra pertendet ille, non ſolùm Campaniam, ſed & Samnium & Calabriam & Apuliam & Lucaniam, & reliquas quæ ad vicarii urbis diſpoſitionem ſpectabant, ſuburbicariarum regionum nomine olim fuiſſe notas, faciat nos, ſi poteſt, ut ſciamus, quid cauſæ fuerit quamobrem alteri Piceni parti nomen annonariæ regionis inditum ſit, altera verò ſuburbicaria ſit appellata. cur item altera Tuſcia annonaria, altera ſuburbicaria meruerit appellari; cum reliquas omnes ſuburbicarias tantummodo fuiſſe velit. Atqui quas hic ſuburbicarias nos jubet credere, paulo ante docuimus apud Trebellium annonarias dici, & annonariæ regionis titulo univerſas ab illo comprehendi. Aut igitur doceat nos annonarias & ſuburbicarias easdem eſſe: aut ſi id non poterit, oſtendat nobis falſum eſſe Trebellium qui annonarias facit, quas ipſe ſuburbicarias: aut ſi non falſus eſt Trebellius,

faᵗeatur ipſe ſe in deſignandis ſuburbicariarum regionum finibus tota veri regione erraviſſe. Iam ex his omnibus facile cuivis nec incredulo nec pertinaci conſtabit urbicariarum nomen à vicariis urbis non poſſe deduci, quorum inſtitutio hac eadem appellatione poſterior eſt; & qui non ſolas ſuburbicarias, ſed etiam annonarias non paucas, & quaſdem præterea, quæ nec annonariæ nec urbicariæ eſſent, ſub diſpoſitione ſua habuerunt. Nam ex Conſtantini inſtitutione, præfectus prætorio Italiæ duos ſub ſe habuit in Italia adminiſtranda vicarios. Hi totius Italiæ adminiſtrationem ſic partiti ſunt, ut alteri urbs, & quæ urbem ſequebantur provinciæ, hoc eſt urbicariæ cederent, ut Tuſcia ſuburbicaria, Picenum ſuburbicarium, & ſi quæ aliæ de quibus infra dicemus: præter eas etiam ex annonariis aliquammultæ, ut Campania, Samnium, Apulia, Calabria, Lucania, Bruttii uſque ad fretum Siculum, quibus acceſſerunt Sicilia, Sardinia & Corſica, quæ nec annonariæ nec urbicariæ erant. Atque hic dicebatur urbis vicarius, quod ſub ejus diſpoſitione urbs & urbicariæ regiones eſſent, etſi non ſolæ. ab altero vero Italiæ latere, alterius vicarii diſpoſitioni ſuberant provinciæ infra ſcriptæ: Picenum & Flaminia, Æmilia, Liguria, Venetia, & Iſtria, Alpes Cottiæ, Rhœtia prima, Rhœtia ſecunda. nulla in his ſuburbicaria. Atque hic Italiæ vicarius audiebat, licet totam Italiam ſic propriè appellatam non regeret, cujus magna pars vicario urbis parebat. ſed ita vocabatur, ut à vicario urbis diſtingueretur, qui præter illas Italiæ provincias, ſupra memoratas, urbem etiam & urbicarias regiones regebat, atque inde vicarius urbis dicebatur. Verum enimvero, hæc nova Italiæ per vicarios adminiſtrandæ ratio, & inter duos qui vices præfecti prætorio gererent diviſa adminiſtratio, non mutavit veterem & peculiarem Italiæ appellationem, quæ antea obtinebat in illis omnibus provinciis, quæ annonariæ dicebantur, & ab urbicariis cum urbe ſemper ambulantibus diſtinguebantur. Tametſi enim ex illis annonariis non paucæ vicario urbis poſtmodum ceſſerint & ei ad regendum attributæ fuerint, antiqua tamen remanſit, urbis & urbi adnexarum regionum, hoc eſt urbicariarum ab Italia diſtinctio; ita ut quæ ante Conſtantinum peculiare Italiæ nomen provinciæ conſtituebant, eædem & poſt Conſtantinum quoque, & inſtitutos vicarios, conſtituerint. Trebellius Pollio: *Correctorem totius Italiæ fecit, id eſt Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Bruttiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Vmbriæ, Piceni & Flaminiæ.* eadem ferè provinciarum Italiæ enumeratio. Cod. Theod. *de indulg. deb. leg.* VII. *Campaniæ, Tuſciæ, Piceni, Samnii, Apuliæ, Calabriæ, ſed & Bruttiis & Lucaniæ, ex omni præſtationis modo quem antiqua ſolemnitas retinebat, quatuor partes jubemus auferri.* Atqui omnes illæ provinciæ quæ à Trebellio commemorantur, & Italiæ nomine comprehenduntur, non Italiæ ſed urbis vicario poſtea ſubjectæ ſunt. Trebellii igitur

ætate

ætate adhuc Italiæ vox etiam de his provinciis accipiebatur, quæ poſtea diſpoſitioni vicarii urbis attributæ ſunt, cum ratione nominis ſuadente, Italiæ potius vicario viderentur adſcribi debere, & ita fortaſſe primo factum. de quo nos alibi. an poſt Conſtantini tempora hoc mutaverit, & Italiæ appellatio anguſtius ſumpta, in illis ſolis provinciis hæſerit, quæ vicario Italiæ regendæ datæ ſunt, quæramus. Ita quidem voluit auctor cenſuræ. ſed an recte voluerit videndum. Jam illud in confeſſo eſt; in Cod. Theod. paſſim & in Notitia Imperii Italiam ab urbe & urbicariis provinciis ſeparari & diſtingui. Si ſuburbicariæ regiones illæ ſunt, quas eſſe diximus, quibus nimirum tota præfecti urbici juriſdictio comprehenderetur, quæque intra centeſimum urbis lapidem concluſæ tenerentur, nemini poteſt eſſe dubium, quin Italię vocabulum etiam ſub Conſtantino & poſt Conſtantinum de his omnibus provinciis uſurpatum ſit, quæ extra centeſimum ſitæ erant; non de illis tantum ſeptem numero regionibus, quibus regendis vicarius Italiæ impoſitus erat. At prius verum eſt ex his quæ jam diximus, igitur & verum poſterius. Quemadmodum autem multis Cod. Theod. locis diſcerniculum ponitur inter urbicarias regiones & Italiam, ſic lex 11. eod. Cod. *de integri reſtitutione*, centeſimum urbis milliarium ab Italia diſcriminat: *Placuit poſt completum* XX. *& V. annum, ex eo quo viceſimi & ſexti anni dies illuxerit ad interponendam conteſtationem in urbe Roma uſque ad anni triceſimi extremum diem ſpatia prorogari, & intra centeſimum urbis Romæ milliarium, ſi tamen ab iis judicibus qui Romæ ſunt, fuerit judicandum. Per omnem vero Italiam uſque ad anni viceſimi & noni finem. In ceteris omnibus provinciis uſque ad completum annum* XXVIII. Vides uſque ad centeſimum ab urbe lapidem Italiam non eſſe, à centeſimo Italiam dici incipere. Quo igitur nomine notum erat illud omne ſpatium quod ab urbe ad centeſimum uſque milliarium patebat? quo? quo alio putamus quam urbicariæ regionis? urbicarias ergo regiones includebat centeſimus, Italiam excludebat. illæ ipſæ nimirum ſunt urbicariæ regiones centeſimo lapide incluſæ, quas & Theodoſius codex & Imperii Notitia paſſim ſeparant & ſecernunt ab Italia. At cenſor idem menſorque novus ſuburbicariarum regionum non modo extra centeſimum lapidem fines earum promovet, ſed nullum non lapidem movet, ut quo ampliores ei limites conſtituerit, eo brevioribus Italiam coërceat, & anguſtet: cui non plures, ſed illas tantum ſeptem regiones aſſignat, quas ſub ſui juris adminiſtratione Italiæ vicarius habebat. Adeo ſcilicet res in contrarium verterat, ut quæ olim provinciæ extra Italiam poſitæ, non Italiæ, ſed Galliæ Ciſalpinæ nomine Romanis cenſebantur, de his fere ſolis poſtea Italiæ nomen uſurpatum ſit. Hoc credat qui volet, non ego credo. His tamen finibus, nec latioribus, Italiam à Synodo Sardicenſi circumſcribi probare conatur, cum ab Italia

Digitized by Google

non ſolum Romam, Calabriam, Campaniam, & Apuliam excludit, in epiſtola ad Alexandrinos, Apolog. II. verba autem ut ea ipſe retulit, hæc ſunt: ἡ ἁγία σύνοδος συναχθεῖσα ἀπὸ Ῥώμης καὶ Ἰταλίας, Καμπανίας, Καλαβρίας, Ἀπουλίας. quibus verbis putavit, aut nos putare voluit, ab Italia non ſolum Romam ſed etiam tres memoratas provincias ſeparari. quam benè mox oſtendam. nunc ab illo, ſi fas eſſet, libenter quærerem utrum exiſtimet etiam ab urbe provincias illas diſtingui ut ab Italia diſtinguuntur, an cum Roma conjungi, quæ ab Italia disjunguntur? nemo ſanus conjungi dixerit. nam ſi ab Italia ſeparantur, multo magis ab urbe Roma, utpote quæ ἀμέσως ſtatim poſt Italiæ mentionem, non poſt Romæ ſequantur, & nulla quidem interpoſita disjunctiva particula qua Roma ab Italia disjungitur, hoc modo: ἀπὸ Ῥώμης καὶ Ἰταλίας, Καλαβρίας, Ἀπουλίας &c. dicat nobis igitur, niſi moleſtum eſt, quid fiet tribus illis regionibus, aut cujus erunt provinciæ ſi Italiæ non ſunt? Etſi ſum paulo tardior, videor tamen intelligere quid velit, ita enim apertè & clarè quid vellet indicavit, ut vel puer intelligeret. Nos dubitare non vult quin Italia & Calabria, & Apulia, & Campania, tametſi alio nomine diſtinguerentur, partes fuerint Romanæ Diœceſis. vult igitur id nos credere, de quo dubitare nos vetat. credamus itaque, nihil enim facilius. Si totus Occidens Romana Diœceſis, & quidem ſpecialis fuit, ut credi vult, utique etiam credendum, non ſolum Campaniam, & Calabriam, & Apuliam, & iſtas provinciarum minutias, ſed Africam, Gallias, Hiſpaniam, Germaniam, ſingulas fuiſſe partes Romanæ Diœceſis. Sed quid opus erat Italiam laciniatim concerpere, ut probaret iſtas ejus particulas, Romanæ Diœceſis eſſe membra, ſi ſatis conſtabat, totam ipſam & ſolidam, cum omnibus Occidentis provinciis in una fuiſſe Diœceſi, cujus caput & Primas Pontifex Romanus? Riderem profectò, & diſſutis quidem malis, illum hominem, qui ſub Rege Galliarum & Turones & Rothomagum & Andegavos eſſe, docere me vellet. hic non ridebitur qui Campaniam & Apuliam & Calabriam & hujusmodi nugas, ſub Romano fuiſſe Epiſcopo, tanto conatu mihi probare contendit, cui totus Occidens ut Patriarchæ ſuo; univerſus orbis, ut univerſali Epiſcopo, aut pareat aut parere debeat? Romanam autem Diœceſin his partibus, hoc eſt, provinciis diſtinctam fuiſſe autumat, ut alia fuerit Romana provincia, cujus metropolis urbs Roma; alia Italiæ provincia, cujus metropolis Mediolanum; alia Campaniæ, cujus Metropolis Capua; alia Calabriæ, cujus Metropolis Rhegium. Et quo melius id perciperemus & perſpiceremus, exemplo utitur è Galliæ provinciis petito, in quibus alia eſt provincia Lugdunenſis, alia Rothomagenſis, alia Turonenſis, alia Senonia. Sed nihil am diſſimile quàm hoc ſimile. Rectè ſane provinciæ iſtæ Gallicæ inter ſe comparantur, pares enim

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, & earum ſua cuique Metropolis, quæ omnes ſub uno capite & ſub uno primate ſunt, Antiſtite Lugdunenſi. At in illis Italicis quis ferat Italiæ provinciam cum Calabriæ provincia aut Campaniæ comparari & conferri? ne putet me alium adverſum ſe teſtem excitare velle quàm ſeipſum, nonne ipſe eſt qui alicubi in illa cenſura dixit, hoc commune habuiſſe provinciam Italiæ & Romanam, quod utraque terrarum ſpatiis ampliſſima, multas civiles provincias complexa ſit, quodque utrique ſuus fuerit Metropolitanus, huic Romanus Epiſcopus, illi Mediolanenſis? ubi hoc in Campania & Calabria? Multas habuit Italiæ provincia ſub ſe provincias, Campania ſeipſam; totidem fatetur aut oportet fateatur, ſub Epiſcopo Mediolanenſi fuiſſe provincias, quot erant ſub vicario Italiæ. Septem autem illæ fuerunt. Diœceſis igitur hæc plane fuit non provincia. quid aliud enim Diœceſis quàm provinciæ multæ ſub uno rectore? Epiſcopus igitur qui provincias illas omnes regebat, quibus præerat Italiæ vicarius, etſi primas dictus non eſt, revera tamen primas fuit. quid enim plus habuerunt Treverenſis aut Lugdunenſis Epiſcopi quo primates dicerentur? Diœceſes illi rexerunt, ut hic: nec pluribus illæ Diœceſes provinciis conſtabant quàm hæc. Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios Τρέβερα μητρόπολιν Γαλλιῶν vocat, ut Μεδιόλανα Ἰταλίας. Sic enim de utroque Epiſcopo: Παυλῖνος ἀπὸ Τρεβέρων τῆς Μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν ἐπίσκοπος, καὶ Διονύσιος Μεδιολάνων, ἐστὶ δὲ καὶ αὐτὴ μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. Sic etiam utramque Diœceſin conjungit Theodoretus lib. II. c. XV. ὁ μὲν Ἐπίσκοπος τῆς Ῥώμης Λιβέριος, καὶ Παυλῖνος ὁ τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν, καὶ Διονύσιος ὁ τῆς μητροπόλεως τῆς Ἰταλίας. licet autem Italia Diœceſis fuerit, provincia tamen apud veteres ſæpe vocatur. Notum eſt Diœceſin & provinciam non raro apud Latinos confundi, ut apud Græcos ἐπαρχίαν καὶ διοίκησιν. Romana etiam provincia dicta eſt quæ plures ſub ſe provincias continebat. An Italiæ provincia Romanæ pars fuerit, quod hic nobis perſuadere ſatagit, infra commodiore loco dicemus. nunc eam provinciam quæ multas provincias contineret, cum minutis Italiæ provinciis vel regionibus potius, ut æqualibus componi, pati non poſſum quin indigner; & eo quidem magis quod id adſtruitur ex verbis Sardicenſis Synodi, quæ nihil tale tinniunt. Quis enim tam hebes & communis ſenſus expers & primæ litteraturæ inſciens, qui putare queat Italiam, & Calabriam, & Campaniam & Apuliam ſic ibi comparari componique, quaſi æquales provincias & unius Romanæ Diœceſios partes? quis item ſibi perſuaderi ſinat, Calabriam & Apuliam & Campaniam, ibidem ſic ab Italia diſtingui, ut invicem ipſæ diſtinguuntur & ſeparantur? nam ut Campania diverſa ab Apulia, nec Apulia Campaniæ pars, nec Apuliæ Campania; quis hoc idem de Italia poſſit dicere, diverſam eam eſſe ab Apulia, nec Apuliam continere, nec ab Apu-

lia contineri? Quis unquam ex omni memoria inventus præter iſtum, qui ab Italia provincias illas abjudicarit? Nolo mihi heîc argutias, ſoricina nænia confoſſiores, occini de Italiæ appellatione modo latius, modo ſtrictius accepta, deq; Italiæ provincia, cujus Metropolis Mediolanum. Nam & ſi quis illi conceſſerit ſub Mediolanenſi Epiſcopo, qui μητροπολίτης Ἰταλίας dicebatur, non plures, quam ſeptem provincias fuiſſe, an ideo reliquæ Italiæ provinciæ, Italicæ non erunt nec dicentur, quod Mediolanum μητρόπολις Ἰταλίας diceretur? ſic etiam licebit dicat nullas Galliarum fuiſſe provincias præter eas quas Treveritana Diœceſis occupabat, quia Treveri apud Theodoretum & Athanaſium Μητρόπολις τῶν Γαλλιῶν appellentur? ſed non eſt quod ſibi blandiatur de Italiæ provincia, quaſi ſeptem tantùm illas provincias ſub ſe habuerit, quas adminiſtrabat vicarius Italiæ. Duas omnino per Italiam olim fuiſſe liquet Provincias ſive διοικήσεις, Romanam & Mediolanenſem. Mediolanum μητρόπολις Ἰταλίας dicebatur, & ſub ſe continebat omnes Italiæ provincias exceptis urbicariis vel Romanis, quæ Romano Epiſcopo parebant, de quibus infrà ſuo loco. Græci Ῥώμην καὶ Ἰταλίαν duas iſtas ἐπαρχίας vocare conſueverunt. Euſebius lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. XXIV, Βασιλεὺς ὁ Αὐρηλιανὸς τούτοις νέμαι προστάττων τὸν οἶκον οἷς οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. Sic Latini ἐν τοῖς κοσμικοῖς. *urbem & Italiam* cum dicunt, urbis nomine non tantum continentia urbis ædificia intelligunt, ſed etiam centeſimum lapidem, hoc eſt urbicariam regionem totam comprehendunt. Nulla per illa tempora præter has duas in Italia Diœceſis fuit. Præter, inquam, Romanam & Italiam: Romam & Mediolanum. Oportet igitur alterutri ex his duabus provinciis Calabriam & Campaniam & Apuliam ſubjectas fuiſſe, Romanæ ſcilicet vel Italiæ. Ad Romanam provinciam pertinuiſſe nullo modo ex verbis Synodi Sardicenſis, ut concepta ſunt, evinci poteſt. Nam vox Ἰταλίας inter eas & Romam interjecta, quo minus Romæ adjungi poſſint, obſtare videtur, à qua hoc velut interſepimento diſcluduntur. Sic Italiæ provinciæ regiones illas attributas & adjunctas agnoſcemus neceſſe eſt, quas ad Romanam ſpectaſſe nulla ratione datur intelligi. Et ſanè ita eſt, Synodus Sardicenſis verbis illis ſupra citatis duas Diœceſes & non plures complexa eſt, quas ſolas in Italia fuiſſe ſatis conſtat. Ῥώμην ſcilicet καὶ Ἰταλίαν. poſt mentionem autem Ἰταλίας, ſtatim nulla interpoſita diſtinctione ſubjunxit, Καμπανίας, Καλαβρίας, Ἀπουλίας, non ut eas ab Italia excluderet, πολλοῦ γε καὶ δεῖ, ſed ut plane cum Italia conjungeret, & ſub metropoli Italiæ eſſe oſtenderet, quas utique ab ea non diſtinguebat nec ſegregabat. Quod ſi ab Italia regiones illas Synodi patribus diſtinguere placuiſſet, aut omnino diſtinguendæ fuiſſent, quis dubitat eos ita fuiſſe loquuturos? ἀπὸ Ῥώμης καὶ Ἰτα-

Digitized by Google

Ἰταλίας καὶ Καλαβρίας, καὶ Καμπανίας. Nunc cum Romam ab Italia disjunxerint, nomina autem illarum provinciarum ab Italia nulla disjunctiva particula diſcreverint, an cuiquam dubium eſt quin eas provincias Italiæ eſſe intellexerint? Sed clarius Athanaſius ipſe in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, de Epiſcopis qui cum ipſo communicabant, eadem verba uſurpavit: ἀπό τε τῆς μεγάλης Ῥώμης καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης, Καλαβρίας τε καὶ Ἀπουλίας καὶ Καμπανίας, Βρεττίας τε, an Italiam univerſam putabimus Athanaſium dixiſſe, & ab Italia tamen provincias quas ſubjicit, ſecluſiſſe? in tota illa Italia non erunt, Calabria, Campania, & Apulia, & Bruttii? ubi igitur erunt? in Gallia? interpretatione quin etiam ſententiam ſuam adjuvat, mirificam ſententiam mirifica interpretatione. ſic enim verba illa Latinè reddidit: *E magna Roma Italiaque univerſa, ex Calabria, Apulia, Campania, Bruttiis.* aut malus eſt interpres, aut ſimpliciter malus eſt, aut utrumque. quam ſubtiliter ſibi viſus eſt disjunxiſſe quæ in Græcis conjunguntur! malo hercle ſuo tam verſutus vivit. Nam ſæpius iſto nomine nobis os præbebit, fideli autem interpreti ea verba ſic vertenda fuiſſent: *E magna Roma, & Italia univerſa, Calabria & Apulia, Campania, Bruttiisque.* liceret etiam ita vertere: *Et Italia univerſa, id eſt Calabria, & Apulia, Campania, Bruttiisque.* ſic enim Trebellius in Tetrico ſeniore: *Correctorem totius Italiæ fecit, id eſt Campaniæ, Lucaniæ, Apuliæ, &c.* ubi ne omnes quidem Italiæ provincias nominatim poſuit, ſed aliquot poſuiſſe contentus adjecit, *omniſque annonariæ regionis.* ſic Iulianus leg. XXVII. Cod. Theod. *de appellationibus*, cum univerſam ex tota Italia appellationem præfecto prætorio decerneret, aliquot tantum Italiæ provincias nominatim expreſſit hoc modo: *de Sardinia, Campania, Calabria, Bruttiis, & Piceno, Æmilia & Venetia & cæteris, interpoſitas appellationes laudabilis ſublimitas tua, more ſolemni debebit audire competenti appellatione terminandas.* Eodem planè modo Athanaſius poſito Italiæ nomine, & aliquot ex ea provinciis nominatis, ſubintelligendas reliquas reliquit: alias dignum quæri eſſet, cur Sardicenſis Synodus & Athanaſius tres tantum illas provincias nominaverint, cæteras dimiſerint innominatas, quæ non minus tamen ab Italia ſeparari debent, quàm illæ tres. Samnium, Lucania, Valeria, Tuſcia, Umbria, Picenum ſuburbicarium, ab Italia etiam erant excluſæ, nec Italiæ nomine cenſebantur, ſi vera Sirmondi cenſura. Cur igitur ex illis omnibus ab Italia ſecluſis provinciis ſolæ tres à Synodo Sardicenſi nominantur, Campania, Apulia, Calabria? An eo prætermiſſæ ſunt, quod ſub Ῥώμης nomine intelligerentur, utpote quæ ad Romanam provinciam pertinerent, & ſub metropoli continerentur? atqui tres illæ ſuprà ſcriptæ non minus de Romana provincia fuerunt, ut ſentit cenſor, quæ tamen ibidem nominatim memorantur, & quidem non poſt Ῥώμης, ſed poſt Ἰταλίας vocem collocatæ, ita ut Romæ adjungi nullo modo queant?

queant? Si per verba Synodi tres illæ regiones Romanæ provinciæ adſcribi non poſſunt, per ſententiam Sirmondi Italiæ attribui non debent, cui tandem provinciæ acceſſuræ ſunt? vin' hunc ſuo gladio jugulem, & ex ipſius teſtimonio eliciam provincias illas Italiæ adjudicari debere? ita ſanè faciam. procedat teſtis Sirmondus, ut adverſus Sirmondum dicat. ipſe eſt nimirum qui ſcripſit Romanam provinciam multas civiles provincias olim complexam eſſe. ipſe eſt qui annotavit ex vetere Notitia provinciarum Eccleſiaſticarum, provincias quæ Romanæ provinciæ accederent has fuiſſe, Picenum, Tuſciam, Umbriam, Marſorum Regionem, Campaniam, non felicem illam & Capuanam, ſed Latinam. ipſe denique obſervavit omnes earum provinciarum Epiſcopos, qui in illa Notitia ſuprà ſexagenos enumerantur, ſuffraganeos fuiſſe Romani Pontificis, nulli alii primati vel Archiepiſcopo ſubjectos, atque hinc à Latinis vocari Romanos, aut Romanæ urbis Epiſcopos, à Græcis *τοὺς ἀπὸ Ῥώμης*, vel *τοὺς κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπους*, ut apud Euſebium lib. VII. Hiſt. cap. XXX. locus Euſebii *hic* eſt, ſuprà jam à nobis productus, ſed iterum heîc producendus: *Βασιλεὺς Αὐρηλιανὸς τούτοις νέμειν προστάττων τὸν οἶκον οἷς οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν.* Nunc nimium libenter Sirmondum percontarer, cum apud Euſebium illo loci, Epiſcoporum Romanorum & Italicorum tantum mentio fiat, an alios putet aliquos in Italia fuiſſe Epiſcopos præter hos Romanos & Italicos? Profecto ſi ſanus erit, nunquam putaverit. Igitur cum in illa Vaticana Notitia quæ omnium Romanæ ſedis ſuffraganeorum Epiſcoporum continet nomina, nullos nec Calabros nec Campanos nec Apulos commemorari videamus Epiſcopos, non illi ſub nomine *τῶν κατὰ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπισκόπων* venient ſcilicet, ſed *τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν*. Sic Campania & Apulia & Calabria in Italia includentur, quas ille tamen ab Italia excludebat. Quod ſi pergit de Campania, Calabria, & Apulia ſingulas metropoles facere, quæ nec Romanæ ſubjectæ provinciæ fuerint nec Italiæ, eodem adjungat oportet & Samnium, & Lucaniam, & Bruttios, quæ & ejuſdem conditionis erant. nec enim Romanam provinciam ſequebantur, nec Italiam. Sic in illa Italiæ parte quæ ad Siculum mare vergit, ſex ut minimum fuerint metropoles neceſſe eſt, & totidem quot Italiæ in illo latere regiones, ab ipſa tamen Italia & re & appellatione diviſæ. at in altera Italiæ parte quæ ad Alpes tendit, unica tantum Metropolis fuerit, Mediolanum, Italiæ nomine propriè nuncupata, & quæ ſeptem tales ſub ſe provincias habeat, quales erant illæ Metropoles Sirmondianæ. Mira memoratu facinora edit hic homo, novas Metropoles erigit, Eccleſias ſuburbicarias quæ nullæ erant, excitat, provincias ſuburbicarias extra limites ſuos extendit. Credas huic omnia & facere & loqui permiſſum. quouſque illum feremus? multa idem

turbat

Digitized by Google

turbat & miſcet. Modo Italiam & Calabriam & Apuliam provincias in æqua lance ponit, & Romanæ Diœceſis partes illas facit: modo Italiæ provinciam cum Romana contendit,& ampliſſima utramque terrarum ſpatia complexam eſſe ſcribit, & multas civiles ſub ſe provincias habuiſſe. Sic non de corio ſuo quod chamæleontis eſſe proprium dicunt,ſed de calamo ſuo ſibi ludos facit,& nobis illudit. Quale vero illud eſt, quod totam Italiam, τὴν πᾶσαν Ἰταλίαν de ſeptem Italiæ provinciis accipiendam cenſet? Φεῦ quantus cenſor,quàm malè cenſet! omnem quoque Italiam apud D. Hieronimum in Chronico ubi dicit poſt mortem Auxentii Ambroſio Mediolani Epiſcopo conſtituto, omnem Italiam ad rectam fidem eſſe converſam, non plures quam ſeptem provincias capere arbitratur, & nobis auctor eſt ut ita capiamus. Hoc ſi verum eſt, fateamur nihil jam intra oleam, nihil extra in nuce quod durum ſit reperiri. Iam tibi tamen ex his liquido poteſt liquere, tam malum interpretem Synodi Sardicenſis fuiſſe Sirmondum, quam malus metator ſuburbicariarum regionum & Italiæ fuerat. Nunc tibi etiam conſtare opinor ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς non minus, quam ἐν τοῖς πολιτικοῖς, exceptis urbicariis regionibus, quæ cum urbe ibant, nec ab ea unquam diſtrahebantur,& centeſimo includebantur lapide, ceteras omnes Italiæ nomine comprehendi ſolitas. Pergit tamen & urget idem & ſuburbicarias appellari eas conſueviſſe quæ vicario urbis parerent, quovis pignore contendit. Nondum igitur ſatis retuſus eſt, adhuc eum contundamus. Declarari id ait lege tertia Valentiniani, Cod. Theod. *quibus equorum uſus*, in qua per urbicarias regiones inhibitum à ſe uſum equorum ſcribit Imperator, quem per Apuliam & Calabriam, per Bruttios & Lucaniam atque Samnium inhibuerat, quæ omnes provinciæ ſub poteſtate fuere vicarii urbis. Hæc ille, quæ an vera ſint jam faxo ſcies,& res ipſa indicabit. leg. III. Cod. Theod. titulo quo ſupra, ita ſcribit imperator: *Cum omnifariam urbicarias regiones ab omni crimine, & aſſiduis abactorum rapinis quietas eſſe cuperemus, eouſque intentio noſtra proſpexit, ut iſtis in locis equo vehi his tantummodo liceret, quos ab hujusmodi ſceleris ſuſpicione locus aut dignitas vindicavit.* Sirmondus urbicarias regiones in illa lege interpretatur eſſe Apuliam, Calabriam, Bruttios, Lucaniam & Samnium, quod hæ ſub diſpoſitione vicarii urbis eſſent, atque ideo, ut ipſe putat ſuburbicariæ cenſerentur. Sed cum lex, ſuburbicarias dicendo nullam excludat earùm, quibus hoc nomen convenire poteſt, cur ipſe tam anguſtè interpretatus eſt, ut multas in hunc numerum non retulerit, quæ & vicario urbis parebant, atque inde, ſi fas eſt credere,ſuburbicariæ etiam dicebantur? cur Campaniam omiſit? cur Tuſciam & Umbriam? cur Siciliam denique & Corſicam & Sardiniam? an non & iſtæ omnes ſub diſpoſitione vicarii urbis, & per conſequentias,urbicariæ? video quid illi obſtiterit quo minus & iſtas illis admiſceret & eodem congregaret. Lex enim prima, Cod. eod.

 eas

eas tantum nominat quæ ab eo poſitæ ſunt. ſic habet lex illa : exceptis ſenatoribus atque honoratis; Sed & his qui provincias adminiſtrant, veteranis etiam qui ſub armis militia functi ſunt, & decurionibus, ceteris omnibus per Picenum atque Flaminiam, nec non etiam Apuliam & Calabriam, Bruttios & Lucaniam atque Samnium, habendi equi, vel equæ copiam præcluſam eſſe ſancimus. diverſæ hæ duæ leges ſunt, prima, inquam & tertia, & ad diverſos datæ. at quam aſtutè hoc diſſimulabat, atque ita adſimulabat quaſi una eademque lex ſuburbicarias vocaret omnes eas provincias quæ in illa prima lege commemorantur! quid eſt fucum facere, & pulverem ob oculos adſpergere, ſi hoc non eſt? circumſpiciat porro quantum libet, ecquod foramen effugio pateat. nihil eſt. Omnia probe obſepta ſunt. planè tenetur; prima illa lege quæ ad Mamertinum data eſt, aliquot Provinciæ Italiæ nominatim memorantur, in quibus habendi equi vel equæ copiam niſi certis perſonis eadem lege comprehenſis, denegat Imperator; tertia lege eod. titulo, quæ ad Ruffinum dirigitur, equorum ſimiliter uſum prohibet idem Auguſtus per urbicarias regiones, quem jam per illas provincias inhibuerat, quæ prima lege nominantur. hinc ille colligit, ut eſt argutus in primis & acutus, eaſdem omnino provincias in utraque lege intelligi, in prima quidem nominatim expreſſas, in tertia vero generali vocabulo ſuburbicariarum deſignatas. Aut fallitur, aut ego fallor, fallor certè, non enim ille fallitur, ſed fallere vult. Nam quis in re tam manifeſta falli poſſet? tertia lex quæ per urbicarias uſum equorum vetat, nullam excipit, ſed omnes quotcunque fuere, ſuburbicarias comprehendit. prima lex, dimidiam tantum, nec plus, partem continet ſuburbicariarum, ſi omnes ſuburbicariæ, quaſcunque vicarius urbis adminiſtrat. Ergo non eædem provinciæ ſunt quas nominatim lex prima recenſet, & quas urbicarias lex tertia vocat. Scio quid reſponderi poſſit, ſed jam dabo aliud quo magis id credas, & cui nihil reſponderi poſſe tute ipſe confitearis. Picenum, cujus in prima illa lege mentio, non ſuburbicarium eſt ſed annonarium. Iungitur enim cum Flaminia. ubicunque autem Piceni cum Flaminia conjunctim habetur mentio, ibi de Piceno annonario accipiendum eſſe nec Sirmondus inficias iverit. Flaminia etiam annonaria. & utraque provincia ſub vicario Italiæ. Qui fieri igitur poteſt, quum provinciæ quæ certo erant ſuburbicariæ, ut Picenum & Tuſcia, in ea prima lege nuſquam memorentur, quædam autem memorentur, quas nec ſuburbicarias fuiſſe, nec urbis vicario paruiſſe ſatis conſtat; qui fieri inquam poteſt, ut lex tertia urbicarias nominans eas ipſas intelligat provincias quæ in prima lege nominibus ſuis enumerantur? ſed multa vulgo credi poſſunt quæ fieri non poſſunt. Hæc enim ratio perpulit ut ſperaret perſuaderi poſſe nobis, quæ in toties jam dicta prima lege provinciæ Italiæ recenſentur, eas eſſe quæ in lege tertia urbicariæ nuncupantur.

Digitized by Google

tur. Et quo magis ad id credendum induceremur, conſulto conſilio duarum nomina provinciarum reticuerat, quaſi earum in ſupra dicta prima lege nulla foret mentio, quod ſciret ſcilicet, eas nec ſuburbicarias dici poſſe, nec ad vicarii urbis adminiſtrationem unquam pertinuiſſe. Nimirum qui imponere volunt, ita faciunt. En quanta ſpe decidit! fatuos quærebat nec invenit. Futile etiam & vanum & fallax argumentum, quo probandum ſuſcepit, ſuburbicarias dictas eſſe provincias omnes quæ à vicario urbano regebantur, ex Valentiniano reſcripto, annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti CCCLXXI. inſerto, de Urſicini exilio ad Maximinum vicarium urbis, liquet ſub ejus diſpoſitione fuiſſe provincias ſuburbicarias, fuerint ſane, nec nos id negamus, an ideo ſequitur omnes quæ à vicario urbis adminiſtrabantur, ſuburbicarias fuiſſe atque ita eſſe appellatas? Immo non procedit, & falſiſſimum eſt. Nam & præter ſuburbicarias, quæ ita propriè vocabantur, & inter centeſimum urbis milliarium continebantur, multas alias regebat Italiæ provincias ultra centeſimum poſitas, & nonnullas etiam extra Italiam ἰδικῶς ſumptas, ut Siciliam, Sardiniam & Corſicam, quas provincias à ſuburbicariis alias fuiſſe luce clarius à nobis ſupra demonſtratum eſt. ſpecta genus argumenti. vicarius urbis urbicarias adminiſtrabat, ergo omnes quas ille adminiſtrabat, urbicariæ. hoc genere poſſet aliquis probare, Hiſpaniam & Germaniam Galliæ provincias fuiſſe, quod idem præfectus prætorio, qui Gallias ſub ſe habebat, & præfectus Galliarum dicebatur, Hiſpaniam quoque & Germaniam regeret. Regebat igitur vicarius urbis præter urbicarias, multas etiam annonarias, quod ſatis in ſuperioribus oſtendimus: quibus nunc addo, Tuſciam illam quæ cum Umbria jungitur, & in Catalogo provinciarum, quæ vicario urbis parebant, ab auctore Notitiæ recenſetur, fuiſſe annonariam non ſuburbicariam; cujus rei negatio Sirmondo libera non eſt. Nam Tuſcia cum Umbria juncta, & Picenum cum Flaminia annonariæ fuere regiones. atque ut Tuſciam & Umbriam junctim unus regebat Conſularis, ſic Picenum annonarium & Flaminiam unus: Tuſcia autem ſuburbicaria ſeorſim ab uno Conſulari regebatur, ut Picenum ſuburbicarium ſeorſim ab uno. quare cum illa Notitia ponat ſub diſpoſitione vicarii urbis Tuſciam annonariam, ex eo perſpicuum eſt, non ſolas urbicarias ab illo adminiſtratas eſſe, ſed etiam ex annonariis non paucas. Tuſciam & Umbriam Trebellius in annonaria regione numerat: certum igitur ex iſtis omnibus nec ſuburbicarias ab urbis vicario appellationem ſumſiſſe, nec omnes fuiſſe ſuburbicarias, quæ ejus regimini adtributa ſunt, quum etiam annonarias rexerit. In inſcriptione Symmachi, vicarius urbis, *pro præfectis pretorio* dicitur, *in urbe Roma finitimisque provinciis.*

L. AVR. AVIANO. SYMACHO V. C.
PRÆFECTO VRBI. CONSVLI.

C 2 PRO

PRO PRÆFECTIS PRÆTORIO IN VRBE ROMA
FINITIMISQVE PROVINCIIS.
PRÆFECTO ANNONÆ &c.

Vicarius urbis, ut ex hac inſcriptione apparet, habebat ſub ſua adminiſtratione urbem, & urbi finitimas provincias. Sed quis nobis iſtas definiet finitimas, aut quos uſque ad fines finitimæ dicentur? finitimæ certe ſuburbicariæ, ut nullæ magis: centum quippe millibus P. ab urbe non longius aberant, etiam quæ longiſſime. finitimæ tamen etiam dictæ quædam extra centeſimum. Novella Valentiniani *de ſuariis boariis*, Lucaniam & Campaniam vicinas provincias vocat, quarum utramque extra centeſimum eſſe ſitam nemo neſcit. verba Novellæ: *de vicinis provinciis*.i.e. *Lucania M. quadringentorum, Campania M. nongentorum quinquaginta ſolidorum debita emolumenta oportet decerni.* Male hodie, *Lucania Æmilia* pro *Lucania mille*. ſic Umbria & Tuſcia annonaria, vicinæ etiam provinciæ, quamvis ultra centeſimum conſtitutæ. Siciliam quoque ſuburbanam provinciam vocant Cicero & Florus. hæ omnes provinciæ ſub vicaria poteſtate fuere. Latius igitur patent finitimæ quam ſuburbicariæ. omnes ſuburbicariæ, etiam finitimæ, ſed non omnes quæ finitimæ cenſebantur, ſuburbicariæ fuerunt. Finitimarum ut laxa & lata ſignificatio ſic vaga & incerta. at ſuburbicariarum certa, ſtabilis & fixa. Hinc Notitia imperii cum mentionem facit *Rationalis rei privatæ per urbem & ſuburbicarias provincias*, & Procuratoris per urbem & urbicarias regiones, non explicat quænam illæ ſint, nec earum nomina memorat, quod notum ſcilicet omnibus eſſet, nullas ſuburbicarias eſſe præter eas quæ centeſimo ab urbe lapide quoquo verſum circumſcriberentur. Suos igitur illæ fines certos & perpetuos, & immutabiles immobileſque habuere: nec unquam ullæ factæ ex ſuburbicariis non ſuburbicariæ, aut ex non ſuburbicariis ſuburbicariæ, nec ullo in tempore ampliatus earum numerus aut deminutus legitur: ſic nec præfecti urbis ordinaria juriſdictio dilatata unquam eſt aut contracta, ſed ſemper iiſdem finibus delimitata eſt, & intra centeſimum urbis ſtetit, quibus terminis omnis urbicaria regio definiebatur. quod ſi vicaria poteſtas nullas alias ſub ſe provincias habuiſſet, quam ſuburbicarias, profecto eadem imperii Notitia quæ procuratorem rei privatæ per urbem & ſuburbicarias regiones fuiſſe notat, item Rationalem per urbem & urbicarias, non aliter provincias urbano vicario ſubditas deſignaſſet, quam hoc modo: *Sub diſpoſitione V. S. vicarii urbis Romæ, urbs & provinciæ ſuburbicariæ.* quid enim fuit neceſſe ſingillatim eas recenſere, & omnium nomina adponere? præterea quorſum attinuit in iis recenſendis quaſdam ex illarum numero hac veluti nota ac peculiari ſigno ab aliis diſtinguere, ut ſuburbicariæ dicerentur? ſi omnes ſuburbicariæ, cur una tantummodo ita vocatur inter eas, quibus ut idem juris competebat, ſic idem nominis congruebat?

bat? ad hæc mihi reſpondeat & virum putabo. Quam pueriliter autem in eo errat quod provincias in Italia ad Conſtantini uſque tempora non fuiſſe ſcribit! hoc tam conſtanter, tam confidenter aſſeverari cum audio, mihi videor ſomniare: an ille potius ſomniabat & quidem vigilans qui hoc affirmavit? Ante tempora Conſtantini provinciæ nomen in Italia inauditum dicit? ubi hoc didicit? quis auctor illum docuit Provincias in Italia à Conſtantino primum factas, quæ antea provinciæ non erant? vellem apertius nobis ſententiam ſuam explicuiſſet. nec enim ſatis capio quid velit. an hoc vult; quæ prius in Italia regiones dicebantur, eas ſub Conſtantino & eſſe & dici cœpiſſe provincias? non igitur regiones Italiæ amplius auditæ poſt Conſtantinum ſed provinciæ tantum? atqui & provincias & regiones eaſdem dictas etiam poſt Conſtantini ævum reperio. Notitia imperii, & Cod. Theod. ſuburbicariarum regionum paſſim meminerunt. ſuburbicarias provincias eaſdem vocat Novella Theodoſii *de Tironibus*. Incipio tandem intelligere. provinciæ & regiones ſimul dictæ ſunt poſt Conſtantinum quæ ante id temporis regiones tantum vocabantur. Sed quæro unde provinciæ appellatio ſub Conſtantino? & cur tandem receptum in Italia provinciæ nomen, & Italiæ regionibus inditum? An quod primus omnium Conſtantinus præſidibus, correctoribus, & conſularibus regendas Italiæ regiones commiſit, atque inde factæ ſunt præſidales, correctoriæ & conſulares in Italia provinciæ? Certe ſi primus earum adminiſtrationem auctor & inſtitutor in Italia Conſtantinus dici poteſt, nec negari poteſt, quin illa unica ſit ratio, quæ Italiæ regiones, ut provinciæ dicerentur, effecerit. quid enim aliud cauſæ poſſit afferri, cur provinciæ ſint appellatæ, quæ prius regiones nuncupabantur? At ſi longe ante Conſtantini imperium, jam inde ab Hadriani, conſtat totam Italiam per partes, variis temporibus varie, modo à conſularibus & proconſulibus, modo à juridicis correctoribus adminiſtratam fuiſſe. quis hunc aliorum injuſtum cenſorem eripiet, quo minus noſtræ juſtæ caſtigationi & cenſuræ hoc nomine ſubjaceat, quod provincias demum natas ſub Conſtantino in Italia aſſerit, quas tanto ante tempore notas fuiſſe certum eſt. Scribit Spartianus Hadrianum quatuor Conſulares per omnem Italiam judices inſtituiſſe. Qui Spartiano ſunt Conſulares; Appiano, qui Hadriani ipſius ætate vixit, ἀνθύπατοι ſunt, hoc eſt proconſules. Et narrat hic quidem etiam libera ſtante republica Italiæ regiones à Proconſulibus adminiſtrari ſolitas, & Hadrianum hoc genus adminiſtrationis per Italiam, deſitum & intermortuum reſtituiſſe potius quam inſtituiſſe. Verba Appiani ex libro primo de bellis civilibus: καί τις ἐκ τούτων μειράκιον ὅμηρον ἰδὼν ἐξ Ἀσκούλου πόλεως εἰς ἑτέραν ἀγόμενον, ἐμήνυσε τῷ περὶ τὰ χωρία ἀνθυπάτῳ Σερουιλίῳ. ἦσαν γὰρ ὡς ἔοικε τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἄρχοντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη, ὃ καὶ Ἀδριανὸς ἄρα μεμυμένος ὕστερον χρόνῳ πολλῷ τὴν αὐτοκράτορα

παρὰ Ῥωμαίοις ἡγούμενος ἀνεκαίνισε. Sed de illo Appiani loco nos alibi. ἀνθυπάτους vocat, quos Spartianus Conſulares. Sic cum in veteribus Latinis inſcriptionibus paſſim Conſularium Campaniæ occurrat mentio, in Græca vetere ἀνθύπατον Καμπανίας memini legere : ΑΝΙΚΙΟΝ ΒΑΣΣΟΝ ΤΟΝ ΑΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ. Mentio etiam niſi fallor alicubi in Latinis proconſulum Campaniæ. diximus alio loco quid diſcriminis fuerit inter proconſules & Conſulares. Cæterum poſt Hadrianum, Marcus Antoninus, Hadriani ſequutus exemplum, ut ille Conſulares, ita hic juridicos Italiæ regionibus ad jura reddenda impoſuit. Hi juridici uſque ad Macrini imperium duraverunt, ſub quo eos deſiiſſe, nobis ex Dionis fragmentis compertum. poſt id tempus ad Conſtantinum uſque, à correctoribus Italiam, ut plurimum fuiſſe adminiſtratam reperio. poſt Conſtantinum autem paſſim multa frequenſque mentio præſidum, correctorum, & Conſularium in Italiæ regionibus regendis. Non tamen ille primus hanc per Conſulares provinciarum adminiſtrationem, ut quoſdam video velle, inſtituit, quæ non in Italia ante ipſum, ſed etiam in toto paſſim Oriente & Occidente in multis provinciis obtinebat. Provinciæ igitur in Italia non tantum poſt Conſtantinum ſed etiam ante Conſtantinum. Si qua enim Italiæ regio à Conſulari regebatur, ea utique provincia, & quidem Conſularis. Quæcunque Italiæ regiones magiſtratibus parebant à Cæſare impoſitis, ſive illi Conſulares eſſent, ſive juridici, ſive correctores, & provinciæ illæ erant optimo jure, & dicebantur. Hæc adminiſtrationis forma cum per Italiam in uſu fuerit ante Conſtantinum, provincias quoque in Italia, & ante eundem fuiſſe fatendum eſt. Apulia provincia dicitur in veteri inſcriptione : CRASSO MACROBIO NEGOCIATORES PROVINCIÆ APVLIÆ DEFENSORI OPTIMO. quo tempore poſita ſit ignoratur. Sed quid refert quo tempore ? nonne ſatis certum eſt, & ante & poſt Conſtantini imperium Regionis & provinciæ nomen indifferenter ab omnibus Italiæ regionibus uſurpatum eſſe ? Si Campania, exempli gratia, provincia ſub Conſtantino fuit, quod à Conſulari regeretur, cur non & provinciam eandem fuiſſe dicamus ſub Hadriano, cui adminiſtrandæ tunc quoque Conſularem præfici ex Hadriani inſtituto moris erat ? Plura addere neceſſe non habeo, ut tibi liqueat provincias etiam in Italia fuiſſe, priuſquam ad imperium veniret Conſtantinus, atque ut tibi probem, falſo id illum negare qui negat. Argutatur idem, ideo provincias in adminiſtratione præfecturæ urbanæ minime uſurpari decuiſſe, quod præfectus urbis urbanus eſſet magiſtratus, provinciæ vero non ad urbanos, ſed ad provinciales magiſtratus pertinerent. Fruſtra argutatur. Quid ? an dicet præfecturæ juriſdictionem coërcitionemque intra muros urbis coërcitam fuiſſe, & pomœrii finibus circumſcriptam ? non dicet, opinor. nec enim neſcit præfectum urbi juris dicundi coër-

coërcendique extra urbem ad centeſimum lapidem, liberam poteſtatem habuiſſe. dicet itaque, immo jam dixit, totum illud ſpatium centeſimi lapidis, & urbicæ juriſdictionis, integram & ſolidam provinciam nullam, ſed partes duntaxat ex vicinis provinciis decerptas incluſiſſe. Hoc partim verum, partim falſum eſt. Nam & quarundam partes incluſit, & quaſdam totas. Sed & eum ſcire oportuit, partes illas quas centeſimus lapis intra ſe deprehenſas concluſit, ex finitimis provinciis avulſas, etiam integræ provinciæ nomen occupaſſe, & pro integris provinciis computatas eſſe. Partem enim Tuſciæ, quæ intra centeſimum deprehenſa eſt, Tuſciam ſuburbicariam appellarunt, quæ & peculiarem Conſularem habuit à quo regeretur, cum altera Tuſciæ pars extra centeſimum poſita, & annonaria diceretur, nec ſola per ſe, ſed unà cum Umbria ſibi adnexa, uni eidemque Conſulari pareret. Sic etiam Piceni pars, quam centeſimus lapis intra terminos urbanæ juriſdictionis compingebat, ſuburbicarii Piceni nomine, peculiarem & ipſa Conſularem agnovit, quum Piceni annonarii quæ totius Piceni pars extra centeſimum procurrebat, nullus ſeorſim fuerit magiſtratus, ſed idem qui Flaminiam adminiſtrabat, Picenum quoque annonarium Flaminiæ adjunctum rexerit. Eat nunc & neget, aut ullas in adminiſtratione præfecti urbis fuiſſe incluſas provincias, aut provincias illas ſuburbicarias intra fines præfecturæ urbanæ fuiſſe comprehenſas. neutrum jam illi negare licet, etſi omnia licent, ex his quæ diximus. Duas ſuburbicarias tenemus, Picenum & Tuſciam; de quibus an ſuburbicariæ fuerint, ambigere nos veterum libri non ſinunt, qui ita ſemper eas nominant, ut à Piceno & Tuſcia annonariis diſtinguant. An hæ ſolæ fuerunt, nec aliæ præter has, ſuburbicariæ. ſane fuiſſe neceſſe eſt. quum enim quodam quaſi cingulo centeſimus lapis undique circum totam urbicariam regionem, & juriſdictionis urbicæ territorium ambiret, niſi qua mare interveniebat, qua parte non ad centeſimum, ſed ad ſextum decimum urbicaria regio protendebatur, plures oportet fuiſſe regiones quæ univerſum illum ambitum complerent, & omnia urbis latera cingerent clauderentque ad centeſimum uſque. Spatium illud omne cingentis urbem centeſimi dimidiatum tantum occupabant Tuſcia & Picenum. Sed quæ fuerint aliæ, quæ alteram dimidiam partem implerent, & totum cingulum abſolverent? inveſtigandæ ſane ſunt & quoquo modo reperiundæ. non longè ibimus, nec diu laborabimus, ut eas inveniamus. Poſt Picenum ſuburbicarium ſtatim Valeria occurrit, quæ & in hunc numerum adgreganda eſt, & ſuburbicariis adjungenda. Nam illa provincia tota intra centeſimum conſiſtebat, aut minimum certe aberat quin tota. Inter enim Picenum & Campaniam poſita erat & ab Oriente Samnitum regionem attingebat, & ab urbe Roma pars ejus occidua incipiebat. qua vero parte ad Adriaticum uſque mare pertendebat, haud multum poterat extra cente-

Digitized by Google

centeſimum evagari. Scribit Plinius latitudinem Italiæ circa urbem Romam ab Aterni fluminis oſtio in Hadriaticum mare influentis ad Tiberina oſtia non plus CXXXVI. M. P. patuiſſe, à Caſtro novo Adriatici mari Alſium ad Tuſcum mare paulo minus. Oſtia autem Tiberina ab urbe aberant XVI. M. P. Sic ab urbe ad Aterni amnis oſtium intervalli plus minus CXX. In illo tractu & circa illam Italiæ latitudinem Valeria provincia, cui à Valeria via nomen inditum eſſe certa res. De via Valeria Strabo: *γνωριμώταται δὲ τῶν ὁδῶν ἥτε Ἀππία καὶ ἡ Λατίνη καὶ ἡ Οὐαλερία ἡ μὲν τὰ πρὸς θάλασσαν ἀφορίζουσα μέρη τῆς Λατίνης, ἡ δὲ τὰ πρὸς τῇ Σαβίνῃ μέχρι Μαρσῶν, μέση δ' αὐτῶν ἡ Λατίνη.* idem paulo poſt ſcribit viam Valeriam à Tibure incipere, & in Marſos pergere, & Corſinium Pelignorum urbem; *ἡ Οὐαλερία δ' ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβούρου, ἄγει δ' ἐπὶ Μαρσοὺς καὶ Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν.* Urbes in ea collocat, Valeriam, Carſeolos Albam. At Provinciam Valeriam Paulus de geſtis Longobardorum lib. II. cap. XX. inter Campaniam Picenumque conſtituit, & ab Oriente Samnium attingere dicit, partem vero ejus occiduam ab urbe Roma initium capere; urbes autem habere Tiburim, Carſeolos, Reate, Furconam & Amiternum, regionem Marnorum, & eorum lacum qui Fucinus vocatur. Et Marſi & illæ Valeriæ urbes, Tibur, Reate, Carſeoli, Furcona, Amiternus intra centeſimum urbis erant, atque adeo tota ipſa Valeria. totum igitur illum terrarum tractum per quem Valeria via vadebat, Provinciam Valeriam vocarunt, quæ à Præſide regebatur. Sic Aurelia, Æmilia, Flaminia provinciæ, à viis conſtratis & ab urbe Roma venientibus nomen acceperunt. Habemus jam tres provincias ſuburbicarias Tuſciam, Picenum, Valerias. Una adhuc reſtat, nec longe quærenda, nam ecce in vicino ſita eſt. Ut poſt viam Valeriam, via Latina ſequebatur, ſic poſt Valeriam provinciam Latina regio. Hæc Latium vetus & novum ſive adjectum comprehendebat. vetus ab urbe ad Circeios, novum à Circeis uſque ad Sinueſſam tenebat. Hæc duo Latia non duas regiones efficiebant, ſed unam quæ Latina vocabatur. Græcis *λατίνη.* Strabo: *Νυνὶ μὲν οὖν ἡ παραλία μέχρι πόλεως Σινοέσσης ἀπὸ τῶν Ὠστίων λατίνη καλεῖται: πρότερον δὲ μέχρι τοῦ Κιρκαίου μόνον ἐσχήκει τὴν ἐπίκλησιν. καὶ τὴν μεσογαίαν πρότερον μὲν οὐ πολλήν, ὕστερον δὲ μέχρι Καμπανίας διέτεινε καὶ Σαμνιτῶν καὶ Πελιγνῶν καὶ ἄλλων τῶν τὸ Ἀπέννινον κατοικούντων.* ita legendus ille Strabonis locus. vulgo enim *ἐπίδοσιν* perperam legitur pro *ἐπίκλησιν.* univerſam illam Latinam regionem quanta patebat ab urbe Sinueſſam uſque, centeſimum urbis milliarium non exceſſiſſe certum eſt. à centeſimo enim milliario Campaniæ ora incipiebat. quod confirmat hic Taciti locus lib. XIII. annal. *Quid enim aliud læſo patrono conceſſum, quam ut centeſimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?* Nam ita apud Tacitum legendum, *centeſimum* nempe non *viceſimum.* aſſentior Anonymo. poſtea

tamen

tamen labentis, immo jam lapſi imperii ævo, Campania appellata eſt, non tantum illa fœlix, & gaudentis opus naturæ, quæ à ponte Campano ſuprà Sinueſſam initium ducebat, ſed univerſus Latinæ regionis tractus, ab urbe uſque ad pontem Campanum & fœlicis Campaniæ oram. Hinc Paulus Diaconus Campaniam ſtatim ab urbe incipere facit: *Septima* inquit, *Provincia Campania ab urbe Roma uſque ad Siler Lucaniæ fluvium perducitur.* Ita etiam accipienda apud illum vox Campaniæ, ubi Valeriam inter Picenum, & Campaniam ſtatuit. Sic plane Campaniam accipit vetus Notitia Vaticana in catalogo Epiſcoporum qui ſuffraganei Romanæ ſedis erant. Nam in Campania collocat, Tibur, Anagniam, Signium, Fundos, Cajetam, Terracinam, quas omnes urbes ἐν τῇ Λατίνῃ fuiſſe ſitas notiſſimum eſt. Sed Campaniæ nomen in hac notione recens omnino videtur, & longo poſt Conſtantinum tempore receptum eſt. nam ſi Campania dicta tunc fuiſſet ea Latinorum regio in qua Latium vetus & novum, & quæ intra centeſimum attinebatur, Campaniæ ſine dubio ſuburbicariæ nomine veniſſet, ad diſtinctionem Campaniæ felicis quæ ultra centeſimum receſſerat. Sic enim Picenum ſuburbicarium vocatum eſt ad differentiam annonarii, & Tuſcia ſuburbicaria ad diſcrimen annonariæ. At quis unquam legit Campaniam ſuburbicariam? immo Campania plane & aperte diſtinguitur à ſuburbicariis regionibus, leg. XII. Cod. Theod. *de indulgentiis debitorum.* Non tamen ignoro totum fere Latium, aut magnam ejus partem Campaniæ adjectam, ejuſdem Conſulari paruiſſe, nec unquam regionem illam, peculiarem Conſularem aut Rectorem habuiſſe. Atque hinc factum arbitror ut poſtea in Campaniæ nomen conceſſerit. Quidquid hujus ſit, nemini jam ambigendum eſt, quin hæc quarta fuerit regio ſuburbicaria, quæ Latium vetus & novum continebat, & uſque ad Campaniam procedebat. Hæ quatuor in totum regiones ſuburbicariæ fuere, quæ univerſam urbanæ præfecturæ adminiſtrationem conſtituebant, & intra quas ut centeſimo lapide comprehenſas juriſdictionem ſuam Præfecto licebat exercere, Tuſcia ſcilicet ſuburbicaria, Picenum ſuburbicarium, Valeria, Latina regio. ex quibus duæ, Tuſcia & Picenum, latus urbis ad centeſimum patens, Occidentem Septentrionemque verſus, claudebant; alteræ duæ, Valeria, & Latina regio, latus ad Orientem Meridiemque porrectum centeſimo tenus obtinebat. fingat, faciat quodcunque potuerit; dicat, doceat, quodcunque voluerit Sirmondus, nunquam plures aut pauciores his quatuor efficiet, ut ſint ſuburbicariæ regiones. multis in locis meminit ſuburbicariarum regionum Codex Theod. uno etiam in loco unicoque numerum earum expreſſit. Is eſt leg. I. tit *de calcis coctoribus*, ubi ſic habetur: *Quin etiam volumus non perſonas ſed ipſos fundos titulo hujus præſtationis adſtringi; vecturarios etiam ex quatuor regionibus trecentos boves præcipimus dari.* Sed quæ

d ſunt

Digitized by Google

ſunt iſtæ, rogo te, quatuor regiones? nimis profectò vagum & infinitum quatuor regiones dicere quas. quæ nam igitur illæ? ſuburbicariæ an annonariæ? certe ſuburbicariæ. nam annonariæ longe plures. atque hoc ipſum omnino additum oportuit. Scriptum itaque fuiſſe olim ſuſpicor: *Ex quatuor urb. regionibus.* vel; *Ex quatuor regionibus ſuburb.* hoc eſt, *ex quatuor urbicariis regionibus;* vel, *ex quatuor regionibus ſuburbicariis.* Sic enim compendioſe ſcribebant, *urb.* pro *urbicariam.* Magno in notis juridicis. PIC. ANN. *Piceno annonario.* PIC. VRB. *Piceno urbicario.* P. Diaconus de notis literarum PIC. VRB. *Piceno urbicario.* male *orbicario* vulgò legitur. Ita etiam corrigendum in notis juridicis incerti authoris. ex illis quatuor regionibus urbicariis, duæ ſolum, Tuſcia nempe & Picenum, ſuburbicariæ apud veteres cognominatæ inveniuntur. cujus rei hæc ratio eſt. erat enim Tuſcia annonaria, erat & annonarium Picenum. quę pars Tuſciæ intra urbicariam regionem & centeſimum concluſa erat, ut diſtingueretur ab illa parte quæ extra centeſimum cadebat, ipſa urbicaria, altera vero annonaria appellata eſt. hoc idem & in Piceno obtinuit. At Valeria ideo ſuburbicaria nuſquam lecta eſt, quod nulla Valeria eſſet non ſuburbicaria. nulla, inquam, Valeria annonaria. Hinc Trebellius qui in Tetrico ſeniore omnes annonarias regiones enumeravit, Valeriam in eo numero non poſuit, cum nullam tamen earum quæ viciniores urbi eſſent, annonariarum prætermiſerit. Idem de Latina regione dicendum, quæ tota & integra intra centeſimum lapidem conſtituta erat, ac proinde urbicaria tantum erat, & nulla ſui parte poterat annonariæ ſibi nomen acquirere. Hæc jam pluribus docuerat Anonymus, ſed in eo ſententiæ ejus adſtipulari non poſſum, quod de novo & vetere Latio duas regiones faciebat, ut quatuor urbicarias inveniret. Latium olim uſque ad Circejos à Tiberi pertendebat. poſtea uſque ad oppidum Sinneſſam protendi cœpit. Sic duplex illud Latium non duæ regiones ſed una quæ *λατίνη* vocabatur. Strabo *νυνὶ μὲν δὴ ἡ παραλία μέχρι πόλεως Σινυέσσης ἀπὸ τῶν Ὠστίων λατίνη καλεῖται.* Nos ut quatuor fierent regiones urbicariæ, Valeriam urbicariam fecimus. rectene an ſecus tibi & omnibus ingenuis, & recti judicii hominibus æſtimandum relinquo, non Sirmondo. nam ille veris vinci neſcit. Non queres igitur amplius, quæ quotve fuerint urbicarię regiones. Si qui tamen adhuc poſt hæc quęrent, & his contenti non erunt, dignos cenſebo, qui caſſo & inani labore æternùm fungantur ac frangantur, dũ ſemper quærent, quod nunquam inventuri ſunt.

Nunc hæc peracta pars eſt, quæ de regionibus urbicariis agit, jam ad alteram tranſeamus, quæ de ſuburbicariis Eccleſiis tractat. Sirmondus qui videbat vi veritatis ſe in has anguſtias coactum, ut neceſſario ſi homo eſſe vellet, fatendum haberet, ſuburbicarias regiones non ſolum intra Italiam omnes fuiſſe, ſed ne omnes quidem Italiæ provincias ita dictas eſſe, eo confugit,

quo-

Digitized by Google

quoniam aliud nihil ſpei ſupererat, ut negaret ab urbica præfectura eas nomen inveniſſe, aut ad urbis jurisdictionem unquam pertinuiſſe, ſed eas omnes diceret nuncupatas ſuburbicarias, quæcunque ſub diſpoſitione vicarii urbis eſſent. quo pacto quin provincias aliquammultas lucrifecerit, dubitat nemo. plures enim ſub vicaria poteſtate, quam ſub urbana præfectura regiones. verum illud aliquid, quod hac ratione adquiſitum iverat, aut nihil erat, aut ſatis certe non erat. quum igitur hoc non multum eſſe cerneret, Diœceſin Summi Pontificis aliquot duntaxat provinciarum acceſſione ampliaſſe, aliam viam ingreſſus eſt, ἣν ὄπω τὶς ἑαῖς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς. vin ſcire qualem? planam, facilem, compendioſam, & quod mirum eſt, novam. Baronius & Bellarminus, at qui viri? dum Eccleſias ſuburbicarias ab urbicariis provinciis ſeparare neſciunt, ſatis laboris cœperunt, ut extra Italiam tam eccleſias illas, quam provincias fuiſſe nobis probarent. Hic vero primo pedatu, quo volebat pervenit. Eccleſias ſuburbicarias eſſe dixit omnes, quæ ſub urbis Epiſcopo eſſent, ut provincias ſuburbicarias quæ ſub urbis vicario. Sic rationem plane excogitavit, qua & provincias ſuburbicarias ab Italia non moveret, quia moveri non poterant, & Eccleſias ſuburbicarias extra Italiam promoveret, quod omnimodis, & enitendum illi & evincendum erat. bene ſit bonis ingeniis. vivant & valeant qui acumine valent. nihil non illi perficere ſciunt, in quod ſemel incubuerunt. Quantæ molis erat urbis Epiſcopo tam longe ab urbe & urbicariis regionibus Eccleſias urbicarias condere! At hic quam facile hoc perfecit, & totius Occidentis Eccleſiæ urbicariæ, ut eſſent, ſaltem ita videri poſſent, effecit! Laudent alii plaudantque. ego magis admiror & ſtupeo qui potuerit in provinciis tam non ſuburbicariis Eccleſias repente ſuburbicarias, ſine architectis, ut ait ille, & mœnibus ædificare. Hoc eſt quod ego licet uſque & uſque demiror, mirari tamen adhuc ſatis pro merito non poſſum. Et tamen fateor, mecumq; oportet fatearis, longe majus illud fuiſſe unde incepit, & in quo totius machinationis & molitionis ſuæ quaſi rudimentum poſuit. niſi enim provincias aliquot, quæ antea ſuburbicariæ non erant, ſuburbicarias reddidiſſet, de ſuburbicariis Eccleſiis conſtruendis, ubi antea nullæ fuerunt, fruſtrà cogitaſſet. Iam ſcio quid illum moverit, ut ſuburbicarias provincias eas dici mallet; quas ſub ſe habebat vicarius urbis, quam quæ ad præfecturam urbicam ſpectabant, & circa urbem vel ſub urbe erant. Nimirum voluit habere exemplum ejusmodi compoſitionis & verbi formationis, quo poſſet dicere ad inſtar earum provinciarum quæ ſub vicario urbis eſſent, atque inde ſuburbicariæ dicerentur, Eccleſias quoque, quæcunque ſub urbis erant Epiſcopo, ſuburbicarias appellatas eſſe. Sed quum talem verbi ad hoc ſignificandum compoſitionem, & inſolentem & abſurdam, & prorſus inuſitatam Latinis ſuprà

Digitized by Google

oſtenderim, noli expectare, dum eam heîc iterum refutem, cui refellendæ ſatis verborum in ſuperioribus à nobis datum eſt. Nunc ſi verum eſt, quod pro vero nobis obtrudit, non unum, ſed tria fuerint neceſſe eſt, ſuburbicariarum Eccleſiarum genera. Primum genus earum erit, quæ propriè ſuburbicariæ, quod in provinciis ſuburbicariis conſtitutæ eſſent. Suburbicariæ enim illæ provinciæ, quas ſub vicarii urbis diſpoſitione fuiſſe vult, ſi quas habuerunt Eccleſias, habuiſſe autem minimè dubitandum, eas utique ſuburbicarias appellari poſſe, & vere eſſe, nemo eſt qui ambigat. Secundum genus ſuburbicariarum Eccleſiarum, quæ in provinciis non illis quidem ſuburbicariis, ſed ſuburbicariæ ideo appellatæ, quod urbis Epiſcopum, id eſt, Romanum Pontificem quaſi peculiarem patriarcham haberent. Hujus generis fuere, niſi Sirmondus mentitur, non ſolum Eccleſiæ quæcunque in reliquis Italiæ provinciis, etiam non ſuburbicariis, erant collocatæ, ſed etiam Occidentales omnes, quæ ſpecialem urbici Epiſcopi, hoc eſt, Romani Diœceſin conſtituebant. Tertium porro genus γενικώτατον eſt, nec enim illas omnes ſupra memoratas ſub ſe continet, ſed quidquid Eccleſiarum eſt in orbe Chriſtiano comprehendit. Sic primum genus paucas, ſecundum multas, tertium omnes complectitur. Quotquot igitur ſunt orbis humani provinciæ & Eccleſiæ quæ Romanum antiſtitem, univerſæ Eccleſiæ caput, & Epiſcopum univerſalem aut fatentur, aut fateri tenentur, aut agnoſcunt, aut agnoſcere debent, eæ omnes ſub hanc appellationem cadere poſſunt. nec enim minorem in eas provincias & Eccleſias poteſtatem habere cenſendus, quas ſummi Pontificis nomine adminiſtrat, quam in illas, quas jure metropolitani aut patriarchæ gubernare illi moris eſt. qui minus igitur provinciæ ſuburbicariæ illæ, quas ut ſupremus Pontifex & omnium Pontificum apex gubernat, quam quas ut metropolita vel primas, curæ ſuæ commiſſas regit? ineptè etiam Ruffinus qui Ægyptum à ſuburbicariis Eccleſiis diſtinguit, dum vult Alexandrinum Epiſcopum, Ægypti Eccleſiarum ſollicitudinem gerere, Romanum autem ſuburbicariarum. Atqui Ægyptus etiam ſuburbicaria provincia, & omnes Ægyptiacæ Eccleſiæ ſuburbicariæ, quæ ſuberant utpotè Romanæ urbis Epiſcopo, tanquam Eccleſiæ univerſę principi ſummo & paſtori unico, & cujus univerſalis Diœceſis totus orbis eſſet. Quod ad primâ illam ſpeciem ſuburbicariarum Eccleſiarũ attinet, quæ in provinciis ſuburbicariis ita vero nomine dictis ſitæ erant, eas jam tum Ruffini temporibus exſtitiſſe minimè dubiũ eſt. Quod ad ſecundam ſpectat, primus eas Ruffinus ad priorum illarum um exemplum finxiſſe fingitur. Tertii generis ſuburbicarias ego non minus commodè fingi poſſe exiſtimem, quam illas ſecundi quæ à Ruffino confictæ eſſe perhibentur, quin imo eas ſolas ita propriè dici debere cõtenderim. Cur enim magis ſuburbicarias Eccleſias dici conveniat, quæ ſub ſpeciali Papæ Diœce-

Diœceſi continebantur quam quæ ſub univerſali? an magis aut minori cum jure fuerunt illę ſub ejus poteſtate quã iſtæ? nemo dixerit, cui Romana ſimplicitas & veritas cordi. Quid ergo diſputamus de ſuburbicariis provinciis, ubi fuerint, quę fuerint, & quot fuerint? nullę ſunt in toto orbe provincię quæ ſuburbicariæ non ſint, ſi nullas eas eſſe conſtat quæ non ſint ſub Romano Pontifice, aut eſſe debeant. Vix me abſtineo interdũ quin malè precer Ruffini manibus, ita malus interpres fuit, itaque ejus interpretatio male hactenus habuit eruditiſſimos hujus ætatis viros, dum quærunt & fruſtra quidem multi, ubi gentium ſitæ ſint illæ ſuburbicariæ, quas commentus eſt. Mallem canonem illum Nicenum inexplicitum reliquiſſet. longè melius ex ſolis Græcis intelligeretur. tales interpretes nihil moror qui quæ enarranda ſuſcepere, magis obſcurant quam elucidant. Quum enim palam ſit, ac de eo jam nemo dubitat, ſexto illo Niceni Concilii canone Epiſcopi Alexandrini Diœceſin, ad eam formam & exemplum conſtitui, quo ſpecialis Epiſcopi Romani Diœceſis conſtituta eſſet, quid illi ſtulto & inſulſo libuit, Eccleſias quæ ad ſpecialem ejus Diœceſin pertinerent, quaſi proprio & peculiari vocabulo, ſuburbicarias appellare, cum ita magis propriè vocandæ venirent, quaſcunque ille ſub ſui juris univerſali adminiſtratione haberet, & quarum ſollicitudo & cura in eum ſolum collata eſſet, quaſi unicum Petri ſucceſſorem & Chriſti in Eccleſia Vicarium? cur ille, inquam, in exponenda Romani Patriarchæ ſpeciali Diœceſi, eam vocem uſurpavit quæ non ſpecialem magis Diœceſin quam omnes ubique terrarum Eccleſias Romanæ ſedi ſubjectas denotaret? Si cudenda illi nova verba fuere, nec uti paratis & jam factis ad eam rem explicandam voluit, tale vocabulum videtur excogitare & comminiſci debuiſſe, quod in eam rem quam explicabat unice quadraret, nec in aliam convenire poſſet. Cur, quod in promptu erat Romanas Eccleſias non dixit? an & ſic non vitaſſet ἀμφιϐολογίαν, cum Romana Eccleſia & Catholica eoſdem tunc quoq; limites haberent, & univerſalis urbicarii Patriarchę Diœceſis iiſdem quibus orbis finibus contineretur? ſaltem dixiſſet totũ Occidentem, ſi totũ Occidentem intelligebat. quid enim non ſic locutus eſt? *ut vel ille Ægypti, vel hic Occidentalium Eccleſiarũ ſollicitudinem gerat.* Nam qui Ægyptum in Diœceſin Alexandrino Epiſcopo aſſignabat, debuit & Romano Epiſcopo in comparatione, nominatim & expreſſe Diœceſin adſcribere, quæ Ægyptiacæ reſponderet. Nimis quippe vagum & incertum & ambiguum ſuburbicariarum vocabulum, ſi de omnibus accipi placeat Eccleſiis quæ ſpecialem Epiſcopi urbici Diœceſin conſtituebant. quantamcunque enim aut quantulamcumque tibi finxeris illam fuiſſe Diœceſin, eam ſemper ſuburbicariarum nomine poſſis intelligere. finge non toto Occidente, ſed Occidentis parte aliqua eam circumſcriptam, ea utique etiam ſuburbicaria futura eſt, & omnes

Digitized by Google

Eccleſias ſuburbicarias, hoc eſt eas quæ ſub urbis Epiſcopo ſunt, continebit. finge contra non totum tantum Occidentem, ſed maximam partem Orientis ſpeciali Diœceſi Romani Epiſcopi ceſſiſſe, totus cum Orientis parte Occidens ſuburbicariarum Eccleſiarum appellatione continebitur. Qui vero Ægypti ſollicitudinem Alexandrinum Epiſcopum geſſiſſe dicit, is non partem Ægypti, ſed totam, nec plus quam Ægyptum, ſed ſolam intelligit, & certarum regionum adminiſtrationem ſignanter exprimit, quæ ad curam Alexandrini Epiſcopi ſpectarit. In ſuburbicariis eo ſenſu ſumptis quid ſimile per eas huic placebit, totum Occidentem ſignificari, illi vero alteri totum orbem: aliquis totam Italiam deſignari putabit, alius nec totam. ubi ſiſtemus, aut cui tandem ſententiæ ſtabimus? tot enim, & longe etiam plures, immo quas voles cunque ſententias vox illa ſic accepta patietur & admittet, quæ quot fuerint provinciæ ſuburbicariæ, & quæ fuerint, non deſignat, ſed quotcunque fuerint, & quæcunque, ita eas poſſe nuncupari oſtendit. Quod ſi Ruffinus in ea tam vaga laxaq; ſignificatione ſuburbicarias poſuit, vix ac ne vix quidem effugiet, quin mali & imperiti interpretis officio functus videatur, qui quod uno certo verbo poterat exprimere ac debebat, incerto & obſcuro reddere maluerit. Sed immerentem Ruffinum iniquè carpimus & culpamus. nihil ille culpæ commeruit, ſed illi à quibus male acceptum eſt, quod ipſe rectè erat interpretatus. Illi igitur, illi ſoli peccarunt qui Ruffino malas interpretationes affinxerunt, & quod nunquam ei venit in mentem ut diceret, id illum dixiſſe modis omnibus voluerunt. Inter pravas & perverſas ſuburbicariarum Eccleſiarum expoſitiones, primum jure ſuo meritoque locum obtinet, quæ tamen omnium noviſſima prodiit. Talis enim eſt, ut ſi poſito certamine vitioſis & ridiculis enarrationibus aliqua corona proponeretur, ſola hoc nomine contra omnes coronanda videri queat. Hæc eſt quæ ſuburbicarias Eccleſias, totius Occidentis Eccleſias interpretatur. Occidentis nomine quas provincias intellexerit, ſi quis fortaſſe requiret, ſciendum has intellexiſſe: Italiam omnem, Africam, partem Illyrici, Hiſpaniam, Gallias, Germaniam, & Britanniam. Omnes iſtas provincias ſuburbicariarū Eccleſiarum appellatione involvit, & in illarum adminiſtratione ſpecialem Romani Pontificis Diœceſin per hos gradus & numeros conſtituit, ut metropolita fuerit Romanæ provinciæ, Primas Italiæ Patriarcha totius Occidentis, idem tamen univerſæ ſimul Eccleſiæ Princeps & Monarcha. *tot enim compagibus, altum Ædificat* Eccleſiæ *caput*. Nihil eſt apud me admirationi loci. totam eam jam fateor conſumpſiſſe, tam multa miranda in tantulo libello hactenus vidi & legi. quod niſi eſſet, poſſem eam hic bellè exercere; ita alia longe miriſſima nunc ſeſe offerunt, *quaſi cetera nuſquam mira forent*. Quis Romanæ urbis Epiſcopum, Primatem Italiæ unquam appellavit? quis Patriarcham

triarcham Occidentis appellatum legit? quis vel ſimpliciter primatem dictum? at non miracula jam, ut vetus verbum uſurpem, ſed ridicula planè Primatis & Patriarchæ diſtinctio: quaſi Primas quo ſenſu heîc ab illo dicitur Italiæ Primas, non idem ſit cum Patriarcha. Nonne primatem Italiæ vocat, quod multis præeſſet Metropolitanis? & quid aliud erat Patriarcha? Græci: ἐξάρχυς τῆ διοικήσεων τοὺς Πατριάρχας εἶναι φασίν. quid aliud vero διοίκησις quam multarum provinciarum & metropoleôn complexio? Patriarcha is igitur qui multas ſub ſe provincias & metropoles haberet. Nihil notius eſt. Hoc ipſum tamen ut ſtrueret, & Patriarchas à Primatibus diverſos faceret, quatuor in Eccleſia præcipuos Epiſcoporum gradus conſtituit, *Epiſcopos ſingularum civitatum, Metropolitas Provinciarum, Primates ſeu exarchos Diœceſeôn, & qui θρόνυς ſive ſedes proprie dictas regebant, Patriarchas.* Scilicet hoc illi reſtabat, ut qui novas provincias ſuburbicarias conſtituiſſet, novas eodem nomine Eccleſias conſtruxiſſet, poſt omnia novas quoque hierarchias conderet & novos crearet præſules. Quid plus faceret Pontifex ſummus cum tanto ſuo imperio tantaque poteſtate? ſed ille non poteſt errare. Hic vero novus noſter non minus jam Pontifex quam cenſor. tam ſæpiculè errat, ut prudentem ſcientemque errare credam. quid ita inquies, & quam ad rem? mala mens, malus animus. ut fatuos & bardos induceret in errorem, ut minus cautis imponeret, ut id denique quod ſtudebat efficeret, an parva res, aut parva ratio eſt? Age igitur quoniam de induſtria fortaſſe & libenter errat, nec errationis compendium ut faciat facile adduci poteſt, vi & ingratiis coactum in rectam viam compellamus. Iam in principio ut ſtatim quod perperam ſtruxit diruamus, tam malè primatem apud Latinos, quàm apud Græcos ἔξαρχον, tertium gradum ſtatuit Eccleſiaſticæ dignitatis, inter metropolitas & Patriarchas medium. Primas Latinis idem plane eſt quod Græcis ἔξαρχος. ἐξάρχον Græci propriè vocant qui primus & Princeps aliquid agit & ad idem agendum, cæteris præit. ἐξάρχειν enim eſt *incipere.* unde ἐξάρχειν παιᾶνος, ἐξάρχειν μολπῆς, & cantionem incipere & cæteris ad canendum præire. Hinc ἔξαρχος in choro præcentor & præſultor, quem & *manuductorem* Latini vocabant, Græci μεσόχορον. Gloſſæ: *manuductor,* μεσόχορος. quæ vox eo ſenſu apud Plin. in Epiſt. legitur & apud Sidonium. ἔξαρχος igitur eſt, qui primus eſt, qui incipit, qui præit. Primas quoque apud Latinos idem quod primus vel princeps. ut ſummus, ſummas: optimus optimas, & optimates iidem qui optimi & præſtantiſſimi. Gloſſæ: πρῶτος, *primus, primas*; eædem Gloſſæ: πρῶτοι, *Primores, primates.* aliæ Gloſſæ: *Primores,* ἔξαρχοι, πρωτοστάται. *Primores,* πρωτοστάται καὶ πρόεδροι. Princeps, πρωτοπολίτης, ἔξαρχος. Principes enim civitatũ, & primores & primates dicebantur qui Græcis πρωτοπολῖται & ἔξαρχοι. Apud Auguſt. epiſt. XLIV. *Decuriones & primates civitatis.*

tatis. Principales vocantur paſſim in Cod. idem ergo primas & ἔξαρχος. generalis utraque vox & cujuscunq; ordinis principem & primum ſignificat. Sic primas & ἔξαρχος in Eccleſiaſticis dignitatibus non certus aut ſpecialis honoris gradus eſt, à metropolita & Patriarcha diverſus, ac inter utrumque medius, ſed tam metropolita quam Patriarcha hoc nomine vocari poſſunt, atque etiã vocati ſunt. nam metropolita ita primas eſt ſuæ provinciæ, ut Patriarcha primas eſt ſuę Diœceſeos. ſic ἔξαρχος τῆς διοικήσεως apud Gręcos: ὁ Πατριάρχης vocatur, ut ἔξαρχος τῆς ἐπαρχίας, ὁ μητροπολίτης. ſed de primate primum id probemus, poſtea de Exarcho probabimus. In Occidente aliter Africana Eccleſia primatem appellavit, aliter Gallicana. in Africana Eccleſia, qui primi & principes erant Epiſcoporum in unaquaque provincia, primates dicebantur, primæ ſcilicet ſedis Epiſcopi, & Metropolitani. Primas apud Afros idem qui & Metropolita. Prima ſedes provinciæ, metropolis erat: primæ ſedis & Metropoleos Epiſcopus, Primas & Metropolita audiebat. Quod verum eſſe adeo cuivis ex Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ patere poteſt, ut ne Sirmondus quidem, qui omnia quæ omnibus in confeſſo ſunt, negare conſuevit, id negare auſit. Singulæ Africanæ Provinciæ ſuos habuere primates ſive Metropolitanos, quorum omnium primus & maximus, Epiſcopus fuit Carthaginenſis. Is præter alia privilegia quibus illa ſedes præfulciebatur & præfulgebat, hanc etiam licentiam habuit ut unde vellet, & de cujus nomine conventus eſſet, pro deſiderio cujusque Eccleſiæ Epiſcopum conſecraret. Carthaginenſis itaque antiſtes, ſi apud Græcos fuiſſet, ſine dubio dictus eſſet Patriarcha. Nam totius Africanæ Diœceſeos caput fuit, quæ multas provincias complectebatur. Totidem autem in Africana primates ſive Metropolitani, quot provinciæ, quibus omnibus ut dixit, præerat Carthaginienſis præſul. Primates igitur juxta hanc notionem, quam ſolam noverat Africa, non tertium Epiſcopalis dignitatis gradum ſed ſecundum omnino conſtituunt. nam iidem planè ſunt cum metropolitanis. Apud Gallias vero longè aliter primatis nomen acceptum eſt. nec enim ubi primates dici moris fuit ſingularum provinciarum metropolitanos, ſed eos duntaxat qui primam in unaquaque Diœceſi provinciam obtinebant, & primam quodammodo ſedem totius Diœceſis habebant. Exemplo id adjuvandum eſt. Duæ Aquitaniæ fuere: prima & ſecunda. Primæ Aquitaniæ præſul primas dictus eſt, non item ſecundæ. Ille enim totius Aquitanicæ Diœceſis primus, & Patriarcha fuit. quem titulum etiam uſurpavit atque ita à Gratiano in Decreto vocatur. ſic quatuor Lugdunenſes fuêre, prima, ſecunda, tertia, quarta, quibus adjuncta maxima Sequanarum. ſecundæ, tertiæ, quartæ & quintæ Metropolitani tantum, & Archiepiſcopi vocati ſunt. ſolius primæ Lugdunenſis, quæ totius Diœceſis caput fuit, antiſtes

Digitized by Google

tiſtes Primas dictus eſt, qui & ipſe omnium in illa Diœceſi Lugdunenſi metropolitanorum caput & præſul fuit. Idem & in prima Narbonenſi, & prima Viennenſi videre eſt. Sic Primas in Galliis Patriarcha eſt. ὁ πρωτεύων ſcilicet τῆς διοικήσεως, in Africa primas metropolita erat, ὁ πρωτεύων τῆς ἐπαρχίας. Tres igitur jam tantum habemus in Occidente Epiſcoporum gradus, Epiſcopum civitatis, primatem provinciæ qui & metropolita, primatem Diœceſeos qui & Patriarcha, an plures in Oriente fuere? non plures fuiſſe audacter pronuntiandum eſt. quemadmodum enim Latini vocem primatis varie uſurparunt, & modo Epiſcopum qui provinciam regebat, modo eum qui toti Diœceſi præerat, ita vocarunt, ſic Græci ἔξαρχον cum de Metropolita tum de patriarcha dixerunt. Nam ἔξαρχος τῆς ἐπαρχίας, apud illos dicitur, quem Afri primatem provinciæ appellabant: & ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, qui in Galliis primas Diœceſis dicebatur. idem autem qui & Πατριάρχης τῆς διοικήσεως. Sic ἐξάρχους, τοὺς μητροπολίτας vocavit Euagrius Hiſt. Eccleſ. lib. IV. cap. XI. ὑποτέθεικε τοὺς ἑκάστης διοικήσεως πατριάρχας ἀλλήλοις συμβαίνειν, τούς τε τῶν πόλεων ἐπισκόπους τοῖς ἰδίοις ἐξάρχοις ἕπεσθαι. in Concilio Sardicenſi ἔξαρχος τῆς ἐπαρχίας, metropolis Epiſcopus exponitur, canone ſexto: χρὴ πρότερον ἐκεῖνον τὸν ἐναπομείναντα ἐπίσκοπον ὑπομιμνήσκεσθαι, διὰ γραμμάτων τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας. λέγω δὴ τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως. *Per litteras exarchi provinciæ, dico autem Epiſcopi metropolitani.* Hunc provinciæ Exarchum & metropolitanum Epiſcopum, liceret etiam vocare provinciæ primatem ſecundum Africanæ Eccleſiæ uſum. Primas enim idem Latinis qui Græcis ἔξαρχος. At ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, paſſim apud Græcos Patriarcha appellatur. Si Latinè vertere vellem τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως non aliter poſſem quam *Diœceſis primatem.* Idem ergo omnino eſt primas Diœceſis, ἔξαρχος τῆς διοικήσεως & πατριάρχης. Juſtiniani Novella CXXIV. πατριάρχην τῆς διοικήσεως vocat: ἐπὶ τὸν μακαριώτατον πατριάρχην τῆς διοικήσεως ἐκείνης ἀναφερέσθω τὸ πρᾶγμα, & paulo poſt, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ πρᾶγμα κρινέτω. Ita vocat Juſtinianus qui ἔξαρχος τῆς διοικήσεως in Concilio Chalcedonenſi vocatur, canone IX. & can. XVII. non poſſum non ridere cum video Exarchos Diœceſeon à patriarchis qui θρόνους ſive ſedes proprie dictas regunt, bellum illum cenſorem diſtinguere. Hæc vel alicui Craſſo riſum ἄσβεστον excuterent. feſtivum hominem, qui patriarchis præter ſedes ſuas & θρόνους, inquit, ſic proprie appellatos, nihil quod regant, relinquit. An nullæ fuere thronis illis ſubjectæ Diœceſes? palam eſt hoc eum velle. Nam ſi patriarchis vel patriarchalibus ſedibus Diœceſes quoque attributas fateretur, tum confitendum haberet, ἑκὼν ἀέκοντι, Diœceſeon etiam exarchos illos fuiſſe, & Diœceſeon etiam primates, quid igitur? quid ſibi voluit ille? an Patriarcham propriè intellexit eum eſſe, qui plures Diœceſes rege-

ret, exarchum autem vel primatem qui tantummodo unam? neſcio an hoc voluerit, ſed ſi voluit, ſcire debemus ſecundum hanc legem normamque eos ipſos de patriarcharum albo eximendos eſſe, quos tamen patriarchas fuiſſe concedit, & quos omnis antiquitas Patriarchas propriè vocavit. Jam Antiochenus Patriarcha qui ἀνατολικῆς διοικήσεως ἔξαρχος à Græcis dicitur, de patriarcha fiet exarchus, & uno gradu deſcendet vel decidet potius. Sic & reliqui Orientis Patriarchæ regradabuntur, ut verbum ſequioris Latinitatis uſurpem, & in exarchorum numerum locumque retrahentur, quia Patriarchæ ex Sirmondi præſcripto eſſe non poſſunt, niſi qui plures Diœceſes regunt, ac plures Diœceſeon exarchos ſub ſe habent, ut illis nec multi Diœceſeon exarchi ſubjecti, nec multæ Diœceſes attributæ. Exeant igitur, & de pulvino Patriarchali ſurgant, quem implere nequeunt, atque inter exarchos ſedeant. Quid Juſtiniano faciemus qui paſſim in novellis πατριάρχας ἑκάστης διοικήσεως appellat? Male ſcilicet & impropriè loquutum eſſe dicemus, cum ἐξάρχους διοικήσεων vocare deberet quos patriarchas vocat. Vide Novellas VI. VII. & CXXIV. & Novella quidem VI. cap III. ita loquitur: εἴδεγε μητροπολίτης εἴη ὁ παραγίνεσθαι βουλόμενος, γράμματα κομίσοιτο τοῦ τῆς διοικήσεως Πατριάρχου. Patriarcha ille Diœceſeos Sirmondo Patriarcha non erit, ſed exarchus Diœceſeos. Unicus nobis ex tot Patriarchis reſtabit Patriarcha Romanus, ſic verè, ſic propriè dicendus dictuſque, quod multas ſcilicet in ſua ſibi ſpeciali Diœceſi Diœceſeos, multos Diœceſeon exarchos ſedi ſuæ ſubjectos haberet. Reliqui quid erunt? Sirmondo erunt exarchi Diœceſeon, diverſi ſi credere fas eſt, à Patriarchis Diœceſeon. vides ineptiam & non rides? an ſi quis aliquid data opera vellet ſtultè, vanè, falſe fingere, quidquam putas ab eo ſtultius, vanius, falſius fingi poſſe quàm hæc eſt à Sirmondo ficta diſtinctio inter Exarchos Diœceſeon & Patriarchas? ne ipſa quidem falſitas quidquam falſius poſſet comminiſci. Jam dixi & iterum heic breviter repetam, ut apud Latinos Primatis, ſic apud Græcos Exarchi generale eſſe nomen, & non minus Metropolitæ quam Patriarchæ convenire. Nam ut in civilibus *Primates officii* dicuntur in Cod. qui & priores vel primores officii & capita & primicerii & principes appellantur. Græcis οἱ πρῶτοι τῆς τάξεως, οἱ προεστῶτες, οἱ ἔξαρχοι. & *primates urbium*. οἱ πρωτοπολῖται, οἱ ἔξαρχοι τῆς ἑκάστης πόλεως. unde in Cod. Theod. *primates plebis Alexandrinæ*, οἱ ἔξαρχοι τοῦ τῆς Ἀλεξανδρέων δήμου. & *primates regionum*, οἱ τῶν χωρῶν ἔξαρχοι in reſcripto Honorii ad Symmachum Annaſib. Eccleſ. inſerto ad annum Chriſti CCCCXVIII. Sic etiam planè in Eccleſiaſticis *primates cujuſque provinciæ* Epiſcopi ſunt Metropolitani, qui Græcis ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν. Primates Diœceſeon, ſunt Patriarchæ, qui Græcis ἔξαρχοι τῶν διοικήσεων. Atque ſic tantum tres erant gradus Epiſcoporum, quicquid garriant importuni homines, & inficeti. Quotieſcunque

igitur

Digitized by Google

igitur tibi occurrerit inter legendum ἔξαρχος τῆς διοικήσεως, ſemper de Patriarcha intelligendum. at ubi ἔξαρχον τῆς ἐπαρχίας leges, de Metropolita intelliges. Exarchi appellatio communis erat & Patriarchæ & Metropolitæ. Sed hic Provinciæ unius Exarchus, ille unius Diœceſeos. Infimis tamen Imperii Græci temporibus Exarchi vox ſpecialis facta eſt, & propriatim tributa cuidam generi Metropolitanorum qui cæteros honore antecibant, & Exarchi ſimpliciter dicebantur; & Metropoles ſive Provinciæ, quarum præſules erant, Exarchiæ appellatæ. Sic duo tum fuere Metropolitanorum ordines, quorum alii ἐξάρχους ſe inſcribebant, alii ὑπερτίμους tantum. Codinus περὶ τάξεως τῶν θρόνων τῶν μητροπολιτῶν. τινὲς αὐτῶν λέγονται ἔξαρχοι καὶ ὑπέρτιμοι, τινὲς ὑπέρτιμοι μόνον. Exarchis illis ſolis inter Metropolitas jus erat gerendi Patriarchalis Palii quod πολυσταύριον vocabatur, ab eo quod multis crucibus inſignitum & intertextum eſſet. Tales erant Metropolitani Cæſareæ, Cappadociæ, Epheſi, Theſſalonices & Corinthi. Zonaras: ἐλέγοντο δὲ ἔξαρχοι καὶ ἕτεροι ἤγουν ὁ Καισαρείας, Καππαδοκίας καὶ ὁ Ἐφέσου, καὶ ὁ Θεσσαλονίκης, καὶ ὁ Κορίνθου, οἷς λέγεται διὰ τοῦτο καὶ προνόμιον δοθῆναι πολυσταύρια φορεῖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις αὐτῶν. Hi Metropolitæ fuere tantum non Patriarchæ, etſi Patriarchalibus ornamentis, quæ conceſſa illis ſunt propter dignitatis præcellentiam, & Diœceſis amplitudinem quam regebant. Nec enim ut cæteri Metropolitani ſingulas tantum provincias, ſed integras Diœceſes Metropolitæ jure adminiſtrabant. Epheſus metropolis erat Aſianæ Diœceſeos: Cæſarea Cappadocia Ponticæ. Harum Diœceſeôn metropolitani ſedi Patriarchiæ Conſtantinopolis parebant, & ab ea ordinabantur, ut ipſi ſuos ſuffraganeos Epiſcopos ordinabant; atque hi, ut dixi, ob præcellentem dignitatem & Patriarchalibus utebantur ornamentis, & Exarchi ἀντωνυμικῶς dicebantur. Non tamen illi tertium aut diverſum gradum à metropolitanis conſtituerunt in Eccleſia, etſi ad honoris incrementum & Exarchi dicerentur abſolutè, & poluſtauria geſtarent, Patriarcharum more. Metropolitæ tantum erant, ſed honore & dignitate ſupra cæteros metropolitas excellente: Canon XXVIII. Concilii Chalcedonenſis de Diœceſi Patriarchæ Conſtantinopolitani: καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς καὶ Ἀσιανῆς καὶ Θρᾳκικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους ἔτι καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, δηλαδὴ ἑκάστου μητροπολίτου τῶν προειρημένων διοικήσεων μετὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων χειροτονοῦντος τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους, καθὼς τοῖς θείοις κανόσι διηγόρευται. Treis hic tantum gradus habemus: Πατριάρχην, Μητροπολίτας, Ἐπισκόπους. Et quis unquam plures eſſe dixit, aut plures poſuit? Juſtinianus Novella ſexta: ὥστε τούτου προνοήσουσιν οἱ ἁγιώτατοι πατριάρχαι καὶ οἱ Μητροπολῖται καὶ οἱ λοιποὶ θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι. Et paulo poſt: οἱ μὲν

Digitized by Google

ὧν ἁγιώτατοι Πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ταῦτα προσθήσουσιν ἐν ταῖς ὑφ' ἑαυτοὺς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, δηλαδὴ ποιήσουσι τοῖς θεοφιλεστάτοις μητροπολίταις τὰ παρ' ἡμῶν διατετυπωμένα. οἱ δὲ αὖθις καὶ αὐτοὶ προσθήσουσι τῇ αὐτῇ κατὰ τὴν τῆς μητροπόλεως ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, τοῖς δὲ ὑφ' ἑαυτοὺς ἐπισκόπους φανερὰ ταῦτα καταστήσουσι. En Patriarchæ ἑκάστης διοικήσεως? Metropolita, Epiſcopi. ubinam illi ἐξάρχοι, διοικήσεων? Cànon xv. primæ & ſecundæ Synodi: τὰ ὁρισθέντα ἐπὶ πρεσβυτέρων καὶ ἐπισκόπων καὶ μητροπολιτῶν, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ Πατριαρχῶν ἁρμόζει. Deſcendamus ad infima uſque tempora. Zonaras in expoſitione can. x. Concilii Chalced. διὰ δὲ φιλοδοξίαν εἰς μητρόπολιν τυχὸν ἐξ ἐπισκοπῆς μετατιθέμενοι, ἢ ἐκ μητροπόλεως εἰς πατριαρχίαν. Ubi illi Exarchi Diœceſeon inter Patriarchas & Metropolitanos ponendi? Talia infinita ex Græcorum ſcriptis poſſem colligere, & huc congerere teſtimonia, quæ tres tantum Epiſcoporum ordines deſcribunt, niſi pigeret puderetque in re de qua nemo dubitat, nemo dubitavit, aſſerenda fruſtra teſtes ſollicitare, & inutiles ſupervacaneaſque probationes conquirere. Magis mirari lubet inſignem iſtius hominis impudentiam cum pari confidentia conjunctam, qui cum id comminiſci auderet quod nunquam fuit, commentum etiam nobis probari poſſe confidebat. tam ſcilicet ſtultos nos putabat. ſed ipſe potius ſtultus fuit, qui putavit, quod futurum non erat. tam ſtulti enim non erimus ut illi credamus. ſed qui modo mirabar, nunc ridere cogor. Hæc enim duo alternis mihi facienda fuere in illius libelli cenſorii & Ariſtarchici lectione. quis autem riſu temperare poſſit qui legerit differentiam inter Patriarchas, & Exarchos Diœceſeon ab illo ita adornari concinnarique quaſi Patriarchæ ſedes tantum & θρόνους ſic propriè dictos rexerint, Exarchi vero Diœceſes? ſic nudos thronos, ſiccaſque & ſteriles ſedes dat Patriarchis, ſolidas & pingues Diœceſes Exarchis. Verum non ita fuit, ac ſuas etiam Diœceſes habuere throni Patriarcharum, atque iidem etiam omnino cum Patriarchis fuere Diœceſeon exarchi, quod ſupra ſatis multis oſtendimus. nunc quum dicit θρόνους ſive ſedes Patriarcharum propriè dictas eſſe, cur hoc dicere auſus? an neſciebat metropolitanorum θρόνους etiam eſſe appellatos? at quis vel paulum modo in Hiſtoriæ Græcæ Eccleſiaſticæ & Conciliorum lectione verſatus id ignorare poteſt? Canon. ɪv. Concilii in Trullo: μὴ ἐξέστω τινὶ πάντων μητροπολιτῶν παρελθόντος ἐπισκόπου παρόντος ἀπὸ τοῦ κατ' αὐτὸν θρόνου τι αἰτεῖν πράγματος ἢ τῆς κατ' αὐτὸν ἐκκλησίας ἀφαιρεῖσθαι. Codinus in Notitia Metropoleôn quibus Patriarcha Conſtantinopolitanus præſidebat: περὶ τάξεως τῶν θρόνων τῶν μητροπολιτῶν. plura parcam exempla adſcribere, quæ in promptu ſunt. Latinis quoque paſſim metropolitanæ ſedes appellatæ, & primæ ſedis Epiſcopi Metropolitani dicti. Non minus igitur θρόνοι de Metropolitanis quam de Patriarchis. Πατριαρχικοὶ θρόνοι vocantur in No-

in Novellis Juſtiniani Patriarchales ſedes ad differentiam θρόνων μητροπολιτικῶν. Non ſum tam ignarus ut neſciam θρόνον τῆς Βασιλευούσης πόλεως paſſim apud Græcos appellari, & θρόνον τῆς Ἀντιοχέων πόλεως, & θρόνον τῆς Ἀλεξανδρείας, quæ omnes Patriarchales ſedes erant, ſed nulla etiam vocari poſſet. Sic enim dixerim, immo ſic etiam dixerunt, & θρόνον τῆς Ἐφέσου & θρόνον τῆς Καισαρείας & θρόνον τῆς Κορίνθου quæ metropolitanæ ſedes fuere. non præcipuum hoc habuere Patriarchæ ut earum ſedes θρόνοι dicerentur, ſed illis id commune fuit cum Metropolitis. Sciat ergo, ſi verum audire vult, non ſimpliciter nec abſolute κατ᾽ ἐξοχὴν θρόνους appellari conſueſſe, patriarchales, ſed ἀποστολικοὺς θρόνους, cujus appellationis adjuncto diſtingui ſolebant à Metropolitarum θρόνοις. quæ appellatio in Occidente propria facta eſt Romanæ ſedis, & omnibus in Oriente Patriarchis tribuebatur. αὐθεντίαν τῆς ἀποστολικῆς διαδοχῆς Syneſius dixit de Alexandrina ſede Epiſt. LVI. in actis Concilii Conſtantinopol. ſub Mena, actione prima: Θεοφάνους καὶ Πελαγίου τῶν θεοφιλεστάτων διακόνων τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας. & paulo poſt: καὶ τινῶν εὐλαβεστάτων ὑποδιακόνων καὶ ἐκδίκων καὶ λοιπῶν κληρικῶν τοῦ αὐτοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου. de Conſtantinopolitana ſede, in actis ſextæ Synodi, actione XI. Κωνσταντῖνος ὁ θεοσεβέστατος ἀρχιδιάκονος τῆς ἐνταῦθα τοῦ θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. Eadem acta in ſubſcriptionibus decreti: Πέτρος πρεσβύτερος καὶ τοποτηρητὴς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς Ἀλεξανδρέων μητροπόλεως. Γεώργιος ἐλάχιστος πρεσβύτερος ἐπέχων τὸν τόπον Θεοδώρου τοῦ θεοφυλάκτου πρεσβυτέρου, καὶ τοποτηρητοῦ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς ἁγίας Χριστοῦ θεοῦ πόλεως Ἱεροσολύμων ὑπέγραψα. In actis ſeptimæ Synodi, mentio eſt τῶν ἀποστολικῶν τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως: & τῶν ἀποστολικῶν θρόνων Ἀντιοχείας, Ἀλεξανδρείας, Ἱεροσολύμων. Pluribus congerendis conquirendiſque ſuperſedebo. Hæc enim ſufficiunt. Ita paſſim in actis Conciliorum, & alibi in ſcriptis Græcorum Ἀποστολικοὶ θρόνοι appellantur οἱ Πατριαρχικοὶ θρόνοι: Satiſne ex iſtis liquet θρόνους non tantum proprios & peculiares Patriarcharum fuiſſe, ſed etiam Metropolitanorum? adjunctum autem illud Ἀποστολικῶν θρόνων ſolis Patriarchis tribui ſolitum, Metropolitanis negatum? Nunc apparet quanti facienda illa cenſura, quæ ut quatuor gradus Epiſcopales conſtitueret conſtabiliretque, qui tres tantummodo antea erant, nudos & meros θρόνους Patriarchis conceſſit, Metropolitis etiam ademit, Diœceſes à thronis ſejunxit, quibus ſubjunctæ ſemper fuere, ex uno gradu duos fecit. Uni homini tantum licuiſſe qui nec Rex nec Pontifex ſit, quis non indignetur? ſed operæ pretium eſt cognoſcere quos auctores ſit ſequutus in ponendis quattuor illis gradibus, & quibus eos fundamentis ſuperſtruxerit. Bene fecit quod ipſe de hoc judicium fecit. niſi feciſſet, nemo quantumvis divinus id facile divinaret. Totidem igitur gradus deſignari ſcripſit Synodi Chalcedonenſis can. IX. & can.

 XVII.

xvii. Hoc ille ſcripſit, nec dum ſcriberet, erubuit? aut imperitus eſt, aut os durum habet. at vir tam doctus imperitiæ inſimulari nequaquam poteſt. Ergo ſcis quod ſequitur. Profecto ſi quis docere velit tres tantum gradus Eccleſiaſticos præcipuos & olim fuiſſe & nunc eſſe, multiſque teſtimoniis hinc inde allatis, quaſi rem incertam & valde obſcuram confirmare ſatagat, nullum certius aliud teſtimonium ad hoc comprobandum proferre poſſit, quam duo canones illos, ex quibus tamen hic cenſor quatuor numero gradus eos fuiſſe, aſſerere & adſtruere conatus eſt. Verba ipſa canonum heic producenda, ut quos teſtes pro ſe loquuturos excitaverat Sirmondus, pro nobis loquentes, & illum teſtimonio ſuo prementes à quo inducti fuerant, audiamus. Septimus canon Concilii Chalced. ſic habet: εἰ δὲ καὶ κληρικὸς πρᾶγμα ἔχοι πρὸς τὸν ἴδιον ἢ καὶ πρὸς ἕτερον Ἐπίσκοπον παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω, εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην, Ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη καταλαμβανέτω, ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον καὶ ἐπ' αὐτῷ δικαζέσθω. Septimus decimus canon eadem penè verba repetit, & ſic loquitur: εἰ δέ τις ἀδικοῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἢ μητροπολίτου παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω. Si quatuor ordines Epiſcoporum horum canonum verbis fundari firmarique putavit Sirmondus, non citius putavit quam erravit. tres enim ibi tantum manifeſto deſignantur. Quod ſi id non putavit, ſed ut putaremus ipſe efficere voluit, bis tanto peccavit, qui nobis imponere ſtuduit. Ut ejus honori conſulamus, humano more lapſum eſſe, & ſimpliciter hallucinatum concedimus, & hunc illi errorem condonamus, cum aliis multis quos in illo libello commiſit, ſciens an inſciens quid ad nos? Quod ad ſenſum vero attinet illorum duûm canonum, quibus melius credemus quam Græcis hominibus & interpretibus in re quæ morem Græcanicum & Eccleſiæ Græcanicæ dignitates & gradus ſpectat? Hi ſi plures quam tres noviſſent Epiſcoporum gradus, nullo modo laboraſſent, nec æſtuaſſent in exponendo quid eſſet ἔξαρχος διοικήσεως, in utroque illo canone, nec ſententiis inter ſe diſſediſſent, dum alii πατριάρχην interpretantur, alii vero μητροπολίτην. In promptu enim erat ἔξαρχον διοικήσεως eum accipere qui medius eſſet inter μητροπολίτην & πατριάρχην, ut Patriarcha minor, ſic major Metropolitano. Quid igitur illi Græci interpretes ἐξάρχους διοικήσεων, partim τοὺς πατριάρχας expoſuerunt, partim τοὺς μητροπολίτας? ita enim Zonaras ad illos canones: ἐξάρχους δὲ τῶν διοικήσεων τοὺς πατριάρχας εἶναι φασίν. ἄλλοι δὲ τοὺς μητροπολίτας. Sed miſſos faciamus Græculos enarratores, verba ipſa canonis attentius conſideremus: εἰ δέ τις ἀδικοῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου Ἐπισκόπου ἢ μητροπολίτου παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως, ἢ τῷ τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω. Sic quatuor gradus Epiſcoporum ex his verbis conſtitutum ibimus? Epiſcopum, Metropo-

Digitized by Google

tropolitanum, Exarchon Diœceſeos, & Patriarcham, tum neceſſe erit accipiamus canonem illum non generaliter, ut in Concilio Oecumenico decebat, ſed ſpecialiter, de ſola Conſtantinopolitana Diœceſi enuntiatum. Quorſum enim ibi nominatim mentio ſedis Conſtantinopolitanæ? ſpecialis igitur ille canon, & χωρικὸς, non οἰκουμενικὸς, nec ad omnes Orientalis Eccleſiæ Epiſcopos, Metropolitanos, Exarchos Diœceſeôn, Patriarchas pertinens, ſed ad eos ſolos qui in Diœceſi Conſtantinopolitana conſtituti erant. Ut generale decretum eſſet, ita omnino loqui debuere illius Concilii patres, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως ἢ τῷ πατριάρχῃ, vel τῷ πατριαρχικῷ θρόνῳ δικαζέσθω. Quod ſi ita conceptum fuiſſet, haud dubitarem fortaſſe cum Sirmondo ſentire, alium eſſe Exarchon Diœceſeos à Patriarcha. quamvis ne ſic quidem omnia recte procederent, nec res difficultate careret. Demus quatuor eſſe gradus in Eccleſiaſticis dignitatibus & judiciis, Epiſcopum, Metropolitanum, Exarchum, & Patriarcham. Hoc ordine videntur exerceri judicia in foro Eccleſiaſtico debuiſſe, ut ab Epiſcopo Metropolitanus, à Metropolitano Exarchus, ab Exarcho Patriarcha fuerit adeundus & appellandus. Ita enim omnino judiciorum ordo poſtulabat. At nunc ille Canon ſtatim à Metropolitano dat poteſtatem vel Exarchum adeundi vel Patriarcham. Atqui omnimodis prius debuit judicium Exarchi eſſe, deinde Patriarchæ. Cur optionem litiganti concedit cauſam ſuam diſceptandi vel ſub Exarcho judice, vel ſub judice Patriarcha; debuit & ſic clerico cum clerico contendenti facultas dari vel Epiſcopum ſuum judicem eligendi vel Metropolitanum. Si hoc licitum non erat, nec illud. Longe igitur alia mens illius Canonis ac putavit Sirmondus quæ ſummatim ac breviter aperienda eſt. *Si clericus, inquit, cum clerico agat, apud judicia ſecularis tribunal experiri non debet, ſed ad Epiſcopum ſuum ire ut ex ejus ſententia negotium inter eos componatur. Si vero clericus Epiſcopo ſuo aut alterius provinciæ actionem intenderit, Synodus illius Provinciæ cauſam quæ inter Epiſcopum & clericum vertitur, dignoſcat & terminet. at ſi vel clericus vel Epiſcopus cum ſuo Metropolitano controverſiam habuerit, ea controverſia Exarcho Diœceſeos, hoc eſt Patriarchæ, dirimenda & definienda permittatur.* Exarchus Diœceſis eſt Patriarcha; atque ita interpretatus eſt Juſtinianus Novella CXXIII. his verbis; εἰ δὲ καὶ παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσέλευσις κατὰ ἐπισκόπου γένηται, διά οἱανδήποτε αἰτίαν, πρῶτον ὁ ὁσιώτατος αὐτοῦ μητροπολίτης κατὰ τοὺς ἁγίους κανόνας (canones ſupraſcriptos intelligit Concilii Chalcedonenſis) καὶ τοὺς ἡμετέρους νόμους τὸ πρᾶγμα διακρινέτω· καὶ εἴ τις τοῖς κεκριμένοις ἀντείποι ἐπὶ τὸν μακαριώτατον πατριάρχην τῆς διοικήσεως ἐκείνης ἀναφερέσθω τὸ πρᾶγμα. εἰ δὲ κατὰ μητροπολίτου τοιαύτη προσέλευσις γένηται, εἴτε παρὰ ἐπισκόπου, εἴτε παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ πρᾶγμα κρινέτω. Ubi manifeſto πατριάρχης τῆς διοικήσεως Juſtiniano dicitur, qui in ſanctis Canonibus, quorum meminit, ἔξαρχος τῆς διοικήσεως nuncupatur. Quod

autem

Digitized by Google

autem additur in illis Canonibus, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον. id ad ſpecialem ſingularemque Patriarchæ Conſtantinopolis urbis ſcilicet dominantis prærogativam pertinere quis non videt? Per hæc enim verba licentiam tribuunt Canones illi Epiſcopo vel clerico cum Metropolitano ſuo agentibus, aut apud Patriarcham Diœceſis, in qua conſtituti ſunt, jure experiundi, aut apud Patriarcham ſedis Conſtantinopolitanæ, ſi eum videlicet partes conſenſerint, vel ſi judicatis à Patriarcha ſuo non ſteterint. Maxima in toto Oriente Patriarchæ Conſtantinopolitani auctoritas fuit, propter urbis ſcilicet regiæ in qua ſedem obtinebat dignitatem. Qua ratione moti patres in illo ipſo Concilio Chalcedonenſi parem Conſtantinopolitanæ ſedi prærogativam ac Romanæ tribuerunt, ut iiſdem privilegiis frueretur, & in rebus Eccleſiaſticis itidem ut illa extolleretur, & magnificaretur, εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι. Hinc univerſalis etiam dicebatur Epiſcopus, haud minus quam Romanus. Vetus monumentum ex Vaticana Bibliotheca depromptum apud Baronium univerſalem Epiſcopum, Conſtantinopolitanæ ſedis Patriarcham vocat, ubi Baronius univerſalem, ſuæ tantum Diœceſeos interpretatur. Ridicule, ſic enim & omnes reliqui Patriarchæ, quid dico Patriarchas? ſic etiam Metropolitani omnes & ſingularum civitatum Epiſcopi univerſales dici poſſent, ſuarum nimirum quiſque Diœceſeôn. Iuſtinianus Novella ſeptima in inſcriptione πατριάρχην οἰκουμενικὸν eum inſcribit, Ἐπιφανίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. An οἰκουμενικὸς ſuæ tantum Diœceſeos? iterum dicam ridicule. Quo ſenſu οἰκουμενικὸς πατριάρχης appelletur Conſtantinopolitanæ urbis Archiepiſcopus declarat Chryſoſtomus in homilia de verbis Eſaiæ, ubi Conſtantinopolim ὅλου τοῦ κόσμου μητρόπολιν vocat. Sic urbem Romam Athanaſius in Epiſtola ad ſolitarios τῆς Ῥωμανίας μητρόπολιν appellat, id eſt totius orbis Romani metropolim. inter alia igitur privilegia Archiepiſcopo Conſtantinopolitano à patribus Chalcedonenſis Concilii attributa, illud quoque decretum eſt ab iiſdem ut Epiſcopis & Metropolitanis aliarum Diœceſeôn liceret ad ſedem Conſtantinopolitanam referre de controverſiis ſuis. Adeo per omnia Epiſcopum Conſtantinopolitanum Epiſcopo Romano æquare ſtuduerunt illi Chalcedonenſes patres. Nam & Sardicenſi quoque ſancitum fuerat, ut provocandi licentia daretur ad Romanum Pontificem. Græci ſane nunquam aliter acceperunt & expoſuerunt duos illos Canones Chalcedonenſis Concilii, nonum & ſeptimum decimum. Nilus de primatu Papæ: ἀνάγνωθι κανόνα ἔνατον τῆς οἰκουμενικῆς τετάρτης συνόδου ἵν᾽ εἰδῇς τὴν ἔκκλητον πρεσβεύουσαν καὶ τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, φησὶ γὰρ εἴ τις κληρικὸς πρὸς κληρικόν, &c. Sequitur apud eundem poſt verba noni Canonis recitata, τὰ αὐτὰ καὶ ὁ ἑπτακαιδέκατος τῆς αὐτῆς συνόδου φησίν. ὁ δὲ ἑκκαιδέ[illegible] [illegible] ἄγιος [illegible]

ὄγδοος τῆς αὐτῆς συνόδου, καὶ ὁ τριακοστὸς ἔκτος τῆς ἕκτης τῶν αὐτῶν ἀξιοῦντες πρεσβείων ἀμφοτέρους τοὺς θρόνους σαφῶς καὶ τὴν ἔφεσιν τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντίνου δίδωσιν. Barlaamus in libello de Papæ principatu c. IX. ὅτι οὐδεμία τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων περὶ τοῦ θρόνου τῆς Ῥώμης ἐνομοθέτησε τοῦτο ὁ ἑπτακαιδέκατος κανὼν τῆς τετάρτης συνόδου τῷ τῆς νέας Ῥώμης θρόνῳ ἔχειν ἐδικαίωσεν. ἵνα δηλονότι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν εἴ τις ἐπίσκοπος ἀδικοῖτο παρὰ τοῦ ἰδίου μητροπολίτου παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως δικάζηται ἢ παρὰ τῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ. id eſt, *Sed enim id quod nulla unquam œcumenica ſynodus de Romana ſede decrevit, quatuor Synodi ſeptimus decimus canon novæ Romæ ſedi adjudicavit, ut in unaquaque videlicet provincia ſi quis Epiſcopus injuria afficeretur à Metropolitano ad Exarchum Diœceſeos, aut ſedem Conſtantinopolis judicium deferretur.* Recte illud ac vere Barlaamus, nullam œcumenicam Synodum Romano Pontifici attribuiſſe, quod quarta œcumenica Epiſcopo Conſtantini urbis adjudicavit. Nam Concilium Sardicenſe, quo appellationes ex omnibus Occidentis provinciis Romanæ ſedi decretæ ſunt, non fuit œcumenicum, nec pro œcumenico habitum eſt. Scire vero debemus, quemadmodum Synodi Sardicenſis decretum illud quo licentia dabatur Epiſcopis Romam provocandi, in Occidente à veteri Eccleſia ſervatum non eſt; ſic nec id ſervatum eſſe in Oriente, quod conſtituerant Chalcedonenſes illi patres de provocatione ab Exarchis ſeu Patriarchis ſingularum Diœceſeôn ad ſedem Conſtantinopolitanam admittenda. Nam Juſtinianus Novella jam ſupra citata centeſima & vigeſima tertia in confirmatione canonum illorum Concilii Chalced. mentionem nullam facit illius additionis: ἢ παρὰ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω, qua manifeſto provocatio ſedi Conſtantinopolis decernebatur, immo è contrario ſancit non licere retractari quod ſemel ab Exarcho id eſt Patriarcha uniuscujusque Diœceſeos in cauſis Epiſcoporum & Metropolitanorum ſtatutum ac judicatum fuerit. Addit enim in eadem Novella: οὐδενὸς μέρους κατὰ τῆς ψήφου αὐτοῦ ἀντιλέγειν δυναμένου. idque perpetuo & conſtanter obſervatum eſt in univerſa Orientali Eccleſia ut à Patriarcharum ſententiis provocationes non reciperentur. Photius in Nomocanone lib. IX. cap. V. οὐκ ἐκκαλοῦνται αἱ τῶν πατριαρχῶν ψῆφοι. Summam enim illi & verticem tenebant judiciorum Eccleſiaſticorum. Quicquid eſt certiſſimi certius non eſt quam hunc eſſe ſenſum quem diximus, hanc mentem ſupraſcriptorum canonum Concil. Chalced. eam vero aut ſequi noluit Sirmondus, aut aſſequi non potuit, qui ex iis novum nobis & inauditum genus Epiſcoporum ordinavit, qui nec Patriarchæ eſſent, nec Metropolitani. Si nulla eum ratione feciſſe arbitraris, ut tribus antiquis Epiſcoporum gradibus quartum interſeret, tibi dico, erras. non aliter enim ſummus Pontifex ſtatui poterat Italiæ Primas, Occidentis Patriarcha. atqui omnino erat ſtatuendus. itaque ergo fecit. Sed nunc à vertice ruat neceſſe eſt inſortitius & commentitius ille gradus, poſtquam baſim unicam, cui innitebatur, totam à fundamentis ever-

evertimus. Congrediamur igitur propius, & breviores huic diſputationi lineas admoveamus. Cur Primas Italiæ Papa? quia nullus, inquit, in Italia Primas, ut in Africa, Hiſpania, & Galliis. Cur Occidentis Patriarcha? quia nemô Patriarcha in Occidente. Mirer magis an rideam, neſcio, neutrum tamen faciam. ita utrumque faciendo nunc ſum defeſſus. Quod ſi mihi argumentari liberet; id argumenti quod in nos torquet, longe verius & melius & majore cum effectu poſſet in ipſum ſic retorqueri: Nullus in Italia Primas, ergo nec Italiæ Primas Romanus Epiſcopus. Nullus in Occidente Patriarcha, ergo nec Occidentis Patriarcha, Romanæ & Occidentalis Eccleſiæ præſul. Quis tam efficaci argumento manus non daret? ſed falſis pugnare non meum eſt, qui ſemper veris vincere conſuevi. Tam falſum autem eſt nullos in Italia Primates fuiſſe, quam in Occidente nullos Patriarchas. Primum malè Primates Africæ & Hiſpaniæ cum Galliarum Primatibus confundit: deinde Primates Diœceſeôn, quales erant Gallicani, æque malè à Patriarchis diſtinguit. Utrumque ſatis in ſuperioribus confutavimus, ut opus non ſit per hanc lineam iterum ſerram ducere. Nunc diſquirendum an nulli in Italia Primates. Certe ſi vocem Primatis ita accipimus, ut in Eccleſiis Africanis accipiebatur, de Primatibus ſingularum provinciarum, Primates in Italia fuiſſe ſolus ille negare poterit, qui nullas in Italia fuiſſe Metropoles poterit affirmare. Nam apud Africam idem Primas qui & Metropolitanus. Sed argutiæ faceſſant, mentem Sirmondi tenemus. non de Primatibus ille provinciarum intellexit, ſed de Primatibus vel Exarchis Diœceſeôn. Si nulla in Italia Diœceſis, nullus etiam Diœceſeos Primas fuit. atqui Italiam ipſam Diœceſin fuiſſe certum eſt, & hujus Diœceſeos Metropolim fuiſſe Mediolanum, quæ à veteribus vocatur μητρόπολις Ἰταλίας. Concedamus Archiepiſcopum Mediolanenſem non pluribus in Italia provinciis præfuiſſe, quam quas regebat Italiæ vicarius. Septem illæ fuerunt vel ipſius confeſſione Sirmondi. Septem igitur illarum provinciarum Primas, & caput fuit Epiſcopus Mediolanenſis. Quid eſt Diœceſis niſi multarum Provinciarum complexio? Plures in Italica Diœceſi Provincias fuiſſe quis ambigit? ſive civilem accipiamus, quam vicarius Italiæ adminiſtrabat, ſive Eccleſiaſticam cui præerat Epiſcopus Mediolanenſis. Recte itaque Diœceſis illa vocatur, & recte primas Diœceſeôs Epiſcopus à quo regebatur. Atqui præter illam Italiæ partem quæ Ciſalpinæ Galliæ nomine Romanis cenſebatur, etiam Illyricum ſub Epiſcopo Mediolanenſi fuit. Is enim Sirmienſes Epiſcopos ordinabat. Sirmium autem Illyrici caput & metropolis. Sic Epiſcopus Mediolanenſis revera Primas fuit, revera Patriarcha. Nam Primates Diœceſeôn à Patriarchis non diverſi. Quid de nomine nobis negotium faceſſit & argutias facit? res ipſa & dignitas Epiſcopi qui primam in

una-

unaquaque provincia ſedem obtinebat, aut qui toti Diœceſi præerat, jamolim priſcis Eccleſiæ temporibus in Eccleſia nota & uſitata. nomen autem ipſum vel Primatis vel Patriarchæ vel Archiepiſcopi, quo res illa & dignitas exprimeretur, non adeo in primitiva Eccleſia conſuetum & uſitatum, & ſerò in Eccleſiam receptum eſt. Quoniam tamen nos ad nomen provocat, veniamus quocunque vocabit. Qui diſcrimen inter Primates Diœceſcôn & Patriarchas ſtatuebat, qui Primates in Italia, Patriarchas in Occidente agnoſcere non audebat, nunc agnoſcat vel in Italia Patriarchas ſic nominatos. Meminit Paulus Diaconus de geſtis Langobardorum lib. II. cap. X. Patriarchæ Aquileienſis ſub Juſtino juniore, anno Chriſti DC.XXIII. his verbis: *Hoc etiam tempore, Romanam Eccleſiam vir ſanctiſſimus Benedictus Papa regebat: Aquileienſi quoque civitati ejuſque populis beatus Paulus Patriarcha præerat.* quo tempore ſcilicet Langobardorum gens totam Italiam invaſit. Patriarcharum Aquileienſium primam hanc mentionem inveniri ſcribit Baronius. Prima ſanè hæc eorum mentio extat apud Paulum Diaconum. nec enim illorum anterius poterat meminiſſe, in illis quidem libris quibus Langobardorum geſta deſcribit. nam quo tempore in Italiam ingreſſi ſunt Langobardi, & eam occupaverunt, Eccleſiæ Romanæ regimen tenuiſſe tum Benedictum Papam notat, Aquileienſi autem civitati præfuiſſe Patriarcham Paulum. Sed nulli ne ante illa tempora Patriarchæ Aquileienſes? immo fuiſſe oportet vel ex illo Pauli Diaconi loco, quo aperte indicatur non tum primum Patriarchas Aquileiæ fuiſſe inſtitutos, nam id monuiſſet, ſed longè ante id temporis ita eſſe appellatos. Quando verò Epiſcopi Aquileienſes Patriarchæ appellari cœpti ſint, ignoratur. ſed quid refert quando, ſi conſtat eos & Patriarchas fuiſſe, & ita appellatos eſſe? Narrat idem Paulus lib. IV. cap. XXXIV. ſub Phoca imperatore apud Grados Candidiano defuncto ordinatum eſſe Patriarcham ab Epiſcopis qui ſub Romanis erant, & ex illo tempore duo cœpiſſe eſſe Patriarchas. Nam in Aquileia vetere quæ à Langobardis tum tenebatur, Patriarcha ordinabatur ex conſenſu regis Langobardorum & Giſulſe ducis. Notandum autem in verbis Pauli, Gradenſem Patriarcham ab Epiſcopis ordinatum. Epiſcopos intellige Diœceſaneos Patriarchæ. nam ita moris fuit Patriarchas ordinari ab Epiſcopis ſuis. Barlaamus: ἕκαστος γὰρ τῶν πατριαρχῶν ἐψηφίζετο μὲν ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐπισκόπων, ἐχειροτονεῖτο δὲ ὑφ' ἑνὸς αὐτῶν ὅπερ καὶ μέχρι τῆς σήμερον οὕτω γίνεται. Patriarchæ vero ipſi Metropolitanos ſuos ordinare conſueverant, ut conſtat ex can. XXVIII. Concilii Chalcedonenſis. Si Aquileienſis antiſtes vel Gradenſis Metropolitanus tantum eſſet, omnino debuerat ab Epiſcopo Romano tanquam Primate ſuo ordinari. Atqui ille Patriarcha fuit. quomodo igitur Aquileienſis Patriarcha Romano antiſtiti quatenus Italiæ Primati ſubjectus

 erit?

erit? inſolens iſtud pláne & inuſitatum inauditumque. quis enim unquam vidit aut fando audivit Patriarcham Primati paruiſſe, gradum majorem minori? An non ipſe Sirmondus eſt qui Patriarchas Primatibus majores eſſe voluit, & hos illis ſuppoſuit? At hîc verſa vice & ordine turbato Patriarchas Primatibus ſuppoſitos habebimus. Romanus igitur Pontifex, quatenus ſpecialis Italiæ Primas per rerum naturam & ordinem non potuit habere ſibi ſubjectos Patriarchas. Primas ergo Italiæ non fuit, & alio nomine quam Primatis, alioque jure, Patriarcharum illorum caput & præſul fuit. Si Primas autem Italiæ Papa, utique etiam & Patriarcha Italiæ. Nam Primates Diœceſeôn eoſdem cum Patriarchis Diœceſeôn fuiſſe docuimus, & verum eſt. At novum hoc etiam Patriarcharum genus qui Patriarchis ipſis præſunt. Sic enim fuerint Patriarchæ Patriarcharum. qui titulus generalior eſt quam ut in ſpecialem Diœceſin convenire poſſit. Patriarcha igitur Italiæ non fuit Romanus Pontifex. nam nec Primas fuit. De Primatu Italiæ jam confectum negotium eſt, ſcilicet non fuiſſe illius provinciæ vel Diœceſeos Primatem Romanæ ſedis Epiſcopum. Reſtabat quærendum de Patriarcha Occidentis, an fuerit. Verum quid amplius quæremus? Huic quæſtioni magnam ſecurim injicit quæſtio ſuperior jam deciſa diffiſſaque. Nam ſi nec Italiæ Patriarcha fuit, multo minus Occidentis fuerit. Animi tamen gratia, actum quod ajunt, agamus, & nodum jam ſolutum ſolvamus. Quo igitur argumento Epiſcopus Romanus Patriarcha Occidentis à Sirmondo conſtituetur? eodem quo & Primas Italiæ, quia nulli in Occidente Patriarchæ. Oportet magnopere meliorum argumentorum penuria laboraſſe qui ad hoc confugerit. ſed pugnax non ſum. vicerit, ſi nulli fuerunt. ita tamen ut victum ſe viciſſim & convictum fateatur, ſi fuiſſe oſtendero. Atqui jam hoc ipſum oſtendi. Si enim Italia & re & nomine Patriarchas habuit, utique & Occidens. Italia quippe in Occidente. Sed nimirum probandum eſt, alias quoque Occidentis provincias ſuos habuiſſe Patriarchas. Quid factu facilius, cum id omnibus compertum comprobatumque ſit? Africa inter Occidentales provincias nec puto ponebatur. Sex illa provincias habuit, totidemque provinciarum Primates, quorum omnium Primas & caput erat Archiepiſcopus Chartaginenſis. Is multos ſub ſe Primates habebat, & Primas Primatum erat, & toti Diœceſi præerat. Si quiſquam jure optimo, & ille quoque Patriarcha fuit. Sed id nominis ac tituli tunc temporis in Occidente non ſolebat uſurpari, quod nec niſi ſero in Oriente uſurpatum eſt. Qui Primates quoque in Gallia noſtra vocati ſunt, iidem & meri fuere Patriarchæ. Quid eſt Patriarcha? unius nempe Diœceſeos, hoc eſt multarum Provinciarum, caput & Primas. Hoc noſtri Primates erant, & univerſæ Diœceſi præerant. Primas Lugdunenſis, Diœceſi Lugdunenſi,

hoc

hoc eſt, quatuor Lugdunenſibus & MaximæSequanorum. Primas Aquitaniæ, toti Aquitanicæ Diœceſi, vel primæ & ſecundæ Aquitaniæ, & ſic de cæteris. Hinc paſſim Patriarchæ vocantur à veteribus. Gregorius Turonenſis Lugdunenſem Patriarcham appellat. Et Concilium Matiſconenſe Patriarchæ Lugdunenſis meminit, ſub quo illud Concilium celebratum eſt. At nemo unquam Rotomagenſem, aut Turonenſem, aut Senonenſem, aut Veſuntinum Archiepiſcopos, Patriarchas dixit. Nam ſingularum provinciarum Metropolitani fuere, & omnes ſub Primatu Lugdunenſi qui Primas Diœceſis fuit, & revera Patriarcha. Primas enim Diœceſeos in Occidente, idem omnino qui πατριάρχης τῆς διοικήσεως in Oriente. Hinc πατριαρχίαι ἀντὶ τῶν διοικήσεων apud Socratem Hiſt. Eccleſ. lib. v. cap. VIII. Quare ſi hac ſola ratione ſubnixus, & hoc ſolo argumento ſubfultus advenit Sirmondus ut Papam Occidenti Patriarcham imponeret, quia nimirum nulli in Occidente Patriarchæ, quod voluit obtinere non debet, etſi valde voluit. Nam ex his quæ poſuimus, Patriarchas in Occidente fuiſſe & etiam nunc eſſe certum eſt. Et ſane ſi verum fateri volumus, nunquam ejusmodi titulos affectavit aut ambiit, nec etiam unquam poſſedit Epiſcopus Romanus: & ſolo Epiſcopi nomine contentus nuſquam ſe Archiepiſcopum, Primatem, nec Patriarcham præſcripſit. Adeo longe omnibus iſtis majus erat, Epiſcopum eſſe Romanum, cujus ei nominis prærogativa in Beati Petri ſucceſſione univerſæ Eccleſiæ primatum primo principatumque, deinde & dominationem Imperiumque quæſivit. Enimvero quid illi opus arceſſitis illis & inductis titulis ad eam in Eccleſia Dei poteſtatem vindicandam, quam ſibi deberi, ut Romano Epiſcopo, Beati Petri ſucceſſori, omnium orbis terræ Epiſcoporum principi, & Eccleſiæ univerſæ capiti, ſemper aſſeruit? Nihil in illis titulis eſt, quod tantam dignitatem majeſtatemque poſſit exæquare, nedum implere. Non inquam neceſſe habuit, Primatem Italiæ aut Patriarcham Occidentis ſeſe inſcribere, ut ſummam in Italia Poteſtatem jure Primatis, aut in Occidente jure Patriarchæ haberet, cum idem illi juris & poteſtatis & longe etiam ampliore cũ menſura conferat in Italiam & Occidentem Epiſcopi univerſalis nomen, quod Primati vel Patriarchæ in ſuam πατριαρχίαν & Diœceſin dignitas Patriarchatus. Pro illa enim poteſtate quæ ampliſſima ei tribuitur, & nullis terminis circumſcripta, poteſt in omnibus ubique terrarum provinciis & Eccleſiis haud minus quam in ſua ſpeciali Eccleſia & provincia, ordinationes facere, judicia exercere, concilia indicere, omnia pro ſummo Pontifice gerere & adminiſtrare, & nihil non ſuæ unius curæ traditum & creditum ducere. Et hæc ut faciat, & alia etiam longe majora non minus in Occidentis omnibus & Orientis Eccleſiis juris habere creditur, quam in ſua ſibi ſpeciali Romana. Quo magis hæc faceret, aut meliori

Digitized by Google

cum jure, quid opus fuit eum Primatem Italiæ conſtituere aut Occidentis Patriarcham? Primas Italiæ. Quare? Quia nullus in Italia Primas. An ſi eſſent, non poterat eſſe Primas Primatum Italiæ? ſane fuiſſet. Nam Primates in Italia fuerunt. Præſul quoque Viennenſis ſe Primatem Primatum vocavit. Epiſcopus etiam Carthaginenſis Primas Primatum revera fuit: nam multis Primatibus præfuit. Patriarcha Occidentis, quamobrem? An quia nulli in Occidente Patriarchæ? Quaſi non poſſet eſſe Patriarcha Patriarcharum Occidentis. Poterat ſane. Sed illi tituli Primatis Primatum, Patriarchæ Patiarcharum generaliores Sirmondo viſi ſunt, quam ut in ſpecialem Diœceſin quadrari poſſent. Nulli enim uſquam ad hanc ideam & exemplum extitere Patriarchæ, qui Patriarchas ſibi ſubditos & ſuppoſitos haberent. Præterea ſi Romanus Epiſcopus in ſua ſpeciali Diœceſi dictus eſſet πατριάρχης τῶν πατριαρχῶν, non poterat illi majus & amplius nomen & titulum conferre univerſalis Diœceſis. Et ſic planè concurriſſet ſpecialis Epiſcopi titulus cum titulo univerſalis, quo dici conſuevit apex apicum, caput capitum, vertex verticum, hoc eſt Patriarcha Patriarcharum. Hoc cum perſpiceret Sirmondus ut planè perſpicax eſt, Patriarchas in Occidente fuiſſe, negandum illi eſſe vidit, qui Romanum Pontificem Patriarcham Occidentis facere vellet, & ſpecialem ei Diœceſin totum Occidentem aſſignare pararet. ô ingenium! ô acumen! ſed profectò adeò ingenioſum & acutum me natum eſſe nollem quoniam qui tam ſubtiles ſunt, tam quoque futiles reperiri video. En quot machinas admovit, quot technas fabricatus eſt, quot fabricas compaginavit, ut hoc unum ſtrueret & efficeret, Occidentem ſpecialem eſſe Diœceſin Epiſcopi Romani. Ideo quatuor gradus Epiſcoporum in Eccleſia commentus eſt. Primates Dioceſeôn à Patriarchis Diœceſeôn diſtinxit, Diœceſes à thronis & ſedibus Patriarchalibus ſeparavit, Primates in Italia fuiſſe negavit, in Occidente Patriarchas: & hæc omnia, quod mirandum in primis eſt ut Græcorum opinionem confirmaret, quæ ſummum Pontificem in ordinem cogit. Et quis unquam fieri poſſe putaſſet, ut Græcos Romanus, Schiſmaticos Catholicus in propria lite judices audiret, & quam illi ſecundum ſe ſententiam contra Romanos pronunciarunt, unicè probaret? Hoc quid aliud eſt quàm cauſam adverſariis tradere? ô cæcitatem mentis, ô dementiam! Zonaras eſt, Græcus eſt, Schiſmaticus eſt, qui in expoſitione ſexti Niceni canonis ſummo Pontifici totius tantummodo Occidentis Eccleſias quaſi propriam & ſpecialem Diœceſin adſcribit. καθὼς, inquit καὶ τοῦ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ προεδρεύοντος τῶν ἑσπερίων ἀρχῶν ἔθος ἐκράτησε. ita etiam Nilus in libello quem de primatu Papæ adverſus Romanos compoſuit: καὶ ὅτι τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπῳ τὴν δέδωκε δηλαδὴ τῶν ἑσπερίων χωρῶν. Ita omnes Græci ab unione & communione Eccleſiæ Roma-

næ

næ ſeparati : utinam ne Sirmondo veniſſet in mentem , prudentiſſimo alias, & cordatiſſimo viro, & de Romana ſede fideque optimè merito, ut interpretationem ſexti illius Canonis Niceni, ex Græcorum ſcriptis hauriret. quam notionem præter ambitionis & levitatis mala, quibus ſemper laboravit, quantum ſemper infenſa & infeſta Romanæ ſedi Romaniſque omnibus Catholicis fuerit nemo niſi imperitus ignorare, nemo niſi impudens negare poſſit. Horum Patriarcha æquis paſſibus cum Papa Romano ambulare dedignatus, principem etiam locum contrà eum invaſit, & aliquamdiu tenuit. tantum abeſt, ut qui Romano debebatur, principatum agnoſcere voluerint, ut ultro etiam ſuo Patriarchæ arrogaverint : & cum propter alia quædam tum propterea dividiam à Romanis facere ſtatuerunt, ne quibus pares ſemper fuiſſent, aliquando ſuperiores, vice verſa dominos accipere cogerentur & ferre. Et poteſt aliquis ſperare ut Græculi ſe ſatis æquos præbeant in determinanda Papæ Diœceſi, & illam tam amplam quam eſſe debet conſiteantur, qui eam modis omnibus circumciſam, & quantum in ipſis fuit breviatam & imminutam reliquerunt. Profectò ſi Græcis auſcultare pergit, valdè verendum eſt, ne quam ſpecialem eſſe vult Romani antiſtitis Diœceſin, eadem quoque ſit & univerſalis, eo nempe ſenſu quo Baronius Patriarcham Conſtantinopolitanum univerſalem Epiſcopum dictum eſſe admonuit. quemadmodum enim ille Græcum Patriarcham univerſalem ſuæ tantum Diœceſeos dici interpretatus eſt, ſic planè Græci univerſalem Papæ Diœceſin in ſolo Occidente conſtituunt, quæ & ſpecialis eadem illi eſt, ut ipſi opinantur ſcilicet, qui ſpecialem eamdem cum univerſali faciunt, & ſummum Pontificem univerſalem quoque Epiſcopum ſuæ ſpecialis Diœceſis eſſe ita accipiunt, ut Baronius univerſalem accipiebat dictum Conſtantinopolitanæ ſedis Patriarcham. Sic igitur illi τῶν ἑσπερίων κορυφὴν Romanum præſulem fatentur, ut quidquam juris illi eſſe ἐν τοῖς ἑώοις conſtanter negent. quis adeo rerum imperitus, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ignarus qui neſciat, quot & quibus argumentorum machinis ante aliquot ſæcula pugnaverint Græculorum ut totum Romani Pontificis pontificium potentiamque ſolius Occidentis finibus includerent? nihil intactum, nihil infectum indictumve hactenus reliquerunt, ut hoc efficerent. eo uſque ut Niceni etiam conſilii auctoritate ad ſuam illam αἵρεσιν ſtabiliendam abuti non dubitarint, cujus ſextum canonem ita ſunt interpretati, ut ex ejus ſententia Romanum Pontificem toti Occidenti ſed ſoli præeſſe voluerint, non alia poteſtate ac jure, quam quo Conſtantinopolitanus Patriarcha Diœceſi ſuæ præeſt, Alexandrinus Ægyptiacæ, Antiochenus Orientali, & Hieroſolymitanus ſuæ. ſic in univerſa Eccleſia quinque θρόνους ſtatuerunt, quatuor in Oriente, in Occidente unum, hoc eſt Romanam ſedem. hinc πεντακόρυφον Eccleſiam appelarunt

larunt univerſalem quod à quinque capitibus vel principibus vel primatibus vel etiam ſi lubet Patriarchis adminiſtraretur, quos omnes pari dignitate & auctoritate & jure, in ſua quemquę parte eſſe voluerunt. Hæc Græcorum opinio, hæc Niceni illius canonis interpretatio. quam ſi in eo ſequitur & tuetur Sirmondus, ut inde ſtatuat totum Occidentem ſpecialem eſſe Romani Papæ Diœceſin, neceſſe eſt juxta eoſdem Græcos eamdem quoque confiteatur univerſalem. Una in Occidente & unica Apoſtolica ſedes Romana nimirum, ſecundum eam Græcorum expoſitionem & ſententiam: quæ ſi extra Occidentis terminos pedem movere audet ut in Oriente ponat, Græci occurrunt & prohibent, & iidem illi qui Romano τῶν ἑσπερίων ἄρχειν conceſſerunt, ne ſimile imperium ἐν τοῖς ἰδίοις uſurpet, ſumma vi defendunt. Atqui ſummus Pontifex idem poteſtatis idemque regni ſibi in Oriente deberi intendit, quod habet in Occidente, ut per Orientem Epiſcopos ſcilicet conſecrare, judicia exercere, Synodos indicere, de quibuſcunque rebus quod voluerit cumque decernere jure ſuo poſſit: tantum denique ſibi poteſtatis & auctoritatis concedi poſtulat in quatuor Orientis πατριαρχικοῖς θρόνοις, quantum illis θρόνοις in Epiſcopos & Metropolitanos ſibi ſubditos conceſſum eſt. Græci verò pro inſito gentis illius ingeniis typho, ut præter ambitionem leves quoque admodum fuere, unitatem Eccleſiæ ſcindere maluerunt, quam Epiſcopum Romanum Patriarchis ſuis imperitantem videre & pati. Sed fingamus Græcos in officio manere, & in fide quod ad hanc partem attinet, rectè, ut ait ille, equitare, ſummi Pontificis Principatum agnoſcere, fingamus, inquam, etenim id facile fingi poteſt, ſic totum Orientem Romani Pontificis imperio parere, quomodo totus Occidens paret, velim ſcire utrum acceſſione iſta Orientis futura ſit major & amplior ſpecialis Papæ Diœceſis, an verò de ſpeciali ut nunc eſſe dicitur, univerſalem eam factura ſit hæc adjectio? Si ſpecialis eſt, ſpecialis etiam utique manſura eſt poſt Eccleſiarum Orientis cum Occidente adunationem, & ſub uno rectore communi adminiſtrationem. At ſpecialem hanc Diœceſin eſſe quæ totum orbem comprehendat, non Sirmondus dixerit, non alius niſi qui velit eamdem & univerſalem & ſpecialem eſſe dicere. quod etiam tamen dici poſſe non abnuo. Nam ſi univerſus orbis Papæ Diœceſis eſt, ſua utique & ſpecialis hæc illi ſic erit Diœceſis quemadmodum Conſtantinopolitano Patriarchæ Conſtantinopolitana, & Alexandrino Ægyptiaca propria fuit Diœceſis. ita ſpecialis eadem & univerſalis erit Diœceſis. Et Epiſcopus Romanus ſpecialis idem & univerſalis totius orbis fuerit Epiſcopus. ſic enim & univerſalem & ſpecialem ſuæ Diœceſeos Epiſcopum ſedis Conſtantinopolitanæ Patriarcham faciebat Baronius. Hoc modo plane non tantum Occidens ſed & cum Occidente Oriens junctus, ſpecialis eſt Romani

Digitized by Google

Eccleſias regit & moderatur idem ſummus Pontifex, quam Orientales regeret ſi per Græcorum σχίσμα hoc illi liceat, qui Eccleſias illas omnes à principatu & dominatione ſummi Pontificis vindicarunt, ut ſuis eas Patriarchis aſſererent, quos dignitate & poteſtate Papæ pares faciunt. quem igitur in Occiduis Eccleſiis regendis regiminis morem exercet ſummus Pontifex, non is illi tanquam ſingularum Occidentis provinciarum Primati aut Patriarchæ competit, ſed tanquam generali univerſæ Eccleſiæ Paſtori & rectori, principi etiam, ut nunc res ſunt, ac Monarchæ ſummo. quis enim, mentis ſuæ & ſanæ qui fuerit, dicat Romanum Pontificem Africæ aut Hiſpaniæ, aut Galliæ & Germaniæ ſpecialem eſſe Primatem vel Patriarcham? Primates & Patriarchas illæ provinciæ ſuos ſpecialesque habent,& ſingulæ quidem multos, qui omnes ſummo Pontifici obediunt & obſecundant. non ut Romanæ Provinciæ Epiſcopo & peculiari Primati ſuo, ſed tanquam ſummo Pontifici, hoc eſt, totius Eccleſiæ rectori unico & Imperatori. Hoc titulo non ſolum Primas Primatum Occidentis re ipſa eſt, ſed etiam Patriarcha Patriarcharum Orientis eſſe cenſetur, & ſic caput & apex τῆς συμπάσης ὑπὸ τὸν οὐρανὸν οἰκουμένης vel οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας. Dixeris fortaſſe non multum intereſſe quo jure ſive quo titulo univerſas Occidentis Eccleſias Papa adminiſtret, utrum ſummi Pontificis an peculiaris Patriarchæ, dummodo rectè id eum & jure ſuo facere conſtet. Immo enimvero multum refert ſcire, utrum pro ea poteſtate ampliſſima, quæ illi in univerſam Chriſti Eccleſiam data eſſe aſſeritur, omnes Occidentis provincias, ut partem univerſi, regat & adminiſtret, an verò pro ſpeciali Patriarcha id agat, & eis tanquam peculiariter ſibi commiſſis, & ſpeciali ſuæ ſedi, Epiſcopalique curæ attributis præſit. Nam ſi ſpecialem ejus in Occidente adminiſtrationem agnoverimus, tum profectò cum Græcis hodiernis ſchiſmaticis ſentiemus qui Occidentem ſpecialem ſummi Pontificis eſſe Diœceſin ideo affirmant, ne univerſalem agnoſcant. At ſi totum Occidentem non ut ſpecialem Diœceſin, ſed ut partem univerſalis ſummo Pontifici parere contendamus, optima hercle, & unica hæc ratio fuerit Græcos convincendi qui ſpecialem faciunt, & illis omnibus os obturandi, qui univerſalem Papæ poteſtatem, & toto orbe diffuſam, & ad Orientis uſque fines manus verè regias, hoc eſt, longas exerentem intra Occidentis terminos cohibere & coërcere conantur. Et ſanè ita eſt. cum pro ſummo Paſtore & ſupremo Pontifice res Eccleſiaſticas in Occidente, regit, flectit, moderatur,& ad arbitrium ſuum Papa diſponit,Concilia indicit,Epiſcopos conſecrat, in rebus fidei ſolus clavum figit, totum id ex eo jure manare certum eſt, quod in Occidente ſolo agnoſcitur, in Oriente denegatur. Et quæ, malum, ratio eſt, Græcorum rationibus & interpretationibus niti velle ut probetur Occidens ſpecialis Diœceſis Romanæ ſedis Epiſcopi, cum illi

ipſi qui ita ſentiunt, male de fide ſentiant, & hac in parte, ut in aliis multis à Romana Eccleſia diſſentiant, quam deſeruerunt. qui eo ſini negaverunt univerſalem eſſe, aut ex univerſali titulo venire procurationem & adminiſtrationem ſummi Pontificis in Occidentalibus Eccleſiis, ne ſi univerſalem faterentur, hoc nomine locum in Oriente non minus habere, quàm in Occidente, fateri cogerentur. Quod enim univerſale eſt, nullis finibus niſi quibus univerſum continetur, nullis limitibus coërcetur. Univerſalis Epiſcopi nomine & jure Occidentales Eccleſias flectit & gubernat, & ſummum in eas imperium habet Pontifex ſummus. hoc eodem jure & nomine Orientales quoque ab eo gubernari debere quis negat? Græci negant. Ideo ſchiſmatici ſunt & Romanæ ſedis perduelliones. Contendunt igitur illi pertenduntque Occidentem à Romano Pontifice regi non ampliſſima illa poteſtate, qua toti Eccleſiæ præeſt, nam eam nullo modo agnoſcunt, ſed ſpeciali, & certis finibus delineata, qua Patriarchæ ſinguli ſuis ſedibus præſunt, & Eccleſias ſedibus illis attributas adminiſtrant. hinc πεντάθρονον & πεντακόρυφον totam Eccleſiam conſtituerunt, quinque ſcilicet ſedibus & quinque capitibus conſtantem, quorum unum toti Occidenti præeſſe voluerunt, reliqua quatuor toti Orienti. An oportuit Sirmondum tam prudentem, tamque diſertum hominem eam Græcorum ſententiam calculo ſuo comprobare qua in ordinem cogitur ſummus Pontifex, & ex univerſali totius orbis Epiſcopo, ſolius Occidentis Patriarcha ſtatuitur. Nihil minus quam hoc oportuit. Nihil minus quam talem virum decuit. Ὦ σύνεσι καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι ubi tunc eratis? ſcilicet illi non aderatis, nec vos in conſilium tunc advocavit, cum illa ſcriberet, quæ Græcorum cauſam prorſum adjuvant, Romanorum penitus peſſundant. Quanto melius ille qui ad ea Zonaræ verba, quibus explicavit ſextum Canonem Nicenum, ὡς τῷ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας προεδρεύοντι τῶν ἑσπερίων χωρῶν ἐπικράτησιν, notat hoc à Zonara additum præter mentem Concilii, quo nulla certa regio Pontifici aſſignatur, cum certum ſit Romanum Pontificem in totum orbem etiam Orientis imperium exercuiſſe. Rectius etiam & naſutius quam Sirmondus, ejuſdem ſocietatis viri fecere, qui Anaſtaſium nobis primi de vitis Pontificum in publicum dederunt. Nam in Stephano quinto *Papam orbis* pro *Papa urbis* excudendum curaverunt in his verbis: *qui omnes uno affectu parique amore cum ad Eccleſiam beati Petri perducentes, Dei ordinante providentia Papa orbis conſecratus eſt.* Age nunc, negato mihi ſi potes, faventem eos & propitiam Criticam habuiſſe, qui tam facili conjectura rem tanti momenti feliciter expediverunt. de cujus veritate ne dubitandum quidem eſt. Hoc ego exemplum imitatus, ubicumque *Epiſcopum urbis* reperi dictum in veterum ſcriptis, ad hanc formam mutare, & ex eo Epiſcopum orbis facere, optimum duxi. Quin etiam apud Paulinum Nolanum epiſt. 1. ubi *Papa urbicus* hodie

Digitized by Google

hodie legitur atque ita appellatur Epiſcopus Romanus, *Papam orbicum* ibi commode legi poſſe arbitrarer. Nec eſt quod Grammaticos vereamur. tam enim illi rectè ab orbe orbicum, quàm ab urbe urbicum fatebuntur. Quid ſi negarent? Tantine eorum negatio facienda eſſet? Tentavi quoque num ei conjecturæ locus dari poſſet in Eccleſiis ſuburbicariis quarum apud Ruffinum mentio, & de quibus nunc quæſtio eſt. Quidni vero poſſit? Sic enim ſuburbicariæ dicerentur totius orbis Eccleſiæ, quæ ſub orbico Papa ſunt, ut ſuburbicarias dici putabat Sirmondus quæ ſub urbico. Sed ſuburbicariarum appellatio moram nodumque quæſtionis, nec rumpit nec ſolvit. Semper enim quærendum relinquitur, ubi ſint, & quot ſint illæ ſuburbicariæ. At ſuborbicariarum correctio nihil plus nodorum relinqueret in hac quæſtione, quàm in ſcirpo reperitur. Nam ſuborbicariæ intelligerentur omnes orbis Eccleſiæ, quæ orbis Epiſcopo parent, vel orbico Papæ. Miror verò eoſdem illos editores qui apud Anaſtaſium non minus verè quam eleganter *orbis Papam* repoſuerunt, & ita excudi juſſerunt, id facere oblitos eſſe in eodem Anaſtaſio ad vitam Marci Papæ, ubi ſic hodie publicatum invenitur; *Hic conſtituit ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum urbis, pallio uteretur, & ab eodem Epiſcopo urbis conſecraretur, & conſtitutum de omni Eccleſiaſtico ordine fecit.* Cur hoc inemendatum reliquerunt, nec in orbis Epiſcopum mutaverunt, illum urbis Epiſcopum? Sed hoc obiter. Per hæc autem omnia quæ hactenus à nobis latè fuſeque de tota iſta re explicata ſunt, liquido liquidius demonſtratum eſt, & luce meridiana lucidius ſuburbicarias Ruffini Eccleſias de totius Occidentis Eccleſiis neutiquam poſſe accipi, nec totum Occidentem ſpecialem fuiſſe Romani præſulis Diœceſin, quem partem eſſe univerſalis ſatis conſtat, ſicut Libye exempli gratia pars erat Ægyptiacæ Diœceſeos, quæ ab Alexandrino Epiſcopo regebatur. Rurſus igitur in Italiam reducenda, & intra ejus terminos redigenda eſt ſpecialis iſta Diœceſis. Nunc utrum totam Italiam comprehenderit, an tantum ejus partem quæri debet. Non totam comprehendiſſe, cum illa argumenta quæ ſuperius protulimus ſatis probant, tum unus omnium maxime Ruffinus id evincit, qui in ſpeciali Romani Pontificis Diœceſi determinanda ſuburbicariarum Eccleſiarum finibus eam circumſcribit, his verbis: *ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* In quibus verbis obiter notandum eſt, illud *vel* poſitum eſſe pro *&*, quæ Latinitas erat illorum temporum. Sic enim debet accipi, quaſi dixiſſet, *ut & ille Ægypti, & hic ſuburbicariarum* Eccleſiarum *ſollicitudinem gerat.* ita uſurpatum eſt iſtud *vel*, in antiquo Poëmate, quod *Pervigilium Veneris* inſcribitur:

Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,

Ubi manifeſto, *vel puellæ*, pro *& puellæ* ponitur. Sic accipitu & in Cod. Theod.

quibus equorum uſus, leg. ult. *Paſtores Valeriæ provinciæ , vel Piceni uti equinis animalibus non jubemus. Valeriæ vel Piceni*, pro , *Valeriæ & Piceni.* eodem plane modo loquutus eſt & Iulius Frontinus in libello de Colonis : *pars vero Camporum & Sylvæ regionis Campaniæ vel Aureliæ à Divo Auguſto veteranis data fuit.* id eſt, *Campaniæ & Aureliæ.* Nam Campania & Aurelia duæ diverſæ Provinciæ, ut notum eſt. idem alio loco : *pars verò Camporum & Sylvæ regionis Campaniæ, vel totius Aureliæ ante a Divo Auguſto veteranis pro parte data fuit.* id eſt , *& totius Aureliæ.* eadem loquutio in Conciliõ Taurinatenſi can. v. *juxta litteras memorabilis memoriæ Ambroſii Epiſcopi, vel Romanæ Eccleſiæ ſacerdotis dudum latas.* pro, *Ambroſii Epiſcopi , & Romanæ Eccleſiæ Sacerdotis.* Sexcentis locis hoc loquendi genus apud Anaſtaſium Bibliothecarium occurrit. Unum aut alterum huc attuliſſe ſatis erit, qui ad manum. in Stephano tertio : *& ſuæ jurisdictioni civitatem hanc Romanam , vel ſubjacentia ei caſtra ſubdere indignanter aſſerebat.* & paulo poſt ead. pag. *& de iniquitatis filii morſibus Romanam hanc urbem vel cunctam Italiam provinciam liberaret.* pro, *hanc urbem & cunctam Italiam.* Sed ut ad rem redeam , ſuburbicarias Eccleſias quarum ſollicitudinem Ruffinus & regimen Romano antiſtiti aſſignat, ut Alexandrino, Ægyptiacarum. Licet omnia feceris , etiamſi ſexcenti contra dicant , & contra ſentiant Sirmondi , non alias poſſis accipere , quàm quæ in ſuburbicariis regionibus ſeu provinciis erant ſitæ. quam enim ridiculus & ineptus & non ferendus eſſet , qui Ægyptiacas provincias ab Eccleſiis Ægyptiacis faceret diverſas , & Italicas regiones ab Eccleſiis Italicis , quique Africanas provincias alias , alias eſſe diceret Eccleſias Africanas , aut ab Eccleſiis Gallicanis , ſeorſim ſtatueret Gallicanas provincias. tam profectò ineptus ille & ridiculus , & non ferendus eſt , qui ſuburbicarias Eccleſias à ſuburbicariis regionibus ſeu provinciis antumat ſeparandas ; & ſuburbicarias quidem provincias eas fuiſſe dicit quæ ſub vicarii urbis diſpoſitione eſſent , quæ & intra Italiam continerentur , & partem tantùm Italiæ comprehenderent , ſuburbicarias autem Eccleſias apud Ruffinum eſſe quæcunque ad Romani Epiſcopi Diœceſin pertinerent ſpecialem , quo nomine univerſæ Occidentis Eccleſiæ intelligerentur. Nihil tam abſurdum à quamlibet inſulſo aliquo homine fingi poſſe exiſtimem , quin id iſtius ineptia commenti ſuperet. An ſuburbicariæ regiones temporibus Ruffini notæ non erant ? immo notiſſimæ. Nam ſi quis illo tempore nominari audiſſet provincias vel regiones, tam notum habebat , quænam illæ eſſent quàm quæ Ægyptiacæ aut Africanæ aut Gallicanæ. Hinc in Codice & Notitia Imperii , ubicunque earum mentio fit, non nominatim recenſentur, ſed ſimpliciter ſuburbicariæ vocantur : nec enim obſcurum tunc erat quænam provinciæ ſic dicerentur. nullæne Eccleſiæ in illis ſuburbicariis regionibus ætate Ruffini fuere ? immo fuiſſe certum eſt : eæ ipſæ ſunt igitur quæ apud Ruffinum ſuburbi-

cariæ

cariæ Eccleſiæ dicuntur. Sed omnem de ſuburbicariis Eccleſiis dubitationem tollit, & eas omninò eaſdem cum ſuburbicariis, quæ ſic proprie dicebantur, regionibus fuiſſe fidem certiſſimam facit Vaticana vetus Nicenorum Canonum editio, cujus locum in illa ſua cenſura nobis exhibuit Sirmondus, qui ſextum illum Canonem de quo agimus hoc titulo & exordio concipit: *De primatu Eccleſiæ Romanæ & aliarum civitatum Epiſcopis. Antiqui moris eſt, ut Epiſcopus urbis Romæ habeat principatum; ut ſuburbicaria loca, & omnem provinciam ſuam ſollicitudine gubernet.* Poterat fortaſſe antea dubitari de Ruffiniana ſexti hujus Canonis expoſitione, & ſuburbicariarum Eccleſiarum, ut ibi nominantur, notione. nunc non poteſt. Ita planè & apertè Vaticanus hic auctor, ſuburbicaria loca nominando, quas ſuburbicarias Eccleſias in eadem re exponenda Ruffinus dixerat, eaſdem fuiſſe declarat cum ſuburbicariis Eccleſiis ſuburbicarias regiones, qui & provinciam omnem Epiſcopi urbis Romæ ſic terminat, ut Ruffinus ſuburbicariis Eccleſiis. *Suburbicaria* porro *loca* & ſuburbicariæ regiones, & ſuburbicariæ provinciæ, & ſuburbicariæ etiam partes ſynonyma ſunt, quibus ſignificantur τὰ περὶ τὴν πόλιν χωρία, τὰ περίχωρα τῇ πόλει, αἱ ὑπὸ πόλιν χῶραι, τὰ περιπόλια, ut quidam ex Græcis dixerunt. & ſuburbicaria vel urbicaria regio, ἡ περίχωρος, ἡ περὶ τὴν πόλιν χώρα. ſuburbicariæ partes dicuntur leg. XII. Cod. Theod. *de extraordinariis muneribus*, quæ alibi paſſim eod. Cod. ſuburbicariæ regiones, & ſuburbicariæ provinciæ appellantur: *Ad virum clariſſimum & illuſtrem præfectum Prætorio Italiæ ſcripta porreximus ut ab actoribus & conductoribus patrimonii noſtri, atque ab his qui jure perpetuo poſſederunt extraordinarii muneris ceſſaret injuria: neque ſuburbicariis partibus tironum immineret exactio.* Quæ in hac lege XII. ſuburbicariæ partes vocantur, eas lex IX. eod. tit. urbicarias regiones vocat. utraque enim lege conductores fundorum patrimonialium, & emphyteuticarii poſſeſſores per ſuburbicarias partes, ſive urbicarias regiones ab extraordinariis muneribus excuſantur. Lex illa nona ita habet: *Non enim per Italiam tantum, ſed etiam per urbicarias regiones & Siciliam patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus.* Sic ſuburbicariæ regiones & ſuburbicariæ partes eædem. Et quis dubitat quin ſuburbicaria loca eadem quoque ſint, cum ſuburbicariis regionibus & partibus? ô factum bene! beavit nos Sirmondus, & magnæ iſthoc nomine agendæ illi gratiæ, quod adeò illuſtrem locum & hujus totius quæſtionis τηλικώτατον minime nobis invidit. nam & quod vix ſperare audebamus, nobis ultrò obtulit, & multos errore liberavit, in quo verſabantur, dum putabant Ruffini commentum eſſe ſuburbicarias illas Eccleſias. Si ſuburbicariæ Eccleſiæ à Ruffino confictæ ſunt, ſuburbicaria etiam loca confinxiſſe putandus eſt ille Vaticanus interpres. Atqui & hujus interpretis Vaticani quiſquis eſt, & Ruffini tempo-

Digitized by Google

ribus ſuburbicarias regiones, ſuburbicariaque loca quin nomine notiſſima fuerint & cognitiſſima, minime dubitandum eſt. nec ignotiores utique erant ſuburbicariæ Eccleſiæ, quas in illis ſuburbicariis locis conſtitiſſe oportet. Eas igitur ex animi ſui libidine non commentus eſt Ruffinus, ſed ex uſu ſæculi ſui quæ in ſuburbicariis locis erant, ſuburbicarias Eccleſias appellavit. Ut Sirmondum laudo quod nobis auctorem oſtenderit, qui in metanda Epiſcopi urbis Romæ Diœceſi, multo expreſſius quàm Ruffinus, ſuburbicariis eam regionibus definivit; ita minus prudenter feciſſe judico, quod οἴκοθεν μάρτυρα produxerit, eum, qui contrariæ parti prorſum favet, & cujus unius teſtimonio unice ipſe convinci poterat, etiamſi alii teſtes aliæque probationes deeſſent. Eum tamen pro ſe facere, cum ita palam contra faciat, aſſeverare audet. quod ut nobis probet ſuaviter, ita me Deus amabit, argumentatur. ſic enim συλλογίζῃ aut invicem diſſidere interpretes iſtos, aut unum atque idem ſenſiſſe in explicanda Romanæ Diœceſis amplitudine. non diſſident, inquit, ergo idem voluere. Confiteor hoc totum & nihil verius. quid deinde ſequitur? fac vacivas aures, & audies. Per ſuburbicarias Eccleſias totum, inquit, Occidentem intellexit Ruffinus, ergo & per ſuburbicaria loca idem quoque intellexit ille Vaticanus interpres. ô rem ridiculam & nimis jocoſam! ſi idem voluere interpretes illi, an neceſſarium eſt id eos voluiſſe quod Sirmondus vult?. quid ſi velim ego hoc eos voluiſſe quod volo, quis vetabit? ego igitur ſic contra ingrediar & inferam? quoniam unum & idem vel Sirmondo teſte uterque dixit & intellexit; per ſuburbicaria autem loca conſtat, regiones ſuburbicarias ab iſto Vaticano intellectas eſſe, neceſſum eſt utique & idem intellectum ſit à Ruffino, ſuburbicariarum Eccleſiarum nomine. Uter noſtrûm concludere verius & effectius tibi videtur? palmam mihi dabis certò ſcio. nam meum veritate vincit argumentum. Nimis hic modus facilis eſt, alia via ad victoriam nitamur. nulla tamen non facilis, in tam bona & vincibili cauſa. δυοῖν igitur θάτερον, aut noto omnibus & uſitato vocabulo in re nota exprimenda uſi ſunt iſti duo interpretes, aut novum ipſi commenti ſunt, quod à nemine antea ad eam rem ſignificandam uſurpatum eſſet. Ruffini figmentum eſſe ſuburbicarias Eccleſias ſcio fuiſſe qui dixerint, ſed illos item fruſtrà fuiſſe ſcio. Ecce tibi alter interpres Sirmondi beneficio, qui & ſimile verbum in ſua interpretatione uſurpavit. an ſuburbicaria quoque iſte loca pariter, ut Ruffinus ſuburbicarias Eccleſias adinvenit? mira vero συγκυρία, tam compar & conſimile commentum in mentem potuiſſe utrique cadere, ſed potuit alter ab altero accipere. Utrum ergo Ruffinus à Vaticano, an Vaticanus a Ruffino mutuatus eſt? quid hæc ad nos aut ad rem? magis ad rem pertinet quærere quid ita libuerit illis interpretibus novas voces & inuſitatas procudere, cum in promptu eſſent vulgares & communes, quibus id quod in

animo

Digitized by Google

animo habebant, optimè & commodè enunciare potuerunt, immo & debuerunt? ſpecialis Romani præſulis Diœceſis provincias indicare volebant. Specialis illa Diœceſis ſecundum Sirmondum totus Occidens fuit. cur ille Vaticanus pro ſuburbicariis locis, Occidentales regiones non dixit? cur Ruffinus pro ſuburbicariis Eccleſiis non dixit Eccleſias Occidentales? & quemadmodum hic Ægyptum Alexandrino Epiſcopo in Diœceſin aſſignabat, quare non & Occidentem Romano adſcripſit, ſi totum Occidentem illi adſcriptum ſciebat? Græci ſanè qui totam ſummi Pontificis poteſtatem Occidentis finibus claudunt, & his terminis ſpecialem univerſalemque ejus Diœceſin circumſcribunt, τὰ δυτικά, τὰ ἑσπέρια, ἢ τὰς ἑσπερίους ἐκκλησίας ſub Romani Pontificis imperio eſſe confitentur, nec unquam aliter hanc quam volunt, ſpecialem eſſe Romani Epiſcopi Diœceſin enuntiare conſueverunt, quam τῶν ἑσπερίων, ἢ τῶν δυτικῶν appellatione. Sed illi male, ut ſuum tueantur ϛχίσμα, ſpecialem aſſerunt eſſe Diœceſin quæ pars eſt univerſalis, ut ſatis ſupra docuimus. Quod ſi hoc idem fuiſſet Ruffini temporibus, & Ruffinus pro Græcis ſtetiſſet, non ſuburbicarias ille Eccleſias, ſed Occidentales ſpecialem Diœceſin ſummi Pontificis conſtituere dixiſſet, ſed alia tunc tempora fuere, alia nunc ſunt: Dicam, & iterum iterumque dicam, nullo modo mihi fieri veriſimile nec eſſe credibile Ruffinum & illum alterum Vaticanum Nicenorum Canonum interpretem alio nomine quam Occidentis & Occidentalium Eccleſiarum, Occidentem aut Occidentales Eccleſias fuiſſe deſignaturos, ſi Occidentem aut Occidentales Eccleſias deſignare voluiſſent. Nunc aliud eſt de quo ſi liceret, Sirmondum liberet interrogare. Si alteruter ex his interpretibus aut horum uterque in deſignanda Romanæ urbis Epiſcopi Diœceſi non ſuburbicarias ſed Romanas Eccleſias nominaſſet, nonne idem dixiſſet? profecto idem. Nec aliud reſpondere potis eſſet Sirmondus. Nam ſi ita loquuti eſſent, non illi quidem ἀμαθέϛερον, & tamen aliquando σαφέϛερον eſſent loquuti. nemini quippe dubium foret quin Romanæ Eccleſiæ eæ eſſent intelligendæ, quæ Romano Epiſcopo parerent. ſicut enim ex ſententia Sirmondi ſuburbicariæ ſunt, quæ ſub urbis Romæ Epiſcopo erant, ita Romanæ dicerentur quæ Romanæ ſedis Antiſtiti, & Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti obediebant. ut Romanus orbis & Romanum Imperium, quod Imperatori Romano parebat. Ruffinus igitur, ſi pro ſuburbicariis Eccleſiis, poſuiſſet Romanas Eccleſias, rem eamdem & multo quidem ſignantius apertiusque demonſtraſſet. nam ſuburbicarium quo ſenſu à Sirmondo accipitur, & Romanum idem. At quæro jam, ſi Ruffinus Romanæ urbis præſuli Romanas Eccleſias ut propriam & ſpecialem Diœceſin attribuiſſet, quemadmodum ſuburbicarias attribuit, an aliquis eo tempore potuerit Romanarum Eccleſiarum appellatione, omnes totius Occidentis Eccleſias accipere? quid ad hoc reſpondebit? quid

quid reponet? An Africana Eccleſia Romana quoque tunc fuit, & Romana appellata eſt? ita ſane dictam oportuit. nam ſi ſuburbicaria dicta eſt, ut cenſet Sirmondus, utique & Romana fuit dicenda. Gallicanam quoque Eccleſiam, & Romanam fuiſſe temporibus Ruffini, atque ita vulgo appellatam eſſe neceſſe eſt: nam & illa etiam ſuburbicaria juxta eumdem Sirmondum. Idem de cæteris Occidentalibus Eccleſiis quas omnes Romanas dicendas fuiſſe conſtet, ſi ſuburbicariæ aut dici quoquam potuere, aut uſquam dictæ ſunt. At Niceni Concilii temporibus, aut Ruffini, ne de inferioribus dicam, aliquam ex illis Eccleſiis ſupra nominatis Eccleſiæ Romanæ nomine veniſſe nobis probet, *καὶ δείξας νικάτω*. Alia tunc temporis fuit ſpecialis Eccleſia Romana, alia Africana, alia Gallicana, aliæ aliarum Occidentis provinciarum, quibus Eccleſiæ Romanæ nomen nunquam inditum aut additum fuit. Sed Eccleſia Romana ſolum vocabatur, quæ intra Italiam conſiſtebat, nec totam tamen Italiam conſtituebat. Nam Italica Eccleſia ab Romana ſic illa in ætate diſtinguebatur, quemadmodum Provincia Italica à Romana Provincia. Sed de iſtac re, nec plus nec minus ſit, quam velit Sirmondus, demus illi ſuburbicarias Eccleſias eas dici poſſe quæ ſub urbis Epiſcopo fuerint, & Romanas eſſe appellatas omnes Occidentis Eccleſias, totumque Occidentem Romani Pontificis ſpecialem fuiſſe Diœceſin, hæc omnia ei concedamus, nego tamen & pernego, vel Ruffinum vel alium quemvis interpretem qui vellet certam ſpecialemque Diœceſin Romanæ urbis Epiſcopo adſcribere & aſſignare, certiſque eam finibus & regionibus deſcribere & deſignare, ſuburbicarias Eccleſias aut Romanas in ea Diœceſi demonſtranda, potuiſſe nominare, nedum, ut hanc eamdem rem exprimeret, iſtud verbi debuerit comminiſci. Hoc enim tale foret, quale ſi quis imperii, quod ſub Romanis erat, magnitudinem demonſtrare volens, & in quot quantaſque provincias diffuſum eſſet, ſignificare, diceret imperium Romanum Romanis paruiſſe; aut ſi quis illud imperium quod ſub Perſarum Regibus erat, quam amplum fuerit, oſtendere cupiens, Parthici imperii habenas rexiſſe Parthorum reges affirmaret. Qui ita loqueretur, non quantum illud & illud eſſet imperium, aut quot & quas ſub ſe provincias habuerit, indicaret: ſed quaſcumque aut quotcunque ſub ſe habuiſſet, imperii Romani aut Parthici nomine ſimpliciter comprehenderet, nec magis per hanc locutionem de utriuſq; imperii amplitudine apud non ſcientes conſtaret, quam ſi nihil omnino de ea expreſſum eſſet. ſic plane qui Romanas aut ſuburbicarias Eccleſias ſub urbis Romanæ Epiſcopo fuiſſe diceret, Romanam ſine dubio Diœceſin ſub illo nomine intelligendam daret, ſed quibus illa Diœceſis provinciis definita fuerit, & quam late patuerit, minime notum faceret. Ruffinus autem, qui Ægyptum Alexandrino Epiſcopo dabat adminiſtrandam, certam Diœceſin, & certis notiſque finibus circum-

ſcriptam

Digitized by Google

ſcriptam denotabat? nemini enim ferme tunc ignotum erat, quas & quot Provincias Ægyptus vel Ægyptiaca Diœceſis ſub ſe contineret. At idem ſi ſuburbicarias vel Romanas Provincias Epiſcopo Romano regendas dediſſet, quia incertum quænam illæ provinciæ vel Eccleſiæ, & quot numero fuerint, quas ſuburbicarias vocaret, nullis certis notis aut indiciis finium Romanam Diœceſin determinaſſet. Sed quilibet eam pro arbitrio ſuo quam magnam vellet aut quam parvam accipiendam in medium reliquiſſet. Quod neutiquam boni interpretis & fidelis officium fuit. Talem quidem ubique non præſtitit Ruffinus, in eo tamen illum peccaſſe, ubi nemo niſi plane communis ſenſus expers peccaret, nullo modo mihi perſuadeo. Huc accedit quod ſuburbicarii vocabulum eo modo factum formatumve quomodo à Ruffino volunt, & ratione caret & exemplo. Suburbicarias enim Eccleſias quæ ſub urbis Epiſcopo eſſent, ad eam faciem à Ruffino dictas eſſe contendunt, qua vulgo ſuburbicariæ regiones dicerentur, quæ vicarii urbis diſpoſitioni ſubjacerent. Atqui in priore hujus Epiſtolæ parte ſatis abundeq; docuimus ſuburbicarias regiones non eas fuiſſe dictas, quę ſub Vicarii urbis diſpoſitione eſſent, nec illam eſſe nominis earum notationisq; rationem. Suburbicarium enim id appellarunt, quod ſub urbe eſſet, non ſub urbis vel Epiſcopo, vel vicario. Et ſuburbicarium idem plane eſt quod ſuburbicum vel ſuburbanum, ſicut plane urbicarium idem quod urbanum & urbicum, quod ad urbem ſcilicet pertineret. Hinc regiones illæ ſuburbicariæ, ita dictæ quod ſub urbe eſſent, & urbi propinquæ, eædem quoque & urbicariæ appellatæ ſunt, quod ad urbem ſpectarent, & cum urbe conjungerentur, & ab eodem Magiſtratu qui urbem regebat, ipſæ etiam regerentur. His tot tantiſque atque adeo *ἀνεξώϛεις* argumentis facile evincitur, & grammica apodixi certius probatur, nec Ruffinum nec illum alterum Vaticanum interpretem id verbi quo uſi ſunt in definienda delineandaque Romanæ urbis Diœceſi, excogitaſſe aut finxiſſe primos, nec ullam in ea re exponenda novi vocabuli fingendi cauſam habuiſſe, nec niſi abſurdè & imperite & ineptè prorſum illud eos potuiſſe vocabulum in eo ſenſu comminiſci, quo ab eis id confictum eſſet, cenſet noſter cenſor. Sequitur ergo, ut quoniam illud non eſt, iſtud neceſſario ſit, ut vulgatæ ſcilicet uſitatæque notionis vocabulum uſurpaverint ad id exponendum quod exponere parabant interpretes iſti. Suburbicaria igitur ab altero *loca*, ab altero ſuburbicarias Eccleſias, in eo ſenſu ſignificatuque poſitas eſſe, quo tunc temporis ſuburbicariæ regiones vel provinciæ poni accipique ſolebant. Oſtendat itaque nunc nobis & probet Sirmondus, qui ſuburbicaria loca totius Occidentis provincias interpretatus eſt, vel unam ex omnibus Occidentis provinciis, ab illius ævi ſcriptoribus ſuburbicariam eſſe appellatam; proferat authorem vel unum, ex bibliotheca

etiam Vaticana ſi poterit depromat, qui vel Italiam, vel Africam, vel Galliam, vel Hiſpaniam, vel aliam quamlibet Occidentis provinciam ſuburbicariam appellarit. qui totum denique Occidentem ſuburbicarium dixerit. Etenim ſi omnes Occidentis provinciæ ſuburbicariæ, ipſe quoque Occidens ſuburbicarius totus fuit dicendus. Quærat porro, ſcrutetur, inveſtiget quàm volet, nullum inveniet quamvis levem, quamvis futilem, quo teſte vel auctore nobis, non omnes dico, ſed unam unicam Occidentis provinciam ſuburbicariam eſſe nuncupatam queat approbare. Sed quos pro ſua parte non potuit, pro noſtra poſſumus laudare quamlibet graves & idoneos, & quorum auctoritatem ſi ſapit, nunquam defugiet. Sicilia, ut puto, Occidentalis provincia fuit, inter Occidentales etiam Italia, Africa & Illyricum. Hoc negari nequit. Atqui ſupradictas omnes provincias à ſuburbicariis regionibus diſerte & expreſſe diſtinguit & ſeparat lex unica Impp. Gratiani, Valentiani, & Theodoſii, Cod. Theod. *Si per obreptionem*, his verbis: *igitur ſinceritas tua id ipſum per omnem Italiam, tunc etiam per urbicarias Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum prælata hujus oraculi auctoritate firmabit.* Et Julianus leg. IX. eod. Cod. Siciliam & Italiam ab urbicariis regionibus ſecernit, atque etiam Africam: *Exemplo Africæ debent fundi patrimoniales & emphyteutici per Italiam conſtituti ab extraordinariis omnibus excuſari. non enim per Italiam tantum, ſed etiam per urbicarias regiones & Siciliam patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus.* Notitia quoque imperii, Italiam, Siciliam, Africam, Illyricum ab ſuburbicariis regionibus manifeſto ſecernit & ſejungit: *Sub diſpoſitione viri illuſtris Comitis rerum privatarum, Rationalis rerum privatarum per Illyricum. Rationalis rei privatæ per Italiam. Rationalis rei privatæ per urbem Romam & ſuburbicarias regiones. Rationalis rei privatæ per Siciliam. Rationalis rei privatæ per Africam.* Profecto ſi nec Sicilia nec Italia inter ſuburbicarias regiones, ſed à ſuburbicariis regionibus diverſæ ac ſepares ſtatuuntur, multo minus & Gallia, & Hiſpania, & Germania, & reliquæ Occidentis provinciæ longe ab urbe & ſuburbicariis locis diſſitæ, erunt ſuburbicariæ. His tam apertis, tam probatis, tam confeſſis, tam manifeſtis rebus acquieſcere non poſſunt duri capitones, & quamvis rationibus defecti, auctoribus deſtituti, pugnant tamen, & ſententiam ſuam obſtinate propugnant, invitiſque omnibus omnimodo ſuburbicarias volunt eſſe, quæ ſuburbicariæ non fuerunt regiones. Hæc plane vis eſt, nec enim ratio eſt. Hos ſi audire pergimus imperioſos & violentos dictatores, & eorum plusquam Manlianis parere imperiis paramus, rerum natura convellenda ſedibus ſuis & commovenda nobis erit, & propius urbem admovendæ provinciæ ab urbe remotiſſimæ. Inter ſuburbicaria Romæ loca ſtatuenda nobis erit Africa, erit Illyricum, erit Hiſpania. Suburbicariis iiſdem locis adjungenda veniet.

Digitized by Google

niet Gallia, veniet Germania, veniet Britannia. nullus in toto Occidente locus erit, nulla regio tam procul ab urbe diſſita, quin ſuburbicaria fuerit. ipſi illi Britanni toto orbe diviſi, velint nolint cogentur eſſe urbis Romæ ſuburbicarii: omnes poſtremo Occidentis provinciæ quantæ quantæ & quotquot illæ fuerint, ſuburbicariorum locorum nomine, quoniam ita jubet atque imperat dictator, erunt intelligendæ. Hoccine tibi mirum videbitur eſſe, ſuburbicaria loca dici totius Occidentis provincias, & non illud potius miraberis, de toto Occidente unam fieri provinciam ab hoc eodem cenſore ſimul & dictatore, atque etiam, ſi vis, imperatore. Nondum tamen apud me ſtatui utrum magis ſit admirandum ſtupendumque quod ſuburbicariis locis omnes Occidentis provincias incluſit, an quod de toto Occidente unam provinciam fecit. Sed profecto poſtremum iſtud minus mirum eſt, & prorſus ex illo altero pendet. Totum quippe Occidentem unam provinciam fuiſſe neceſſe eſt, ſi ſuburbicaria loca omnes Occidentis provincias intra ſe comprehenderunt. Nam Vaticanus ille interpres omnem Romanæ urbis Epiſcopi provinciam intra ſuburbicaria loca concludit & collocat. Adeone vero hunc cenſorem memoria ſimul cum ratione fugit, ut qui Anonymum hoc nomine reprehendat quod provinciam cum Diœceſi confuderit, nunc idem repente quaſi ſui oblitus, provinciam non tantum Diœceſin multas provincias continentem interpretetur, ſed etiam unius provinciæ nomine multas Diœceſes exiſtimet accipiendas? quo vinculo conſtringemus, ut teneamus hunc Prothea? Modo ait, modo negat: & frigidum afflat & calidum ex eodem ore. tam verſipellem hactenus novi neminem. nunc proprietates verborum ſequitur, & obſervat, nunc eaſdem neglexiſſe non contentus, etiam in contrarium vertit, & mutat, qui modo nobis Diœceſin multarum provinciarum complexionem eſſe dicebat, nunc idem nobis in eodem libello provinciam multas Diœceſes ſub ſe comprehendiſſe affirmat, atque ita provinciam docet accipiendam apud Vaticanum interpretem: quam enim ille provinciam dixit, hic totum Occidentem interpretatus eſt. Multas autem eaſque ampliſſimas in toto Occidente fuiſſe Diœceſes cum tirunculi non neſciant, nec Sirmondus ſcilicet ignorabat. ſic & una Diœceſis plures habuit provincias, & una viciſſim provincia multas Diœceſes quæ ex pluribus conſtabant provinciis, quod perquam ridiculum eſt, & πλατείας καγχασμοῦ? χαζαχύνη dignum. Sed jam tempus eſt, ut poſt longam velificationem velitationemque, enavigato hoc æſtuoſo altercationum freto, & difficili ac moroſa eluctata quæſtione, portum tandem petamus, & finem colophonemque iſti diſputationi imponamus. Poſtquam igitur multis probavimus ac demonſtravimus, ſpecialem R. P. Diœceſin non totum Occidentem occupaſſe, ut quæ nec totam Italiam tenuerit, & omnium quæ contra opponi

potuere argumentorum machinas molesq; disjecimus atq; evertimus, tuto jam videmur ac certo concludere poſſe, cum ex Ruffini verbis, tũ ex Vaticani illius interpretis verſione, eã intra ſolas provincias ſuburbicarias fuiſſe concluſam. Nam & Ruffinus qui in ea ſpeciali Diœceſi ſeu provincia deſignanda ſuburbicarias Eccleſias nominavit, dubium non reliquit, quin provinciarum ſuburbicariarum Eccleſias intellexerit, & hic Vaticanus qui in ejusdem rei expoſitione *ſuburbicaria loca* dixit, ut ſuburbicarias partes vel ſuburbicarias regiones eum intellexiſſe indubitanter pronunciemus, nobis eſt auctor. Hic autem cum ibidem provinciam Epiſcopi urbis Romæ nominet, & eam in ſuburbicariis locis totã conſiſtere faciat, quis ambigere poteſt, quin Romanam provinciam intelligat, quæ ab Italia provincia ſeparabatur, & ſolas regiones ſuburbicarias vel ut ipſe dicit, ſuburbicaria loca complectebatur? Hęc & Romana provincia & Romana regio dicebatur ut in veteri inſcriptione quam initio hujus Epiſtolæ poſuimus, VNIVERSA ROMANA REGIO. & in Epiſtola Ignatii ad Romanos, Ῥωμαῖον χωρίον. de Eccleſia Romana, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, id eſt, quæ conſiſtit in loco Regionis Romanorum, vel Regionis Romanæ. Eadem & urbicaria regio vel provincia. ſic enim dicitur in Cod. Theod. Urbicaria autem regio & Romana eadem, quæ urbicarias omnes regiones vel ſuburbicarias ſub ſe continebat. Eas quatuor numero in totum fuiſſe & intra centeſimum ab urbe Lapidem conſtitiſſe, & ad jurisdictionem coërcitionemque Præfecti urbis pertinuiſſe in primore hujus Epiſtolæ parte ſatis multis oſtendimus. Hujus urbicariæ ſeu Romanæ provinciæ ſuburbicariis locis comprehenſæ jam inde ab incunabulis naſcentis Eccleſiæ, ſpecialis Epiſcopus fuit, ſummus Pontifex. Quatenus autem Romæ urbis Epiſcopus & Romanæ Eccleſiæ Præſul, non aliæ præfuit provinciæ vel Diœceſi quam Romanæ, nec alias regiones ſub ſe habuit, quam ſuburbicarias. Sic enim in civilibus obtinebat, ad quarum formam etiam Eccleſiaſticæ ut plurimum fuere conſtitutæ dignitates. Nam qui præfectus urbis, idem & urbicariarum regionum fuit, & qui Rationalis rerum privatarum per urbem Romam, idem quoque fuit per urbicarias regiones. Sic unus idemque per urbem & ſuburbicarias regiones conſtitutus rei privatæ procurator. Ad ſummam ſemper cum urbe ſuburbicariæ regiones jungebantur, nec unquam ab ea disjungebantur qua ἐν κοσμικοῖς, qua ἐν ἐκκλησιαστικοῖς. Quare Romanæ urbis Epiſcopus non urbi tantum Romæ, ſed ſuburbicariis etiam provinciis jam ex antiquo & ab ipſa naſcentis Eccleſiæ origine præfuit, & hæc omnino ſpecialis ejus provincia, nec alia uſquam fuit. Hinc Niceni Concilii Patres cum de conſtituenda Alexandrini Epiſcopi Diœceſi in illo Concilio agerent tractarentque, eam ad typum & exemplar Romanæ conſtituerunt, & decreto ſuo ſanxerunt, quod in ſexto Canone ejusdem Concili.

Digitized by Google

cilii habetur, ut idem mos antiquus in Ægypto obtineret, qui Romæ obtinebat, hoc eſt ut idem juris, idemque poteſtatis haberet Alexandrinus Epiſcopus in Ægypto, Lybie, & Pentapoli, quod in ſua provincia habere ex antiquo ſolitus eſſet Urbis Romæ Epiſcopus : ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστι. quoniam hoc conſuetum eſſet Romano Epiſcopo, ἐξουσίαν ſcilicet habere omnis ſuæ provinciæ: quænam illa provincia non exprimitur verbis illius canonis. Græcis notiſſimum enim tunc temporis id erat. At Ruffinus Præsbyter Aquileienſis, in hujus Canonis expoſitione nominatim id expreſſit, & ex mente Canonis, ut Ægypti regimen Alexandrino Epiſcopo, ſic Romano ſuburbicariarum Eccleſiarum curam & adminiſtrationem adtribuit. Vaticanus vero interpres in eodem canone exponendo nuſquam Alexandrini Epiſcopi meminit aut ejus Diœceſios, cujus tamen ſolius nominatim in Græco contextu habetur mentio, ſed iiſdem verbis provinciam Epiſcopi urbis Romæ deſignat & oſtendit, quibus in Græco Alexandrina vel Ægyptiaca demonſtratur. Sic enim loquitur : *ut ſuburbicaria loca & omnem provinciam ſuam ſollicitudine gubernet.* In Græcis autem de Alexandrino Epiſcopo ſic habetur, ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει· ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Ut igitur in Græco, πάντων τούτων ἐξουσία, referri debet ad provincias quæ ibidem præceſſerunt Αἴγυπτον, Λιβύην καὶ Πεντάπολιν, ſic in Latinis, verba illa, *omnem provinciam ſuam*, referenda omnino ſunt ad *ſuburbicaria loca*, intra quæ ſcilicet ſuburbicaria loca omnis provincia urbis Romæ Epiſcopi conſiſtebat, ut Alexandrini intra illas provincias ſupra memoratas, Ægyptum, Libyen & Pentapolin: nihil clarius aut apertius verbis illis ſexti canonis Niceni, quæ tamen operire & infuſcare conantur qui per ea dolent, & iniquo animo ferunt comparationem inſtitui Romani & Alexandrini Epiſcoporum. Atqui hactenus illi tantum ibi inter ſe comparantur, ut eadem poteſtas & auctoritas in ſuam Diœceſin Epiſcopo Alexandrino concedatur, quæ antiqua conſuetudine Romanæ urbis Epiſcopo in ſuam ſibi ſpecialem erat conceſſa. Nam & eodem canone ſua etiam jura & privilegia eodem more modoque ceteris univerſæ Eccleſiæ provinciis ſervari jubentur, ut pari ſcilicet jure & poteſtate ab ſuis Epiſcopis adminiſtrarentur, qua Romanus & Alexandrinus ſuas ſibi commiſſas Eccleſias & provincias curare ſolerent & gubernare. verba canonis : ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Sed major inquiunt, & longe amplior futura fuit Alexandrini Epiſcopi quam Romani Diœceſis. Si quidem hujus omnem ἐπαρχίαν ex interpretatione Ruffini accipiamus intra ſuburbicariarum regionum cancellos fuiſſe concluſam : quid tum poſtea, an propterea major & prior Epiſcopus Alexandrinæ urbis, Epiſcopo urbis Romanæ cenſendus ? hoc illi videntur exiſtimare, ſed

Digitized by Google

fruſtra. Alexandrinum amplitudo Diœceſis quam procurabat, faciebat magnum: at Romanum longe maximum dominæ urbis dignitas cui præſidebat, & primatus Eccleſiæ Romanæ olim delatus, cum ob illam ipſam æternæ urbis dignitatem, tum ob beati Petri meritum Apoſtolorum principis, cujus ſucceſſor erat Epiſcopus urbis Romæ. Hujus principatus beneficio totum orbem ſibi, ut ſuam principis Epiſcoporum & Epiſcopi jam univerſalis Diœceſin ſubjectum ivit, & eo nomine ac titulo talem ſibi non ſolum in Italiam omnem cujus ſpecialis Primas non erat, ſed etiam in reliquas Occidentis provincias poteſtatem ſumpſit, & adrogavit, qualem ſolent habere ſinguli Primates vel Patriarchæ in ſuas ſibi addictas ſpeciales Diœceſes, & aliquanto etiam majorem, quanto ſcilicet majus imperium & auctoritas amplior ſummi Pontificis, & univerſalis Epiſcopi, quam ſpecialis Patriarchæ vel Primatis. Hanc eamdem & in Orientis quoque partes *ἐξουσίαν καὶ αὐθεντίαν* extendiſſent, niſi Græci ſe oppoſuiſſent. Non defuere tamen etiam in Occidente variis temporibus qui huic *αὐθεντίᾳ* latius, ut putabant, evaganti, & altius quam par erat ſe extollenti, reſiſtere & frenos injicere tentarent. quo ſucceſſu, res indicavit. tamen eos tentaſſe conſtat. ſaltem conqueſti ſunt, qui nihil amplius facere potuerunt. Africanæ Eccleſiæ patres non unis conciliis ſub Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi celebratis ſtatuerunt ad tranſmarina judicia non eſſe provocandum, hoc eſt, ad Romana. Africanæ Diœceſeos ſpecialem non fuiſſe Patriarcham Epiſcopum Romanum, vel inde maximum & validiſſimum duci queat argumentum, & quod ſolum ſufficere poſſit, etiam ſi alia deeſſent, confutandæ ridiculæ opinioni, quæ totius Occidentis eum olim habitum eſſe aſſerit Patriarcham. Nam ſi Patriarcha fuiſſet cum Africæ, tum reliquarum omnium Occidentis provinciarum, qua fronte, quo colore Africani illi Patres ne ex Africanis provinciis ad Romanam ſedem appellaretur ſub pœna anathematis ſancire ſuſtinuiſſent? ſemper enim indubitati & minime controverſi juris in Eccleſia fuit, ut ad Patriarcham vel Primatem uniuſcujuſque Diœceſeos, ex omni Diœceſi provocaretur, nec uſquam extra Diœceſin provocationes reciperentur. Iuxta hanc formam appellationum in veteri Eccleſia conſtanter obſervatam, decreverunt Africani Patres Concilio Milevitano anno Domini CCCCII. ſub Aurelio celebrato, & Concilio Carthaginenſi anno Domini CCCCIX. ſub eodem Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo habito, ne ab ullo intra Africam ad communionem ſuſciperetur qui ad tranſmarina, hoc eſt, ad Romanam ſedem putaſſet appellandum. Quod prohibere nullo modo poterant, ſi Africa de ſpeciali Epiſcopi Romani Diœceſi fuiſſet. Iure enim ipſo & uſu appellationum, qui tunc in Eccleſia obtinebat, ad ipſum tanquam Diœceſeos Patriarcham provocatum eſſet. Non igitur hoc ſibi appellationis jus aſſerebat Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopus urbis Romanæ, tanquam ſpeciali Africæ Patriarchæ, ſed tanquam Epiſcoporum principi, & univerſali Epiſcopo, idque obtentu Niceni cujuſdam canonis ficititii, quo omnes ex Eccleſia ubique diffuſa appellationes ſibi decerni intendebat. totam hanc Hiſtoriam videre eſt in corpore canonum Eccleſiæ Africanæ. Quinetiam in Italia ipſe principatum Apoſtolicæ ſedis negare, & αὐτοκέφαλον ſe dicere ſuſtinuit aliquando Archiepiſcopus Eccleſiæ Ravennatenſis. ſed temporibus Leonis ſecundi, *percurrente divali juſſione clementiſſimi principis reſtituta eſt Eccleſia Ravennatum ſub ordinatione ſedis Apoſtolicæ*, inquit Anaſtaſius Bibliotecharius in Leone II. ad annum Chriſti DC. LXXXIII. poſtea tamen iterum jugum excuſſerunt, & diu diuque in illa αὐτοκεφαλίᾳ quam vindicarant, permanſerunt Archiepiſcopi Ravennatenſes. quam αὐτοκεφαλίαν certum eſt non uſurpaſſe adverſus Romanæ urbis Epiſcopum, tanquam adverſus Primatem ſuum ſpecialem, ſed tanquam univerſalem, & univerſæ Eccleſiæ caput. Etenim ſi tota Italia ſpecialis aliquando Diœceſis fuiſſet Epiſcopi Romani, & omnes Italiæ Archiepiſcopos quaſi qui eorum Primas eſſet vel Patriarcha ſibi ſubjectos habuiſſet, nunquam Archiepiſcopus Ravennæ in meditullio Italiæ poſitus, Romam inter Mediolanum collocatus, Romæ etiam vicinus, & Romanam provinciam contingens, nunquam, inquam potuiſſet, nec auſus eſſet, Patriarchæ ſuo ſubjectum ſe negare, & αὐτοκεφαλίαν ſibi arrogare, præſertim cum Mediolanenſis Archiepiſcopus & Aquileienſis Præſul, ne Patriarcham eum nunc nominem, longe ab urbe Roma remotiores Patriarcham ſuum ſpecialem agnoſcerent Romanæ urbis Epiſcopum. Res enim exemplo caret, nec unquam in quacunque alia Diœceſi hoc factum vel tentatum etiam legitur, ut aliquis Metropolitanus ſummum ſe caput ſuæ Metropoleos eſſe intenderit Patriarcham autem cui tota Diœceſis pareret in qua illa Metropolis eſſet conſtituta, τοῖς πρεσβείοις ſuis fraudaverit, & adverſus eum cornua erexerit, & ſibi præeſſe debere negaverit. Cum igitur ſpecialis Ravennatenſis Eccleſiæ Primas non eſſet Epiſcopus urbis Romæ, nec Primatis jure exceptis ſuburbicariis regionibus ullam in Italia provinciam regeret, ampliſſimæ illius poteſtatis qua non ſolum totam Italiam, ſed etiam totum orbem ſummo cum imperio gubernabat, controverſiam ei aliquando facere auſus eſt Ravennatenſis Archiepiſcopus, & diu κεφαλὴν eum non agnovit, & ſic ipſe αὐτοκέφαλος factus eſt, cujus etiam αὐτοκεφαλίας Typum elicuerat *ad vitanda ſcandala ſedis Apoſtolicæ*, ut inquit Anaſtaſius in Leone ſecundo. Haud validiſſimum, inquies, hoc argumentum? nec ipſe valde validum eſſe dico, veriſſimum tamen eſt, ex his quæ ante attuli. Nam præter Romanam provinciam quæ quatuor regiones ſuburbicarias complectatur, & quæ ab Epiſcopo urbis Romæ, tanquam urbis Romæ Epiſcopo, hoc eſt ſpeciali ſuo Primate regebatur,

Digitized by Google

gebatur, cum Italiam, tum ceteras omnes Occidentis Orientiſque provincias idem rexit tanquam Princeps Epiſcoporum, Beati Petri ſucceſſor, & univerſalis Epiſcopus, haud minori cum jure & majore cum imperio quam ſuam unuſquiſque Primatum Eccleſiam conſueſſet, & provinciam. Nec enim minus in illis omnibus Provinciis & toto orbe Chriſtiano, Epiſcopos ordinandi, deponendique, concilia indicendi, judicia exercendi, jus & licentiam merito ſucceſſionis Apoſtolicæ Beati Petri Apoſtolorum coryphæi ſibi conceſſam aſſeruit, quàm in ſua Romana provincia. Sed quod hactenus de provincia Romana quatuor ſuburbicariis regionibus olim comprehenſa tam multis verbis & adeo laxa effuſaque diſputatione docuimus, fruſtrà dictum doctumque eſt, & incaſſum à nobis omnis hic labor ſumptus, niſi hoc idem ex illa ipſa Vaticana Notitia quæ Epiſcopos Romani Pontificis ſuffraganeos nulli alii Primati vel Archiepiſcopo ſubjectos continet, confirmatum eamus. Hoc ſi præſtamus, nullus poſthac dubitationi locus eſſe poterit, quin ſolæ provinciæ vel regiones ſuburbicariæ omnem olim Epiſcopi urbis Romæ provinciam ſeu Diœceſin conſtituerint, & quin illæ ipſæ ſuburbicariæ fuerint, quas fuiſſe diximus, & quas apud Ruffinum debere accipi docuimus ſuburbicariarum Eccleſiarum nomine, & apud Vaticanum interpretem ſuburbicariorum locorum appellatione. Sic ſpes eſt fore ut nobilis illa quæſtio tantopere jam ventilata & tanto ſtudio partium, & animorum contentione hactenus agitata, tandem conquieſcat, & per nos finem accipiat, ſi hoc probamus. Et verò probatu nihil facilius. Vaticana igitur illa Notitia tametſi longo poſt Ruffini ætatem intervallo, & illo tempore ſcripta ſit, quo nullæ amplius in Italia ſuburbicariæ provinciæ dicebantur, tam multa tamen, nec illa tantum adumbrata, ſed etiam expreſſa veſtigia retinet illius antiquæ Romanæ provinciæ, qualis erat ævo Ruffini, cum intra ſuburbicarias regiones tota conſiſtebat, ut rem verè æſtimanti haud aliter pronuntiare liceat, quam eamdem omnino eſſe provinciam, quæ in illa Notitia Vaticana deſcribitur, & quæ à Ruffino ſuburbicariarũ Eccleſiarum appellatione intelligitur. Cum enim in ſuperioribus oſtenderim quatuor fuiſſe provincias ſuburbicarias, quarum Eccleſiæ ſuburbicariæ Ruffino dicantur; nempe iſtas, Latinam regionem, Valeriam, Tuſciam ſuburbicariam, & Picenum ſuburbicarium: totidem numero provincias Vaticana Notitia vetus habet, & licet aliis nominibus ſcriptas & finibus latioribus circumſcriptas, tamen eaſdem, quarum provinciarum Epiſcopi ſub Romano Epiſcopo erant, & ad concilia Romana veniebant. Prima in ea Notitia memoratur Campania. Campaniam accipere debes Latinam, totam intra centeſimum milliarium incluſam, non illam Capuanam & fœlicem, cui natura noverca non fuit, ſed mater, quæ à Ponte Campano incipiebat, & extra centeſimum tota receſſerat.

Campa-

Digitized by Google

Campaniæ enim nomine Latinam omnem regionem recentiores donaverunt, quæ ab Oſtia Sinueſſam uſque pertendebat, ut ſupra docuimus. Omnes autem civitates quas illa Notitia in Campania recenſet, in Latina regione ſitas fuiſſe liquet, intra centeſimum ab urbe lapidem poſitas. Hæc igitur una fuerit de ſuburbicariis quattuor regionibus. Sequuntur in eadem Notitia, Marſi. Marſorum regionem intellige, quæ intra Valeriam provinciam ſuburbicariam tota conſiſtebat. Furcona quoque, cujus Epiſcopus ibidem primo loco memoratur, Valeriæ urbs fuit. Valeriam provinciam à via Valeria denominatam fuiſſe diximus ſupra. Valeria autem ſecundùm Strabonem à Tibure incipiens in Marſos ducebat, & Corfinium Pelignorum urbem. Sic Valeria etiam provincia Marſorum regionem intra ſe cludebat. Sed ne quid ſine teſte dicamus, teſtem etiam adducamus. Paulus Diaconus lib. II. de Geſtis Langobardorum, cap. xx. de Valeria: *Hæc habet, inquit, urbes, Tiburim, Carſilos, Reate, Furconam, & Amiternum, regionemque Marſorum, & eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marſorum quoque regionem ideo intra Valeriam æſtimo computari, quia in Catalogo provinciarum Italiæ minime ab antiquis deſcripta eſt.* Videtur autem de nomine non amplius cognita Valeria provincia eo tempore, quo Notitia illa Vaticana conſcripta eſt, ſed penitus, ut apparet, obliteratum tunc erat, & oblivioni traditum Valeriæ nomen. Verum de nomine dividia eſſe non debet, ubi de re conſtare poteſt. Hæc igitur ſecunda ſuburbicaria ſit. Ab illo itaque Italiæ latere quod ad meridiem, & mare Siculum verſus ſpectat, eoſdem, qui antiquitus conſtituti erant, terminos provincia Romana ſervabat adhuc infimis illis temporibus, quos & Ruffini ætate obſervavit, cum centeſimus lapis ab urbe, ſuburbicariarum regionum limes & finis fuit. Poſt Marſorum regionem, Tuſciam exhibet & nominat Notitia, & utramque comprehendit, ſuburbicariam & annonariam. Ruffini temporibus Romana provincia ſuburbicariam tantùm Tuſciam ſub ſe habuit, poſtea vero procedente tempore, quod omnia mutare conſuevit, ſublato diſcrimine annonariæ & ſuburbicariæ regionis, etiam in Tuſciam, annonariam fines promovit, & ſic utraque Tuſcia, vel potius integra Tuſcia Romanæ provinciæ attributa eſt, & adjuncta illa pars quæ extra centeſimum procurrebat, & annonaria dicebatur. Quod facile factu fuit, immo etiam fieri debuit. Cum nullæ enim jam amplius notæ eſſent in Italia ſuburbicariæ & annonariæ regiones, nec per iſta diſcrimina diſtingui poſſet, aut in duas partes dividi Tuſcia, non pars ejus altera, ut olim, ſed tota Romanæ provinciæ jure meritoque adſcripta eſt. Hæc tertia eſt regio ſuburbicaria provinciæ Romanæ, quæ tamen hac parte, non in iiſdem, quibus olim, manſit finibus, ſed altera Tuſcia, quæ olim ſuburbicaria non erat, ob eam quam dixi rationem adjuncta & ampliata eſt. Poſt Tuſciam, in eadem Notitia

Digitized by Google

ſequitur Umbria & Marchia. Ex hoc vocabulo Marchiæ facile colligitur non admodum vetuſtam eſſe Vaticanam illam Notitiam. Cum Langobardis enim aliiſque barbaris invectum in Italiam iſtud verbum, quod frequens eſt in vetuſtis legibus Langobardorum, & aliarum barbararum gentium. *Marchia* vel *Marcha* apud illos limitem ſonabat: hinc *Marchiones* limitum duces. Marchia igitur pro regione. inde Marchia, & Marchia Anconitana & aliæ quædam in Italia Marchiæ, ſub Langobardis natæ notæque. Marchiæ autem nomine vetus illa Vaticana Notitia utrumque Picenum ſuburbicarium annonariumque complectitur. Sub ea enim Marchia ibidem omnes fere recenſentur civitates provinciæ Piceni. At Umbria nulla etiam quondam inter ſuburbicarias regiones. nam ab illa Italiæ parte ſtatim poſt Tuſciam ſuburbicariam, intra centeſimum ſequebatur Picenum ſuburbicarium, cui conjunctum Picenum annonarium, ſed extra centeſimum; vicina etiam Umbria, ſed hæc quoque extra centeſimum. Cum igitur ætate Ruffini provincia Romana non ultra Picenum ſuburbicarium pateret, poſtea & in Picenum annonarium, & vicinam Umbriam limites ſuos extendit. poſtquam ſcilicet hæ duæ provinciæ Picenum ſuburbicarium, Picenum annonarium, in unam provinciam ſunt redactæ, quæ Marchia dicta eſt, barbaro illo ſæculo & Langobardico regno, cujus temporibus Notitiam illam conſcriptam fuiſſe nullus dubito. Tunc enim nullum amplius ſuburbicariarum regionum, quod ad nomen ipſum attinet, veſtigium uſquam extabat, ſed nec provinciæ Piceni. Nam utrumque Picenum tunc temporis ſub Marchiæ nomine comprehendebatur. quod ex illa Notitia, etiamſi aliunde non poſſemus, certò colligeremus. Atque hæc quarta ſuburbicaria eſt. Sic latentes in illa Notitia quattuor ſuburbicarias eruimus & in apertum produximus. Iam ſatis igitur conſtat, ſatis certum eſt, ſatis denique comprobatum, quattuor numero fuiſſe ſuburbicarias, & intra has omnem Romanæ urbis Epiſcopi conſtitiſſe provinciam, jam olim ab initio fundatæ Romanæ Eccleſiæ ad tempora uſque Ruffini, quibus poſtea recentiore ſeculo tres adjectæ; non ut alia foret Romana provincia fecerunt, ſed ut fines ampliores & latiores haberet, retento tamen eodem numero provinciarum. Tuſcia enim annonaria ſuburbicariæ adjuncta, & pro una provincia numerata eſt. Sic Picenum annonarium ſuburbicario adnexum ſub nomine Marchiæ, provinciam unam conſtituit, cui & Umbria ut vicina adjuncta eſt. Hæc fuit ſpecialis olim Epiſcopi Romani Diœceſis: Diœceſin dixi, quia ita etiam dici poteſt, & rectè ab Anonymo appellata eſt, qui malè propterea à cenſore reprehenditur. Plures enim provincias ſub ſeſe habebat illa Provincia Romana. Atqui unicam etiam aliquam provinciam Diœceſin interdum appellarunt. Sic Rhemenſis Diœceſis apud Hincmarum, Epiſt. v. *Dilectis fratribus & venerabilibus*

bilibus Epiſcopis Rhemorum Diœceſeos. Hæc habui quæ ad te ſcriberem ſuper hac de ſuburbicariis provinciis & Eccleſiis quæſtione, ac cenſura Sirmondi. in qua quæſtione explicanda ſi longior fui quam unius Epiſtolæ anguſtiæ ſinebant, non ego ſum accuſandus, ſed res ipſa in cauſa eſt, quæ paucioribus exponi & enarrari non poterat. Sed ſit Epiſtola, ſit libellus, ſit liber potius, & quicquid volueris, dum mihi apud te officii obſequiique ratio conſtet? Nam dum tibi obſequor, an Epiſtolæ leges ſequerer, parum curavi. quod ſi tibi etiam paulò acerbior in caſtigando Sirmondo fuiſſe videor, quàm modeſtiæ meæ tibi cognitæ conveniebat, primum cogitare debes, mihi cum cenſore rem fuiſſe, qui in iis quæ peccarat, non niſi cenſoriè tractari merebatur, ut quemadmodum acerbè ipſe & exertè cenſuram egiſſet, ſic viciſſim alios in ſe acerrimos cenſores, ſi quid peccaſſet, experiretur. Vale & me ama. Ex Muſéo noſtro Kal. Ianuariis cIↃ. IↃ. C. XIX.

FINIS.

ELENCHVS,

Clarorum Virorum ad quos Epiſtolæ ſuperiores ſcriptæ ſunt.

Ioh. Beverovicio. XXXVI. XL. LVI. LXXII. CXVII.

A. Colvio. LXVIII.

Iacobo Crucio. XXXV.

Ioh. Dallæo. XXV. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXII.

Iocobo Golio. LVII. LX. LXXVI. LXXVIII. LXXXII. LXXXIV.

I. Frid. Gronovio. XLIV. XLVIII. L. LI. LII. LVIII. LIX. LXV. LXIX. LXXI. LXXIII. LXXIX. LXXX. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. LXXXVIII. LXXXIX. XC. XCI. XCII. XCIII. XCIV. XCVI. XCVII. XCIX. CI. CII. CIII. CIV. CV. CVI. CVII. CVIII. CX. CXI. CXII. CXIII. CXIV. CXVI. CXVIII. CXIX. CXX. CXXII. CXXIV. CXXV.

H. Grotio. VII. XI. XIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. XXIII. XXVI. XXX. XXXI. XXXVIII. LXXV. CIX. CXV.

Chriſtoph. Iuſtello. XCV.

I. F. Peyreſkio. XXXIII. XLVI. XLIX. LXXVII. LXXXIII.

Petro Puteano. I. II. III. IV. V. VI. VIII. IX. X. XII. XLIII. XLV.

Andreæ Riveto. C.

G. Staackmanno. LIII. LIV. LV. LXIII. LXIV.

I. G. Voſſio. XIV. XIX. XXIV. XXXIV. XXXVII. XXXIX. XLI. XLII. XLV[illegible]. LXI. LXII. LXVI. LXX. LXXIV. LXXXI. XCVIII. CXXI. CXXIII.

Ioh. Walæo. LXVII.

CLAUDII SALMASII
AD
ÆGIDIUM MENAGIUM
EPISTOLA;
Super
HERODE INFANTICIDA
Viri Celeberrimi
TRAGOEDIA,
ET
CENSURA BALSACII.

Digitized by Google

CL. SALMASIUS ÆGIDIO MENAGIO SUO S.D.

PETIISTI à me ſæpiùs, Doctiſſime Menagi, tibi ut ſignificare vellem, quid ſentiam de Cenſura Balſacii tui in *Herodem infanticidam*, Tragœdiam V. Cl.; déque hujus ad eam Cenſuram Animadverſione. Utrum nimirum hic rectè ab illo reprehenſus ſit, an ille iſtum jure remorderit, & Cenſorem ſuum meritò caſtigarit. Rem quidem à te peti non magnam, nec nimiùm difficilem fateor; ſed quam ipſe negare non poſſis, invidioſam mihi futuram, ſi Perſonam Judicis ſuſcipiam inter ejuſmodi partes, quales illi duo Viri memorati ſunt. Norunt quippe omnes, eas inter me & Cl. illum V. ſimultates ab aliquot annis interceſſiſſe, quæ vix patiuntur eum pro amico haberi. Rurſùm ipſe ſcis, & multi non ignorant, ita de me ſentire ac loqui Balſacium tuum, ut pro benevolente agnoſcere debeam. Vides, cùm hæc ita ſint, duram à te mihi provinciam impoſitam, qua judicem amicum inter & inimicum ſedere me cogis. Quis niſi iniquam, ut tempora ſunt ac mores, à tali judice poſſit expectare ſententiam? Nam quis hodie tam æquus rerum arbiter atque æſtimator reperiri poteſt qui ſuſtineat in bona cauſa Adverſario favere, aut in mala velit amicum condemnare? Libentius equidem hoc in me judicium reciperem, ſi prævidere pronuntiari à me oportere, pro eo qui inimici animo adverſum me affectus eſt,

contra illum à quo me amari intelligo. Tum ſanè magnum ac memorabile nomen ferrem, famamque judicis non ante aliàs viſi, nec auditi, non dubitantis pro æmulo contra fautorem ſuum ſtare. Sed cùm in contrariam partem, in quam & ſponte voluntas inclinaret, rationes etiam ipſæ & omnia argumenta me impellant, quale judicium hominum de eo judicio futurum ſit, facilè perſpicis. Nempe ut omnes dicant me occaſionem cepiſſe, non de Quæſtione propoſita judicandi, ſed vindicandi me de inimico à quo multa mala ſim perpeſſus. Ille ipſe contra quem pronuntiaturus ſum, uno verbo Sententiam ſui Judicis refutabit, adverſarium in hac cauſa ſtetiſſe, non judicem ſediſſe, dicendo. Quod & ipſe, ut æquiorem & hìc me faciam, rectè ab eo objectari poſſe inficias ire non poſſum. Cùm talem exitum ſententiæ quam edere paro, futurum pro tua prudentia perſpicias, & mihi invidioſum nec amico noſtro utilem, etiam puto perſpicis in quas me conjicias plagas: inimicum irritavero, amico noſtro non prodero: & prætereà, quod pejus eſt, mali Judicis exiſtimationem retulero. Utrumque quidem poſſem negligere, de bonæ conſcientiæ fiducia ſecurus, & iis rationibus fretus, quæ veritatem ſententiæ meæ omnibus approbabunt: verùm eo me tempore interpellas quo à libris imparatus, & aliò avocatus, & ad iter accinctus, atque hujus itineris occaſione hanc Urbem pertranſiens, in Bataviam properabundus tendo. Sed cum amicis nihil negare didicerim, dum tibi obſequi ſtudeo, nihil tam moleſtum eſt aut arduum, quod non mihi enitendum & evincendum proponam. Utinam tamen voluiſſet Amicus ille tuus hoc argumentum retractare, cauſamque ipſe ſuam agere: quâ enim pollet eruditione & facundia, iſtud cum ſumma laude eſſet exequutus.

Ut clarius omnia, quæ ad ejus Adverſarium confutandum faciunt diſpiciantur ac diſcutiantur, Status Cauſæ ante omnia ponendus eſt, quem diſſimulare & eludere conatus eſt Herodianæ Tragœdiæ Auctor, quo cenſuram Balſacij declinaret, ipſumque ſuæ obnoxium redderet. Hæc igitur Quæſtio eſt; *An*

in

in Fabula Judaici Argumenti, rem ſuperſtitionis Græcanicæ ponere potuerit V. Cl., & an per leges Tragœdiæ hoc illi licitum fuerit. De jure quidem conſtat, non licere; nec Auctor ipſe qui reprehenſus eſt, de eo pugnat: ſed de facto agitur, an contra legem Tragicam commiſerit, tale quid admiſcendo, quod frontibus adverſis pugnaret, & Angelos ex Religione Judaica in eadem Scena inducendo cum Eumenidibus ſive Furiis, ex Græcanica ſuperſtitione. Hoc à ſe admiſſum non negat V. Cl.; ſed rectè à ſe factum defendit quibus poteſt coloribus: nam omnia involvit ut ſe evolvat, definitionibus ineptis, digreſſionibus ad rem nihil pertinentibus, & originationibus vocum ab Oriente petitis inſulſiſſimis & falſiſſimis: aquam planè obturbat, ut cameli dum bibere volunt; nam ipſe non bibit, ne fundus cum ea conſpicuus appareat. Sed ut ad lineam congrediamur, tempus eſt Cauſæ diſceptationem ingredi.

Omnes Gentes inter ſe differunt, lingua, habitu, moribus, inſtitutis, religione. Unaquæque gens poteſt lingua ſua alterius gentis res geſtas, ſive privatim, ſive publicè referre, in ſermone, in hiſtoria & in ſcena; dum in aliis decorum ſervet, hoc eſt in habitu, moribus, legibus, judiciorum formis, religionibus, & aliis rebus quæ ad ritus proprios patrioſque ſingularum gentium ſpectant. Nam vox *Ritus* hæc omnia comprehendit. Sumamus ultimum quod de ſcena diximus, nam de hoc nunc quæritur. Poteſt igitur Romanus Auctor ſuâ linguâ, hoc eſt Latinâ, in ſcena ſua Fabulam exhibere Græcanicam, ſive illa Comœdia ſit quæ privatorum vitam & actus repræſentet, ſive Tragœdia, quæ Heroum Regumque fortunas decantet: dum Græcorum hominum habitus & ritus imitetur & reddat. De habitu primùm agamus. Græcorum habitus Pallium eſt. Hinc *Fabularum palliatarum* nomen, quæ pro argumento habent Græcorum, id eſt pallio utentium hominum, vitam & geſta deſcribere, atque in Theatro exhibere ſpectandas Romanis hominibus. Si Græci quorum Perſonæ in iis Fabulis oſtenduntur, togati inducerentur, vitium eſſet maximum, & error non ferendus

dus Auctoris, Actoriſve. Nec minus ab illo peccaretur, ſi in argumenti Romani Dramate Actores introducerentur palliati non togati. Nam toga propria Romanorum veſtis. Inde *Togatarum* & *Palliatarum* diſcrimen. Nam Togatæ ſunt, ut rectè definiunt Grammatici, *quæ ſcribuntur ſecundùm habitus & ritus Togatorum*, id eſt Romanorum. Ergò & Palliatæ ſunt, quæ ſimiliter ſcribuntur *ſecundùm habitus & ritus hominum Palliatorum*, id eſt Græcorum. Quod & in aliis cuſtodiendum eſt, ut unaquæque Natio, quando Scenam ingreditur repræſentanda Spectatoribus, induta ſui moris veſtibus exhibeatur: Judæi, Judaico more veſtiti; Perſæ, Perſico; Ægyptii, ſuo. De Habitu igitur hæc prior decori obſeruatio. De Ritibus ſecunda. *Rituum* nomine Veteres intellexere mores, inſtituta, conſuetudines, leges, judiciorum formas & nomina, cerimonias Religionis, & alia quæcumque Gentem unam ab altera diſtinguunt. Fruſtrà autem obſervatur decorum in habitu, niſi etiam in ritibus teneatur. Nam & his non minus quàm veſtitu gens à gente diſſonat & diſcrepat. Si Ægyptii hominis aut Judæi cadaver in ſcena uſtulandum proponeretur, in decorum peccaretur, quia Judæi & Ægyptii cadavera cremare non ſolent; ſed integra aromatibus condire & ſervare. E contrariò qui Romani vel Græci hominis corpus in ſcena odoribus aut bitumine medicatum narraret, contra leges Theatri faceret, quæ decorum in ritibus cuſtodiendum præcipiunt. Areopagus vix locum habet in alia Græca Fabula, niſi Attica; multò minus in Romana habeat. Non hìc decorum ſervavit Plautus, cùm in Amphitryone *Treſviros* nominavit. Inter ritus qui ſervandi ſunt, & ſuis quique gentibus reddendi, præcipua eſt Religio. Nulla res eſt quæ gentes à gentibus tanto diſcrimine diſpeſcat: ne habitum quidem excipio. Nam ſæpe fit, ut aliqua gens alterius gentis veſtitum aſſumat ſuo depoſito. Nihil eſt quod facilius mutetur. Romanos penulatos pro togatis ſub Auguſto videre licuit. Ad alios etjam habitus poſteà deſciverunt, & birros acceperunt. Religio vix exuitur, & conſtantius quàm veſtis retinetur, atque obſtinatius

natius

Digitized by Google

natius defenditur. Nulla igitur notabilior differentia quâ Natio à Natione diſcernatur. Præcipuè igitur τὸ πρέπον in hoc Religionis negotio ſervari oportet, ut unaquæque Natio cum ſua Religione ſpectanda exhibeatur. Religio conſiſtit in Deorum cultu. Suo quæque gens ritu numina colit, aliæ plura, aliæ unum. Judæi in his, & aliquando ſoli. Quæ plures Deos agnoſcunt plurimæ gentes fuere, & ferè omnes, exceptâ Judæâ. Hæ quoque inter ſe diverſæ colendi modo, & Numinum genere, atque appellatione. Sed maximum diſcrimen numerus fecit, & ſingularitas, inter illas quæ unum, quæ plures Deos habuere. In genere Deorum apud eos populos quibus plures numero culti, etiam non parvum extitit diſcerniculum. Quatuor olim gentes nobiliſſimæ utriuſque diſcriminis genere diviſæ inter ſe fuerunt, Græca, Romana, Ægyptiaca, & Judæa. Græca & Romana magis inter ſe conſpirarunt; quia Romani à Græcis orti, & ſacra Deoſque ab auctoribus ſuis acceperunt. Nonnulla tamen & inter eos notata eſt differentia. Nam & Romani ab aliis quàm à Græcis, ut gens ſuperſtitioſa fuit & cultui Numinum addicta, cerimonias varias mutuata eſt; ut ab Etruſcis, & aliis vicinis populis. Multos etiam ipſa invenit ac pinxit. Ita plures Deos habuit, qui Græcis noti non fuerunt: nec omnes quos Græcia venerata eſt, colere ipſa & adorare inſtituit. Non omnes igitur Dii Græcorum in Togatis Fabulis conſiſtere debuerunt, nec omnes Romanorum in Palliatis. Quos communes inter ſe habuerunt, æquè in Togatas ac Palliatas admitti potuerunt. Qui peculiares utriuſque gentis, in alteram introduci, ab altera excludi decuit. Eadem nomina ſunt ac numina, Ζεὺς Græcis, & *Iupiter* Romanis. Nam & horum numen à Græco cum ipſo nomine. Ex compoſito quippe Ζεῦ πάτερ factus *Iupiter*. *Iuno* eadem quoque cum Ἥρα Græcorum. Sed alio nomine Aeolibus dicta Ζουὼ pro Ζανὼ. Ζανὼ autem eſt uxor τοῦ Ζανός, Jovis, qui [illegible] à Doribus dicitur; Ζᾶν ὃν Δία κικλήσκουσι. Ζὰν, Ζανὸς: inde Æolis [illegible] Ζανὸς τοῦ Ζανοῦ; Romani inde ſuum procuderunt Janum, quem cum Jove eundem eſſe ex Antiquis aſſerit Auguſtinus, [illegible] Ia-

nus : ζυγὸν, *jugum*. Ζεὺς & Ζάβυς Æolicè, *Iovis*. Nam ita etiam declinatur veteribus Romanis; hic *Jovis* hujus *Jovis*. Verum de his alibi. Tametſi autem Ceres aliud nomen ſit quàm Δημήτηρ; idem tamen numen eſt, hoc nomine apud Græcos cultum, illo apud Romanos. Nam Cereris colendæ ritus ac cerimonias à Græcis accepere Romani, ut & aliorum plurium. At in Palliata contra decorum *Iunonem Lucinam* invocari à pariente facit Terentius. Hoc officium & hanc poteſtatem apud Græcos non Juno ſortita eſt, ſed Diana. Notatque Donatus, apud Menandrum Dianam eſſe quæ invoçatur à parturiente. Junoni hoc dederunt Romani cognomento *Lucinæ*, quia in lucem fœtus producat. Habuere & *Nixos* Deos, vel *Nixios* partionis præſides, quia nituntur in pariendo puerperæ: Nititur & qui ventrem exonerat, unde *nitentis vultus* apud Suetonium, id eſt, cum labore cacantis. Infinitos habuere Deos Romani, quos Palliata repudiat, quia ſunt Romanorum proprii, & ab ipſis facti, non à Græcis accepti nec expreſſi. *Nocturnum* in his præter decorum nominavit in Amphitryone Plautus. Hujus generis ſunt *Murcia* Dea ſegnium, *Limus* curator obliquitatum, *Limentinus* qui cuſtodiam Liminis gerit, *Puta* quæ præeſt putationibus arborum, quæ præſto eſt rebus petendis *Peta*. Libens omitto obſcænitatum præſides Deos à rebus quas procurant turpiter nuncupatos *Mutunum* atque *Tutinum*, *Premam*, *Pertundam* & *Perſicam*. Innumeræ talium Numinum appellationes Romanis peculiares peti poſſunt ex Cicerone, Arnobio, Lactantio, & Auguſtino de Civitate Dei; quibus omnibus qui locum aſſignaret Poëta in Fabula Græcanici Argumenti, non officium ſuum faceret, nec decori regulam teneret. Habent & ſuos Græci Romanis non minus nomine quam cultu incognitos, quos eadem decori ſervandi norma à Fabulis Latinis & Togatis excludit. *Conſentes* Dii & Romanorum proprii, quos ab Etruſcis acceperunt, in Palliata vix nominandi: Indidem ſunt & *Novenſiles*, & alii plures. Non enim contenti, ut jam dixi, Numina ab aliis gentibus mutuari Romani, & ipſi in-

infinitos de ſuo fecerunt, vitia & virtutes conſecrando, & affectus ac varios vitæ humanæ actus partim honeſtos partim etjam turpes & obſcœnos. Deorum itaque pluralitate hæ duæ Gentes plurimum inter ſe convenerunt, Romani & Græci: etjam plurium ſimilitudine, quos communes habent, ſono diſpares, cætera eoſdem. Deorum porro genere & qualitate, quæ & ipſa plures habuit, maximè ab aliis diſtabat Ægyptiaca gens. Ut quoſdam habuere ſignificatione & re cum Græcis penè eoſdem, ut Oſirim cum Baccho, Iſidem cum Cerere, Serapidem cum Plutone, non tamen temerè in Comœdiam Græcam nomina τῆς Ἴσιδος ἀντὶ τῆς Δήμητρος, aut τοῦ Ὀσίριδος ἀντὶ τοῦ Διονύσου, aut τοῦ Σεράπιδος ἀντὶ τοῦ Πλούτωνος Græcus Poëta induxiſſet. E converſo, ſi quis ab Ægypto argumentum Fabulæ petiiſſet auctor, vix pro Oſiride Διόνυσον nominaſſet, pro Iſide Δήμητρα, & pro Serapide Πλούτωνα. Si Iſidis & Oſiridis & Serapidis Numina in Græca Comœdia vel Tragœdia locum ex decoro non inveniunt, multo minus cæpæ & allia, crocodili, & aſpides, feles & ichneumones cum ipſo Canobo, in ſcenam Græcam pro Diis & Numinibus Græcis introducti fuiſſent. A tribus his Nationibus ſupra memoratis, Græca, Romana, & Ægyptiaca, immane quantum diſcrepabat Judæa gens. Nullum eorum Numinum quæ ab illis tribus Nationibus culta ſunt, nec cognovit, nec venerata eſt. Ab omni imaginum, ſimulacrorum, & idolorum adoratione quam longiſſimè ſemper abſtitit. Unius Dei ac veri cultum tenuit, cæteris omnibus gentibus incognitum ac revera ἄγνωστον dicendum. Nam certè ἄγνωστος fuit omnibus populis terræ, præterquam ſolis Judæis. Ut è contrario omnium orbis gentium numina Judæis ἄγνωστα extitere, præter unum illum Deum quem ab ipſo edocti, ſicut is ab illis ſe coli voluit, coluerunt. Quemadmodum ergo Judæi nulla Gentium Numina admiſerunt, nulla eorum ſimulacra aut cujuſcumque rei habuerunt; ita profectò inſaniret, & contra leges decori immaniter peccaret, qui aliquid eis tribueret, quod non ſecundùm ritus Judaicos procederet. Quid autem tam alienum ab illorum Ritibus ac Religione

one fingi potuit quam Eumenides & Erinnyas, in eorum Theatrum inferre cum Angelis ſimul ſpectandas? Angeli ipſorum ſunt Ἐριννύες ſive Εὐμενίδες Græcorum. An non hoc eſt Græcorum ſuperſtitionem & εἰδωλολατρείαν, à qua longiſſimè ſemper abfuerunt Judæi, miſcere cum Religione unius Dei qui ab his colebatur? Hoc tamen commiſit V. Cl. in *Herode infanticida*. Quæ Tragœdia cum ex Judæis conſtet, & Argumentum merè Judaicum tradat, & in Scena agatur Hieroſolymitana, qua mente aut quo colore potuit Eumenides è media Græcorum ſuperſtitione arceſcere quas in hoc Drama inveheret? Ex Inferis excitantur: & Inferi illi ſunt Græcorum, non Judæorum. Nam Judæorum Inferi Furiis carent. Ipſa Mariamne uxor quondam Herodis, ab Inferis eas evocat Judaicis, immò & ſecum eas in ſcenam ducit. Ergò in iiſdem Inferis anima Mariamnæ cum Eumenidibus manebat. Quod an poſſit ex opinione Judæorum conſiſtere neſcio. Viderint eruditiores. Atque ut ſcias Inferos illos eſſe Græcorum,

-------- Styx eos ſeptemplici
Oberrat undâ, noctis infernæ Chaos.

At *Styx*, ut & *Acheron*, qui ibidem nominatur, flumina ſunt Inferorum Gentilium, atque ἑλληνικῶν, non Judaicorum. Nam ut Paradiſus Judæorum longè diverſus eſt ab Elyſiis campis Græcorum, ita Inferi iſtorum ab illorum Inferno plurimùm diſtant. Paradiſus Hebræorum nullam habet myrteam ſylvam, ut habuere Elyſii Græcorum campi, ſub cujus umbra amantes juncti, prioris vitæ qualem apud ſuperos egerant ludos & amœnitates deliciaſque exercebant. Nihil tale in ſinu Abrahami, nec in Paradiſo Hebraico celebrabatur. In Græco Argumento Paradiſum aut ſinum Abrahami nominare, aut pro campis Elyſiis commemorare, ſumma ut puto decori eſſet negligentia. An minus foret ſi in Argumento Judaico, Elyſii campi & myſtica amantium ſylva recenſerentur? An de Inferis aliquid ſecùs erit? certè Inferi Judaici ab Inferis Græcorum non minus differunt, quam hortus Elyſius ab illorum Paradiſo diſtat. Pœnæ etiam

Digitized by Google

etiam multùm diverſæ, quibus nocentes in his & in illis torquentur & cruciantur. Græcorum Orcus habet etiam ſua Numina, quæ in ſubterranea illa loca imperium ſortitò acceperunt, ſecundùm Gentium fabulas Plutonem & Proſerpinam, & cum his Erinnyes, quæ Deæ habitæ ſunt & ipſæ, nec minima pars fuere illius imperii Plutonici & Manium habitaculi. Nam & ſontes animas ibi ſerpentibus & tortore flagello puniunt, & inde ſæpè evocatæ exeunt ad furiandos qui apud Superos adhuc morantur, criminum variorum ſibi conſcios, ut in hac Tragœdia faciunt, & in multis olim fecerunt quæ ſcriptæ ſunt à Poëtis gentilibus Argumentum gentile tractantibus. Qui Eumenidas in Hebraicam Scenam introduxit, potuit & Plutonem, & Proſerpinam, Cerberumque, & Charontem, Æacum, Minoëm & Rhadamanthum, totumque Orcini theſauri Choragium ſimul in eandem Scenam introducere. Non enim video cur magis ab illis Inferis Minos & Æacus Judices reorum abeſſe queant, quam Furiæ ſcelerum ibidem vindices. Si deitates iſtæ ibi ſunt inferiores, cur ſupèriores adeſſe non poſſunt, quæ Regno Infernali præſunt, Pluto cum Proſerpina conjuge? Eumenides certè eorum filiæ creditæ. Eòdem addantur & Hecate triformis, & umbræ pallentes Erebi, & omnis Manium populus inanis, qui ſicut umbræ volitant, uno Tireſia excepto, qui ſolus inter umbras ſapit. Sanè & Mariamne Herodis, una illarum umbrarum ad Superos cum Furiis redit, ut Herodem maritum dementet. Quæ omnia an ſapiant Judaicam de Inferis opinionem, ut redolent Græcanicam credulitatem, viderint qui doctiores videri volunt. Alia etiam ratione ducti videre poſſumus an conveniant Græcæ Eumenides cum Judaici Dramatis argumento & inſtrumento. Angelus ibi προλογίζει, & primum Actum inchoat. Poteſt & Angelus in Dramate Palliato Prologum proloqui? Quidni? Si Eumenides quæ Græcæ ſunt, Perſonæ ſunt Iudaici Dramatis; an non & Angelus qui Hebræus eſt, poſſit eſſe Perſona Græcanicæ Fabulæ? Si hæc duo junguntur in eodem Dramate Hebraico, poſſunt etiam rectè & ex decoro in uno Dramate

Græcanico ſuas partes agere. Quid diceret V. Cl. ſi apud Auctorem aliquem novitium in Fabula Græca Angelum, qualem Hebræi, & ab Hebræis Chriſtiani credunt, προλογίζοντα videret, aut in alio Actu prodeuntem? Sanè rideret, aut exſibilaret. Cur nos eum non explodimus, cum Tiſiphonem comitatam ſuis ſororibus, ab Inferis Judæorum evocat & excitat, ut Herodem Judæorum Tetrarchàm ad inſaniam adigat? Sanè ἄγγελος in Græcis Dramatibus ſæpè occurrit; ſed non Angelus eſt Judaicus, cum miniſter ſit & nuncius ex mortali ſtirpe, qui Dominis ſuis, aut his quorum intereſt, quod vidit enarrat. Poteſt, ſi credimus Viro Clariſſ., & *Iris* ſi fortè Græcorum, quæ Deorum Dearumque interpres ac nuncia habetur, in Tragœdiam Hebraicam è cœlo Gentilium demitti. Ratio eſt, quia *Iris* ἄγγελος intelligitur, qua voce & Græci utuntur. Præterea Hebræis עיר *Ir* eſt Angelus aut cuſtos, & indè ἶρις. Poſtremò Joannes in Apocalypſi ἴριδος nominatim meminit: καὶ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. Atqui ἶρις, ô bone, non cœli internunciam, nec Deam ibi ſignificat, ſed pro arcu cœleſti ponitur. At, inquis, poterat *arcum* dixiſſe. Quomodo arcum? Quaſi ἶρις Græcis etiam qui pedeſtri ſermone ſcripſerunt, etiam Philoſophis qui de ejus natura tractant, aliud ſit quàm arcus? Non ſanè alio nomine utuntur ad eam ſpeciem μετεώρου deſignandam. Græci recentiores etiam τόξον appellarunt à forma; ſed non veteres, nec melioris ævi Auctores, quibus paſſim ἶρις appellatur. Hos imitatur Auctor Apocalypſeos, quia non aliter ejus ævo homines Græci loquebantur. Enimverò, aut ego valdè fallor, aut hæc mirum in modum abſurda ſunt. Catholicâ Regulâ quod ſcripſit ita excuſare conatur: *Tragicum, cum ſcribit, aut accipere aut fingere Perſonas.* Certè hoc verum, ſed nec illud minus, ſive accipiat, ſive fingat, ſecundùm ritus gentis cujus Fabula eſt, debere accipi aut fingi. At in Herode non ficta, ſed accepta à Tragico Perſona Tiſiphones & ſororum ejus. Unde accepit? à Græcis, ut Judaici Dramatis eſſet Perſona. Talis igitur accepta qualis habetur apud Græcos & creditur, ac vulgo in Scenam apud illos produci

duci ſolita eſt. Nemo autem ignorat apud Græcos Poëtas, Tiſiphonem cum ſuis ſororibus in numero ac cenſu Dearum haberi. Tales ergò & in Scenam productæ ſunt ab Auctore *Herodis Infanticidæ*. Et Deas credi porrò neceſſe eſt, quæ immortales, quæ Inferorum incolæ, quæ ſcelerum vindices cenſentur, quæ poteſtatem habent hominum dementandorum, quæ facibus armatæ & anguibus veniunt, quæ umbras ſecùm ducunt, & vultus ſepulcro erutos Herodi ſpectandos objiciunt. Hæc omnia apud illum Furiæ illæ faciunt, quæ non poſſent abſque poteſtate qualis Diis Gentilium toties tribuitur: Affectus hoc non præſtant. Præterea affectus intra nos ſunt, & ex nobis: Furiæ illæ extrinſecùs veniunt ab Inferis excitatæ, ubi ſedes habere putantur. Perſonarum inſtar in Tragœdia accipiunt, ambulant, loquuntur, quod ſui muneris eſt agunt, ubi peregere, ut aliæ Perſonæ recedunt. Cæterùm V. Cl. tùm ſe præclarè putat defendiſſe quod peccavit Eumenides Gentilitatis Deas in Scenam Judaicam introducendo, ſi definiat *Furias*, *animum ex conſcientia commiſſi ſceleris afflictum & turbatum. Vnde*, inquit, *& divinitùs à Græcis Furia* ἐριννύς, *mens turbata aut diſtracta hic affectus eleganter dictus*. Haud ſcio quam divinitùs à Græcis nomen ἐριννὺς ſit impoſitum; ſed illud teneo, nuſquam à Græcis ἐριννύα pro animo turbato & afflicto uſurpari. Ἐριννύες quippe illis ſunt quæ animos terrificant ac turbant, non animum turbatum ſignificant Ne animus quidem turbatus idem videri poteſt, cum illo affectu de quo intelligit. Effectus potius eſt illius affectûs. Ira affectus eſt; irâ conturbatus animus illius iræ effectus. Atque ita de cæteris. At ἐριννὺ, ne affectus quidem eſt, ut à Poëtis accipitur cum Perſonam in Tragico Dramate facit; ſed vis major ac divina, quæ affectum illum concitat atque animum turbat. Hinc μανία illa ſive turbatio mentis quam Ἐριννύες injecere, ἀνήλεπτον πάθος in Oreſte Euripidis dicitur. Ergò Ἐριννύες θεαὶ quæ illud πάθος animo Oreſtis objecerunt. Furias quales introduxit, animum turbatum iſte definivit. Videamus an hæc Definitio quadret in rem ipſam, qualis ab ipſo propoſita eſt.

 An

An Tiſiphone qualis ab eo inducitur ſororibus ſuis comitata, hoc eſt Megæra & Alecto, in ſcenam prodiens, ut oſtendat Herodi ſpectra eorum quos occiderat, pro animo turbato poſſit intelligi. Tres ergo animi turbati ſimul in ſcenam veniunt. Nam tres ſorores ibidem Furiæ producuntur, Tiſiphone, Megæra, Alecto; ſic totidem animi turbati cenſendi. Atqui unus tantum erat turbandus, Herodis. Et Furiæ illæ ſunt quæ illum turbandum ſuſcipiunt. Non ergò idem animus turbatus, cum Furia quæ illum turbat. Alioquin cauſa cum effectu unam & eandem rem conſtituere viderentur. Quinimmò Tiſiphone ſororibus ſuis quod agant aſſignat, poſtquam ſibi ſuum ſumpſit opus. Megæræ dat ut ducat umbras ab Inferis excitatas; Alectoni ut temperet erutos vultus ſepulcro Herodi pro ſpectris intentandos; ipſa verò ſui muneris eſſe vult, facibus ora Herodis ſpargere, & hydris ſibilantibus mentem attonito excutere. An hæc Definitioni quæ ſuperiùs allata eſt conveniant, velim me doceri: nec enim diſpicio quomodo quæ turbant & qui turbatur, idem videri queant. Erinnyes turbant, animus Herodis turbatur. Nec ergò *Erynnis* aut *Furia* definiri poteſt *animus turbatus*. Adjiciunt in Definitione, *ex conſcientia ſceleris commiſſi*. Conſcientia interna eſt; Furia autem illa quæ Herodis animum turbare inducitur, externa, & extrinſecus adveniens, inſtructa etiam terriculamentis externis ad turbandam mentem idoneis, ut facibus & ſerpentibus. Enimverò qui nomina gentilium ἀλληγορίζειν voluere, nihil aliud eſſe Furias ab illis confictas dixere præter tres affectus qui in omnia facinora præcipites agunt homines, iram, cupiditatem, ac libidinem. Quæ ſententia Lactantii eſt, diverſa utique ab illorum opinione qui Furias illas intrà nos ipſos collocant, ſcelerum quas commiſerimus vindices, & conſcientiæ carnifices. Hi ſunt nimirum qui ajunt, *ſuam quemque fraudem, ſuum ſcelus, ſuum facinus, ſuam audaciam de ſua ſanitate ac mente deturbare, & has eſſe impiorum furias ac faces*. Et reverà intùs ſunt, & in conſcientia ipſa ex ſceleris commiſſi memoria quæ ſemper animo occurſat, faces illæ

illæ & hydri ultricium Dearum. Et rectè fateor à Philoſophis melioribus ac Chriſtianis hujuſmodi gentium falſas divinitates ita explicari. Sed hæc nihil ad rem de qua nunc agimus. Hi enim non ſolum Furias, ſed alia omnia Gentilitatis Numina divinitate ſua exuerunt, per veras allegorias & interpretationes ad veram cauſam & originem principiumque ſuum ea revocando. Ita Cicero negavit Deos Deaſve eſſe, Spem, Concordiam, Honorem, Mentem, Fidem, Virtutem, Salutem, & alia hujuſmodi quibus aras & ſimulacra Romani tanquam Diis ſtatuebant: Amor etiam affectus eſt, cum matre ſua libidinis præſide Venere, allegoricè ſumptus. Si quis Deum faceret, ut Antiquitas credidit, & cum Venere genitrice induceret in Theatrum Judaicum, ut Eumenides introductæ ſunt à V. Cl., idololatriæ notam Hebræis adſpergeret & contra decorum peccaret. Venus ex Conſentibus Diis fuit, ac præcipuis qui duodenum numerum conſtituebant. Hæc tamen non magis Dea cenſita eſt ab illis qui divinitatem omnem abrogant Diis Gentilium, quàm natus ejus Amor Deus eſt. Fruſtrà ergò Tragicus noſter, ut Eumenidas Deas non fuiſſe nobis probet, Theologiam dividit in Conſentes Deos, & cæteros quorum numerus iniri non poterat. Vult ergò ex eo ſolos Conſentes Deos pro genuinis habitos ac veris; reliquos omnes tantum νοητοὺς fuiſſe, qui in animo tantùm conſiſterent. Inter hos ergò conſtitiſſe in animo ſolo cenſet Eumenidas, & proinde non pro Deabus habitas. Nec ergò ſe peccaſſe, nec idololatras Judæos exhibuiſſe, Inferis eorum Eumenidas inſerendo. Quaſi verò ſi ad obruſſam veritatis res exigatur, magis germani Dii fuerint Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo, qui Dii omnes Conſentes ſunt; quàm reliqui omnes qui in eo cenſu ac numero non reponuntur? Non latet doctos, quomodo Antiqui etiam Gentilium, ne Chriſtianos dicam, omnes iſtos Conſentes per allegoriarum ſaccum tranſmiſerint, & eliquatos omni divinitate ſpoliarint. Ignem, aërem, terram, bellum, ſcientiam, libidinem, lucrum, poteſtatem, mu-

Digitized by Google

muſicam, fruges, venationem interpretando nomina illa Deorum qui pro numinibus culti fuerunt. Videtur tamen innuere noſter Tragicus, ſolos illos Deos qui *Conſentes* vocabantur, in veritate extitiſſe, reliquos ab illo numero excluſos tantùm νοητοὺ fuiſſe, & in ſolo animo conſtitiſſe, extrà hunc ne quidem extitiſſe. Video jam quò tendat, & ad quem ſcopum arcum dirigat. Ab illis νοητοῖ Diis, quos in animo conſiſtere ait, νοητὰ πρόσωπα in Scenam deducit. Ab illis igitur omnibus Diis νοητοῖ totidem in Scena πρόσωπα νοητὰ fieri poſſe exiſtimat, quæ ſine crimine idololatriæ tàm in Judaico quàm in Chriſtiano Dramate partes ſuas agere, perſonam ſuſtinere, & locum tueri poſſint. Eumenides ergò quæ in *Conſentium* Deorum numero non fuerunt, in cenſum referendæ ſunt τῶν νοητῶν θεῶν, ac proinde cum decoro venire poſſunt in Theatrum Judaicum ſine ſuſpicione vel crimine Gentilis idololatriæ, immò vel Chriſtianum. Hanc illi mentem fuiſſe cum illa ſcriberet, ſi quid mentis habeo, facilè video. Quæ tamen ridicula ſunt, & abſurda. Primùm *Conſentes* illi Dii ab Etruſcis, nec nomen eorum Græcis cognitum fuit. Totidem tamen Deos majorum gentium agnovere Græci quot habentur in numero ac cenſu *Conſentium* apud Romanos & Etruſcos. Sed Dii illi majorum gentium non minus in animo conſiſtebant, quam illi minutuli ac patellarii Dii quos νοητοὺς nominat, & extra animum ſubſtitiſſe negat. An, quæſo te, extra animum uſpiam fuere, & conſtitere quos à numero Conſentium ſegregat? *Quippe*, inquit, *quæ in animo conſiſtunt, extra hunc ne ſunt quidem: ideòque multò minus Dii ſunt: Dii enim ex opinione eorum ſunt à quibus coluntur*. Hæc non minus in Conſentes Deos conveniunt, quàm in eos qui Conſentes non ſunt. Et tamen de ſolis qui non continentur Conſentium appellatione, ſed νοητοὶ vocantur, ea uſurpat. At quis neſcit omnes Deos falſos qui à gentibus culti ſunt, ex opinione colentium eſſe? Quod ſolos νοητοὺς in animo ait conſiſtere, hoc etiam falſum. Nam & Deus unus & verus Judæorum, qui exiſtit, etiam in animo conſiſtit. De νοητοῖς ſuis, qui eos nobis tradidere Philoſophi

Digitized by Google

phi Platonici, non minus & eorum exiſtentiam prædicant quam Conſentium, ſed ſola mente & animo comprehendi & intelligi eos poſſe perhibent. Et ſic accipiendam planè liquet appellationem τῶν νοητῶν θεῶν. Non quod in animo conſiſtant ſolo, extrà hunc autem nihil ſint; ſed quod cum reverà exiſtant, intellectu ſolo percipiantur non ſenſibus. Atque hac planè ratione νοητοὶ θεοὶ diſtinguuntur ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν; Dii qui intellectu percipiuntur, à ſenſibilibus ſive viſibilibus qui etiam ſenſuum ope cognoſcuntur. Ineptam porrò & ridiculam inſtituit Theologiæ diviſionem V. Cl. in Conſentes & νοητοὺς, ex Græca nempe ac Latina Theologia mixtam. Quod haud minus inſcitè ab illo factum, quàm cum Angelum Judæorum & Tiſiphonem Græcorum in eodem Dramate compoſuit. Conſentes Dii à Romanis & Etruſcis; νοητοὶ à Platonicis proditi. Si νοητοὶ opponuntur Conſentibus, oportet Conſentes fuiſſe αἰσθητοὺς. Nam hanc diviſionem prorſus agnoſcit Theologia Græca, τῶν αἰσθητῶν θεῶν, & τῶν νοητῶν. Et ſanè in omnibus fermè rebus τὰ αἰσθητὰ, & νοητὰ opponi ſolent; quod ſenſibus comprehenditur, & quod intellectu ſolo capitur. Quis verò illum docuit Conſentes Deos fuiſſe αἰσθητοὺς? Ita neceſſe eſt fuiſſe ut rectè opponantur τοῖς νοητοῖς. Ecce autem Philoſophus Platonicus, qui in libello de Deo Socratis, Deos Conſentes νοητοὺς facit. *Conſentes* quidem non nominat, ſed duobus iiſdem verſibus eorum nomina complectitur numinum quæ pro νοητοῖς nobis tradit Apulejus, quos ad deſignandos *Conſentes* attulit V. Cl. Apuleii hæc verba ſunt, quibus Deorum cenſum in viſibiles, hi ſunt Græcorum αἰσθητοὶ, & intelligibiles, qui ſunt νοητοὶ, dividit: *Nam proinde ut majeſtas poſtulabat, Diis immortalibus cælum dicavit, quos quidem Deos cælites partim viſu uſurpamus, partim intellectu veſtigamus.* Explicat deinde qui ſint viſibiles ſive αἰσθητοὶ Dii. Cœli ſidera nominat, Solem, Lunam, cæteroſquo planetas & totam aſtricam paraturam, ut duodecim ſigna & alia: *In eodem*, inquit, *viſibilium Deorum numero, cætera quoque ſidera, qui cum Platone ſentis, locato: Arcturum, Geminos, Leonem, alioſque itidem radi-*

diantes Deos, quibus cœlum comptum & coronatum ſuda tempeſtate viſimus: pictis noctibus ſevera gratia, torvo decore: ſuſpicientes in hoc perfectiſſimo mundi, ut ait Ennius, clypeo miris fulgoribus variata cælamina. Hæc de viſibilibus ſive αἰσθητοῖς θεοῖς ex Platonis ſententia. Mox addit de νοητοῖς qui ſolo intellectu concipiuntur, non etiam videntur: *Eſt aliud genus Deorum quod natura viſibus noſtris denegavit, nec non tamen intellectu eos rimabundi contemplamur, acie mentis acriùs contemplantes, quorum in numero ſunt illi duodecim numero, ſitu nominum in duos verſus ab Ennio coarctati:*

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo,

cæterique id genus, quorum nomina quidem ſunt noſtris auribus jamdiu cognita, potentiæ vero animis conjectatæ, per varias utilitates in vita agenda animadverſæ in iis rebus quas eorum ſinguli curant. Duodecim Dii ab Ennio in duos verſus coarctati, illi ipſi ſunt quos V. Cl. Conſentium Deorum nomine nobis exhibuit, quoſque αἰσθητῶν Deorum claſſi adſcribit. Certè opponit τοῖς νοητοῖς, à quibus eos diverſos facit, cum hos ipſos Apulejus Platonicus numero τῶν νοητῶν adgregavit, ut & cæteros quorum nomina auribus cognita ſunt, potentiæ vero animis conjectantur, per varias utilitates animadverſæ quas ſocietati humanæ commodarunt, inventis rebus ad vitam agendam neceſſariis. In his ergò & Bacchus eſt vitis repertor, nomine noto, numine incognito: ſed ob beneficium rei ab illo inventæ & hominum uſibus traditæ, intellecto. Item Æſculapius Medicinæ inventor. Quoſcumque alios præterea Deos propter hanc eandem rationem cœlo donavit pagana Antiquitas, prorſum liquet, eos νοητῶν cœtui eſſe adnumerandos. Qui apud Poëtam dicit,

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro,

dextram ſuam telumque pro Diis habet, & quidem viſibilibus, quos tamen ex Definitione Viri Clariſſ. νοητοὺς licet exiſtimare: ſiquidem tales explicat qui in animo conſiſtunt, extra animum nihil

Digitized by Google

nihil ſunt, & ex opinione eorum qui eos credunt, ſunt id quod ſunt. Certè ille Mezentius nullos alios Deos eſſe putabat, nullos colebat præter dextram ſuam, & telum quod vibrabat. Hic αἰσθητὸς illi θεὸς ſimul & νοητὸς: quod eſt ridiculum. Nec enim ea fuit Gentium de Diis ſuis opinio, ut crederent in animo ſolo colentium eos conſiſtere, extra animum nihil eſſe. Eos quidem verè exiſtere exiſtimabant, ſed ſolo mentis intellectu concipi percipique; eos ſaltem quos à viſibilium numero ſecludebant, ſic dictorum quod etiam poterant viſu uſurpari. Addit V. Cl. *Quemadmodum unus veruſque ut revera eſt, quod quattuor in lingua ſacra litteræ deſignant, ita non minus ubique eſt, quàm creditur.* Hoc differre ait verum & unum Deum Judæorum à Diis gentium νοητοῖς, quod illi in animo tantùm & opinione credentium conſiſterent, extra animum colentis nuſquam eſſent. Et hæc quidem vera; ſed, ut nos rectè ſentimus, aliter opinati ſunt veteres Philoſophi, qui νοητοὺς θεοὺς tradiderunt. Non minus quippe eos extra animum eſſe crediderunt quam in animo. Sed νοητοὺς appellarunt, ut Apulejus ſcribit, quod ſola mente eorum numen comprehenderetur, potentia verò intelligeretur ex iis rebus quas humanis uſibus neceſſarias inveniſſent ac prodidiſſent. Sed in illis duodecim Diis quos duobus verſibus Ennius complexus fuerat, & quos Conſentes V. Cl. appellat, & intelligibilibus Diis opponit, νοητοὺς verò facit Apulejus, ſeptem erant qui debent accenſeri numero viſibilium Deorum, ſi pro Planetis, ut par eſt eos accipi, intelligantur. Nam Saturnus, Juppiter, Mars, Sol vel Apollo, Mercurius, Venus, & Diana ſive Luna, inter αἰσθητοὺς θεοὺς recenſentur, cum ſidera ſunt, quia videntur; extra viſibilium numerum in cenſum intelligibilium rediguntur, cum ſpectantur ut Dii nihil commune cum Planetis habentes, ſed per ſe ſuopte numine ſubſiſtentes, quales finxit gentilitas. Qua in parte diverſa eſt Theologia Philoſophorum, ab ea opinione quam de Diis ſuis habuit vita communis. Duodecim illi Dii Enniano, Diſticho incluſi, νοητοὶ ſunt ſecundùm Gentium credulitatem, αἰσθητοὶ verò magnam par-

tem ſunt ac viſibiles juxta Platonicos, immò omnes quos & ἐγκοσμίων nomine donarunt, ac per ſphæras ſuas viſundos & cognoſcendos dederunt. Septem quidem ex his qui Planetæ ἀπλανῆ sunt, in ſphæris propriis ſinguli fixi inerrabant: reliqui tamen haud minus ſuas ſphæras habere crediti, per quas & noſcitabantur. Salluſtius cap. VI. καὶ τούτων δὲ σφαίρας ἐστὶν ἰδεῖν, Ἑστίας μὲν γῆν, Ποσειδῶνος δὲ ὕδωρ, Ἥρας ἀέρα, Ἡφαίστου δὲ πῦρ. Saturnum autem inter illos duodecim non numerarunt, quia ſphæram ejus Cereri dederunt. Nec ſanè in Diſticho Enniano locum habet Saturnus, nec inter ἐγκοσμίους Deos Platonicorum adſcribitur. Minervam autem pro æthere interpretantur, & Cererem, ut dixi, in orbe Saturni collocant. Idem Salluſtius ſphæram duodecim illorum Deorum in ſuperiores & inferiores dividit. Sex ſuperiores ponit Jovis, Martis, Apollinis, Mercurii, Veneris, Dianæ quibus adnumeranda Saturni, quæ communis eſt & Cereris item æther, qui Minervæ adſignatur. Reliquæ quattuor inferiores ab eo cenſentur; Terra Veſtæ, Aqua Neptuni, Ignis Vulcani, Aër Junonis καὶ σφαίρας δὲ, inquit, τούτων ἐστὶν ἰδεῖν Ἑστίας μὲν γῆν, Ποσειδῶνος δὲ ὕδωρ, Ἥρας ἀέρα, Ἡφαίστου δὲ πῦρ. ἓξ δὲ τὰς ἀνωτέρας ὧν ἔθος νομίζειν θεῶν. Hæ decem ſphæræ ſunt, reſtant duæ Saturni & Ætheris; hanc occupabat Minerva, illam Ceres. Idem Salluſtius: Ἀπόλλωνα γὰρ καὶ Ἄρτεμιν ἀντὶ ἡλίου καὶ σελήνης ληπτέον. τὴν Κρόνου δὲ Δήμητρι δοτέον, τὸν Ἀθηνᾶ τὸν αἰθέρα. ὁ δὲ οὐρανὸς πάντων κοινός. αἱ μὲν οὖν τάξεις καὶ δυνάμεις, καὶ σφαῖραι τῶν δώδεκα θεῶν οὕτως εἴρηνται τε καὶ ὑμνείσθω. *Sphæras quoque eorum viſibus licet uſurpare, Veſtæ terram, Neptuni aquam, Junonis aërem, Vulcani ignem: ſex autem ſuperiores illorum Deorum quibus de more aſſignantur; quandoquidem Apollinem & Dianam pro Sole & Luna accipi par eſt. At Saturni ſphæra Cereri adjudicanda eſt, Ætheris Minervæ. Cælum verò in commune omnibus datur. Ordines igitur ac potentiæ, ſphæraque duodecim Deorum hoc modo explicantur, & decantantur.* Hac ratione expoſita duodecim illorum Deorum nomina quæ pro intelligibilibus Apulejus nobis tradidit, in viſibilium claſſem erunt reducenda. Et ſanè ita αἰσθητοὺς illos Deos Platonica ſenten-

ſententia exiſtimaſſe videtur, ut planè ἀπὸ τῶν νοητῶν eos diſtinxerit. Divinitatis quippe cenſum univerſum Philoſophi illi diviſere in νοητοὺς, νοεροὺς, ὑπερκοσμίους, & ἐγκοσμίους, *in intelligibiles, intellectuales, extramundanos, & intramundanos.* Intramundani autem illis ſunt, duodecim ſupra memorati, quos cum ἀπὸ τῶν νοητῶν ſegregent, palàm eſt in numero τῶν αἰσθητῶν ab iis cenſeri. Aliter igitur de his ſenſit opinio communis, aliter philoſophica ratio. Juxta ſuperſtitionem Gentium vulgarem, duodecim illi Dii νοητοὶ erant; ſecundùm Philoſophorum ſcita, ut eos interpretabantur ſidera eſſe ſuis orbibus ſive globis affixa, quæ oculis liceret contueri, planè viſibiles habebantur. Exceptis ſideribus quæ & pro Diis habuit Antiquitas, cæteri omnes Dii gentibus crediti cultique νοητοὶ fuere. Ergò & inter νοητοὺς computandi duodecim Conſentes, quià pro ſideribus non habiti ſunt vulgo. Ovidius:

Mente Deos adiit, & quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Hæc notionem τῶν νοητῶν θεῶν ità exprimunt, ut nihil melius. Et omnes ferè Gentium Dii νοητοὶ, quia non viſibiles, ſed intellectu & mente adeundi. Sic qui Solem, ſicut in clypeo ſuo cernitur, coluerunt, rectè viſibilem illum Deum eos coluiſſe conſtat. Idem de cæteris ſideribus dici poteſt, qui Aſtronomorũ propriè Dii ſunt, ſolis aſtrorum peritis rectè noſcendi, ut Theo Smyrnæus ex Platone autumat. Nihil melius nempe Pietate, & Religione Humano Generi, nec ullam virtutem eſſe majorem. Ab hac quippe cæteras omnes deſcendere. Aſtronomiam itàq; primam eſſe ediſcendam, quæ Deorum viſibilium cognitionem inſinuat, id eſt Aſtrorũ; λέγει γὰρ δεῖν μαθεῖν πρῶτον ἀστρονομίαν· εἰ γὰρ τὸ καταψεύδεσθαι καὶ ἀνθρώπων δεινὸν, πολὺ δεινότερον θεῶν. καταψεύδοιτο δ' ἂν ὁ ψευδεῖς ἔχων δόξας περὶ θεῶν, ὁ μὴ διειληφὼς τὴν τῶν αἰσθητῶν θεῶν φύσιν ἐπεσκεμμένος. *Dicit autem ante omnia Aſtronomiã eſſe addiſcendam. Nam ſi de hominibus mentiri grave eſt, multò magis de Diis. At de iis maxime ille mentitur, qui falſas de his opiniones concipiat, qui nec viſibilium Deorum naturam contemplatus fuerit.* Ità ſanè Philoſophi qui rerum naturam humanarum divinarumque rimari ſatagentes, de ſola

veritate inveſtiganda laborarunt. At Religio vulgi alia, cui nulli fermè Dii αἰσθητοὶ, omnes νοητοί. Qui Poëtas autem examinant, & in eorum ſcriptis verſantur, Numina quorum illi mentionem faciunt, ex vulgi opinione ac ſuperſtitione æſtimare debent: nam Poëtæ vulgus ſequuntur; præcipuè Comici Tragicique, qui res vitæ ſicut geri ſolent, aut geſtæ ſunt, in ſcena proponunt, & populo ſpectandas exhibent. Rem igitur ſummoperè indecoram admiſit V.Cl. qui à Poëtis & vulgo, ad ſententias Philoſophorum Platonicorum nos revocat; ut ex eorum præceptis vulgi Religionem metiamur. Atqui aliud Philoſophi de his opinabantur, aliud vulgus ſequebatur. Poëtæ autem qui vulgo placere ſtudebant, quas ſcripſiſſent Fabulas, quæ in ſcena dictabant, populi captui guſtuique accommodabant. Numina ergò populi omnia νοητὰ, Philoſophorum divinitas in νοητὴν & αἰσθητὴν diſtincta. Cum hanc diſtinctionem Poëtis & vulgo adplicavit, V.Cl., toto cœlo erravit. Sed ne ſic quidem eorum Philoſophorum quos in Theologia dividunda ſequutus eſt, ſententiam rectè expreſſit; imò ab illis longè receſſit cum Eumenides inter νοητὰ Numina recenſuit. Deos illi dividunt in ὑπερκοσμίους & ἐγκοσμίους, ut ex Salluſtio liquet cap. VI. τῶν δὲ θεῶν, inquit, οἱ μὲν εἰσὶν ἐγκόσμιοι, οἱ δὲ ὑπερκόσμιοι. *Deorum alii ſunt intramundani, alii ultramundani.* Ita reddidit Latinè Apulejus, qui Græcè ὑπερκόσμιοι dicuntur. *Cælicolas* appellat, quos Græci ἐγκοσμίους. Ità enim ſcribit in libro de Habitudine doctrinarum Platonis: *Deorum trinas nuncupat ſpecies, quarum eſt prima unus & ſolus ille ſummus, ultramundanus, incorporeus quem patrem, & architectum hujus divini orbis ſuprà oſtendimus. Aliud genus eſt quale aſtra habent, cæteraque Numina quos Cælicolas vocamus.* Hi ſunt ἐγκόσμιοι, ita melius Latinè reddendi, quàm ut vulgò vocant interpretes *mundani*. Cælicolæ porrò illi ſunt quos ſuprà explicavimus, qui & *Conſentes* & *Complices* ex Etruſcorum diſciplina Romanis dicebantur. Dum eos cum ſuis globis conſpicuos cœlum ſuſpicientes conſiderant, in numero & cenſu τῶν αἰσθητῶν eos reponunt. Ultramundani autem ſoli νοητοί.

Ἐγκό-

Εγκόσμιοι ſunt Platonicis, qui Mundum condiderunt. At ὑπερκόσμιοι Dii, qui Deos ipſos Mundi conditores creaverunt. Salluſtius, ἐγκοσμίους μὲν λέγω αὐτοὺς τοὺς τὸν κόσμον ποιοῦντας θεούς. τῶν δὲ ὑπερκοσμίων οἱ μὲν οὐσίας ποιοῦσι θεῶν, οἱ δὲ νοῦν, οἱ δὲ ψυχάς. *Cælicolas eos voco Deos qui Mundum condunt. Vltramundanorum autem alii ſubſtantiam Deorum producunt, alii mentem, alii animas.* Infra Deorum ſupermundanorum, & Cælicolarum claſſem fuere quos Romani eodem Apuleio auctore vocarunt *Medioxumos. Tertium*, inquit, *habent quos Medioxumos Romani veteres appellant, quòd & ſui ratione & loco & poteſtate Diis ſummis ſunt minores, hominum natura profectò majores.* Unus ille ſoluſque ac ſummus Deus quem Apulejus *ultramundanum* appellat ex doctrina Platonis, eſt ipſa unitas; à qua unum quod exiſtit progreditur, quæ & omne Deorum genus progeneravit, tàm intelligibile quàm intellectuale; quod ſupramundanum eſt, & quod mundanum, Cælicolarum nempe Deorum. Unitas illa ante omnia entia. Ab unitate igitur illa, ſive ab uno ſoloque Deo, profluxere Dii primò νοητοὶ & νοεροὶ, ὑπερκόσμιοι & ἐγκόσμιοι. Proclus cap. x. Libri primi, ἵνα οὖν συνελόντες εἴπωμεν, τὸ ἓν ὂν προέεισι μὲν ἀπὸ τῆς ἑνάδος τῆς πρὸ τῶν ὄντων. πᾶν δὲ τὸ θεῖον γένος, ἀπογεννᾷ, τὸ, τι νοητὸν καὶ τὸ νοερὸν, καὶ τὸ ὑπερουράνιον, καὶ τὸ μέχρι τῶν ἐγκοσμίων προεληλυθός. *Vt autem compendii rem faciamus, quod unum exiſtit, profluit ab unitate quæ eſt ante omnia entia: & omne Deorum genus progignit, quod ſola mente intelligitur & intellectuale, & quod eſt ſupercæleſte, deſcendendo uſque ad illa genera quæ* ἐγκόσμια *dicuntur.* ὑπερουράνιον hìc vocat Proclus quod alibi ὑπερκόσμιον. Deorum genera & multitudines enumerans, dividit in τὰ νοητὰ, & τὰ νοερὰ, καὶ τὰ ὑπὲρ τὸν κόσμον, καὶ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ. Hi ſunt ὑπερκόσμιοι & ἐγκόσμιοι. Quæ ad Unitatem illam omnibus rebus præexiſtentem, hoc eſt ad ſummum & unum Deum, propiùs accedunt Deorum genera, illa etiam excellentiora perfectioraque cenſenda, quàm quæ longius abſcedunt. In primis igitur claſſibus νοητοὶ & νοεροὶ reponuntur, in inferioribus, ὑπερκόσμιοι & ἐγκόσμιοι. Nunc ergò videndũ quàm verum ſit quod ex Platonicis adumbravit V. Cl. de Eumenidibus, quas in νοητῶν De-

orum claſſe recenſuit. Quæ ſi rectè ab illo excogitata ſunt, oportet Eumenidas non ſolum ἐγκοσμίοις Diis ac Cælicolis ſuperiores majoreſque extitiſſe, ſed etiam ὑπερκοσμίοις & ultramundanis. Atqui illæ ad imas inferorum ſedes relegatæ à Poëtis videntur, & inde evocantur ad imperium Deorum majorum, ut quos velint homines in furorem impellant. Non hic inſtituimus explicare nationem univerſam, varioſque ordines & claſſes Platonicorum Deorum, quæ à Proclo maximè in libris de Theologia Platonica peti poſſunt; ſed qui ſint ex ejus mente νοητοὶ θεοὶ exponere ſatagimus. Sic enim conſtabit quàm longè ab illis intelligibilibus Diis loco & natura diſtent Eumenides Poëtarum, quas & vulgus cum Poëtis inferorum Deas cenſuit. Νοητοὺς ille Deos primos omnium ſummoſque conſtituit, qui & principium originemque cæteris dedere. Ab his ponit νοητοὺς ſimul & νοερούς, intelligibiles ſimul & intellectuales. Poſt hos demum νοερὸν collocat. Ità enim ſcribit Proclus lib. IV. cap. 2. Vitam quidem primariò eſſe in νοητοῖς θεοῖς, ſecundariò in iis qui νοητοὶ ſimul ſunt & νοεροὶ: tertio gradu eſſe in iis qui νοεροὶ tantum ſunt. Hoc eſt, ut vocat, κατὰ τὴν τρίτην ὑπόστασιν. Tres igitur iſti ordines divinitatis ab eo ſtatuuntur; νοητοὶ primi, ſecundi νοητοὶ & νοεροὶ, tertii tantum νοεροί. Alia diviſio eſt, ὑπερκοσμίων & ἐγκοσμίων. Ex illis ὑπερκοσμίοις alii ſunt νοητοὶ, alii νοητοὶ & νοεροὶ. At ἐγκόσμιοι ſolùm νοεροὶ. Ergò hi αἰσθητοὶ, non νοητοί; nempe αἰσθητοὶ ac νοεροί. Ex Salluſtio ſupra docuimus duodecim Deos ἐγκοσμίους, qui iidem cum Conſentibus Enniano Diſticho enumeratis, ſenſibiles eſſe ac viſibiles: hi porrò etiam νοεροί; nam aſtra omnia pro Diis habent, eaque νοερὰ cenſent. Alcinous de doctrina Platonis cap. XV. de ſideribus: πάντας δὲ φύσει νοερὰ ζῶα, καὶ σφαιρικὰ τοῖς σχήμασι. Saturnum qui unus eſt ex planetis, νοερὸν θεὸν Salluſtius vocat. Idem de cæteris. In regione ſupercæleſti ponit τὸ ἀμέθεκτον καὶ κρύφιον τῶν νοητῶν θεῶν γένος, ut ex Proclo liquet lib. VI. c. 6. Negat in eadem ſede locari poſſe aliam Deorum multitudinem quæ diſcreta eſt, ut Veritatem, Scientiam, Juſtitiam, Temperantiam, & alia hujuſmodi Numina. Rationem affert, quià fontes virtutum non

non pertinent ad intelligibiles Deos, propter diviſionem & varietatem formarum eorum. Si virtutum ipſi fontes ac principia non adſcribenda ſunt cenſui τῶν νοητῶν θεῶν, multò minus ipſæ virtutes ſicut in homine ſpectantur. At V. Cl. non ſolùm virtutes, ſed etiam affectus & vitia τοῖς νοητοῖς θεοῖς accenſet. Ubi enim de Diis Conſentibus dixit, quos αἰσθητοὺς innuit fuiſſe, ſtatim ſubjicit: *Quibus tum alios, tum eos qui nunc vulgò Dii ex humanis actionibus dicuntur, opponebant. Hi autem vel virtutes, vel vitia, vel affectus, vel ſimiles fuere. Cujus generis, Pax, Fides, Concordia, Iuſtitia, Clementia, Pudicitia, Pietas, Salus, Felicitas, Libertas, Fama. Item Diſcordia, Invidia, Furor, Fraus, Rabies, quos omnes partim ut conciliarent ſibi, partim ut averterent, cum tantùm eſſent νοητά, ideòque in animo conſiſterent, cultibus divinis affecere.* Quæ non ſolùm falſiſſima ſunt, ſed etiam abſurdiſſima. In illa Diviſione Theologiæ quam bipertitam finxit, Conſentes in prima parte ponit; cæteroſque quorum numerum vix iniri poſſe ait. Non dicit quales hi Dii fuerint, quorum numerus vix iniri poterat. Nec etiam explicat utrum Conſentes illi Dii cum innumerabilibus aliis qui in eadem claſſe ponuntur, αἰσθητοὶ fuerint an νοητοί. Sed oportet αἰσθητοὺς intellexerit, cum νοητοὺς iis opponat, hoc eſt Deos omnes ex actionibus humanis factos, vel ex virtutibus ac vitiis affectibuſque hominum concinnatos. Atqui Conſentes ut vulgò apud Romanos populari perſuaſione accipiebantur, αἰσθητοὶ Dii non fuere, ſed νοητοί. Cur igitur Deorum nationem dividendo in αἰσθητοὺς & νοητοὺς, Conſentes cum innumerabili turba, quæ eundem cenſum conſtituebat, in parte τῶν αἰσθητῶν reponit, qui fuere νοητοί? Sic certè omnes νοητοὶ fuerint, & unius generis atq; ordinis exiſtimanda tota Theologia, quam tamen bipertitam facit. Certè Conſentes Dii, ut eos Romani interpretabantur qui in conſilium Jovis adhibebantur, nihil commune cum ſideribus habuere, quæ ſola θεῶν αἰσθητῶν cenſui adnumerantur. Hi ſunt *Dii certi* Varronis, quia αἰσθητοί. Inter quos præcipuè Sol, & Luna, & Terra. Cæteri *incerti*, qui mente intelliguntur. Et Plato ipſe Solem inter αἰσθητοὺς Deos

Deos numerabat, ut ex Proclo conſtat l. II. c. 4. ἐν ἑκάστῃ δὲ αὖ τάξει τῶν ὄντων τὴν ἀνάλογον ἐκείνῃ μονάδα συγχωροῦμεν ὑφεστάναι, μὴ μόνον ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, ὥσπερ Πλάτων τὸν ἥλιον φησὶν, ἀλλὰ κἂν τοῖς ὑπερκοσμίοις. Sic Sol unus τῶν ἐγκοσμίων θεῶν fuit, qui ἀπὸ τῶν ὑπερκοσμίων diſcernebantur; idemque νοερὸς, quia omnia ſidera νοερὰ Platoni & Platonicis. Inter Conſentes Apollo eſt, qui inter ἐγκοσμίους Sol dicitur. Sed alia ratio fuit eorum qui Conſentes Jovis Conſiliarios ſtatuerunt, inter quos & Apollinem numerabant cum reliquis undecim ſuprà memoratis; alia eorum qui pro ſtellis & elementis eos habuerunt; alia etiam illorum qui magnam partem Deorum ſuperſcriptorum in numerum Deorum penatium retulerunt, ut Jovem, Junonem, Minervam, Mercurium, Æthera ſummum, & imum aëra. Conſentes Dii, prout à Romanis intelligebantur, fuere νοητοὶ, cum illa turba Deorum omnium innumera quam innuit V. Cl., qui tamen eos pro αἰσθητοῖς obtrudit. Duodecim Dii apud Græcos eodem numero, numine, ac nomine quo Conſentes Romanorum αἰσθητοὶ extitere, ut jam ex Apuleio probatum eſt. At de Diis Græcorum hic ſermo eſt; quia de Tiſiphone & duabus ejus ſororibus agitur, quæ inter Græcorum Numina computantur, Latinis vix culta, ſed eorum Poëtis etiam cum argumentum poſtulavit, celebrata. Narrat Auguſtinus lib. IV. de Civitate Dei, ex Scævolæ ſententia, tria genera tradita Deorum, *Vnum à Poëtis, alterum à Philoſophis, tertium à Principibus civitatis*. Hæc eadem fuit Varronis Romanorum doctiſſimi opinio, cum dixit tria genera Theologiæ eſſe, unum *Mythicum*, alterum *Phyſicum*, tertium *Civile*. Nam *Mythica* ſive fabularis quæ de Diis explicatur ratio, prorſus à Poëtis originem duxit; Phyſicum genus ad Philoſophos referendum; Civile Varronis idem eſt quod Scævola à Principibus civitatis deducit. Poëticum genus Deorum, & Civile omninò idem. Non enim Poëtæ alios Deos finxerunt, quàm qui vulgo crediti ſunt ac culti: ſed generationes eorum & res geſtas explicarunt, in quibus narrandis multa fabuloſè confinxerunt, & ſic ad Theatrum quod ſcripſere accommodarunt.

The-

Digitized by Google

Theatrum autem populo datum eſt: Ac proinde iidem Dii, quos in ſcena populo oſtendebant Poëtæ, & quos in Templis venerabatur vulgus. *Quid enim*, inquit Auguſtinus, *aliud oſtendunt illa ſimulacra, formæ, ætates, ſexus, habitus, Deorum? Numquid barbatum Jovem, imberbem Mercurium Poëtæ habent, Pontifices non habent? Numquid Priapo mimi, non etiam Sacerdotes enormia pudenda fecerunt? An aliter ſtat adorandus in locis ſacris, quam procedit ridendus in theatris? Num Saturnus ſenex, Apollo ephebus ita Perſonæ ſunt hiſtrionum, ut non ſint ſtatuæ delubrorum?* Philoſophorum de Diis diverſa ſententia eſt & ratio, atque expoſitio. Quærunt qui Dii ſint, quod genus, & unde, quot eorum genera; ex quo tempore, an ab æterno fuerint: quæ ſint eorum differentiæ: qui & quot ordines: An ex igne ſint, an ex numero, an ex atomis: quinam eorum ſint νοητοὶ, qui νοεροὶ, qui ὑπερκόσμιοι, qui ἐγκόσμιοι. Et cætera ad Deorum naturam pertinentia enucleatè explanare conantur. Apud eos αἰσθητοὶ Dii ſunt qui videntur, ut ſidera. Reliqui omnes νοητοὶ, quia mente intelligerentur. Et hoc Deorum ſubſtantiæ & naturæ propriè convenit. Nam ut Platonici dicebant, οὔτε αἰσθήσει τὸ τῶν θεῶν γένος ληπτὸν, εἴπερ ἐστὶ σωμάτων ἁπάντων ἐξῃρημένον, οὔτε δόξῃ. *Neque enim Deorum genus ſenſu comprehendi poteſt, ſiquidem omni corpore exemptum, neque opinione*. Quæ egregia eſt, ac vera de Diis ſententia. Omnes autem gentium Dii, qui ad civile genus Theologiæ referuntur, quia pro veris, populari perſuaſione, habebantur, ut corporis expertes erant, ſic etiam νοητοὶ cenſendi. Excipienda ab hoc numero nemo non videt, Ægyptiorũ Numina, quæ corpus habebant: nam aut animalia erant, aut plãtæ. Ergò αἰσθητὰ omnia, ſi quidem allium & cæpe, crocodilus & felis αἰσθητὰ ſunt. Nunc, ad hanc Deorum αἰσθητῶν & νοητῶν differẽtiam, examinemus Tiſiphonem, à V. Cl. in Scenam Judaicã introductam. Deam negat fuiſſe, & cum patrono ſuo Gallo, in eo maximè laborat, ut pro affectu à ſe in Theatrum productã probet: inde etiam definit modò affectum eſſe Erinnyn, modò animum turbatum. Mox tamen ex earum genere Perſonarum ſce-

nicarum eſſe contendit, quæ Græcis νοητὰ πρόσωπα dicerentur. Ea πρόσωπα, νοητῶν eſſe θεῶν qui in animo tantum conſiſterent, extra animum nihil eſſent. Hæc igitur diſquirenda, & videndum an in his ſibi conſtet. Erinnys affectus eſt, eadem Erinnys ex illis Diis eſt vel Deabus, quas Græci νοητοὺς dicebant. Ergò affectus, ut inde conſequitur, in animo conſiſtit: ergò omnes affectus νοητοὶ ſunt; ira, cupido, inſania, rabies, furor, & aliæ id genus paſſiones. Atqui à Philoſophis didici paſſionibus illis animum affici, non in animo conſiſtere. Inde *affectus* vocantur. Accidere eas animo eumque turbare, non in animo ac mente ſedem habere. Ne quidem νοητὰ eo ſenſu accipienda ea πάθη, quo τὸ νοητὸν opponitur τῷ αἰσθητῷ, quod intellectu ac mente comprehenditur, & quod ſenſu percipitur. Ratio apparet quam ideò pluribus non explicabo. Hæc cum ſint ineptiſſima ſi hoc modo diſpiciantur, longè erunt ineptiora ſi alia via ea diſquirenda ſumamus. Demus illi quod vult νοερὰ eſſe πάθη; iram in irato, rabiem in furioſo ſola mente conſpici poſſe, non etiam in oculos incurrere; etiam Eumenides inter numina reponi, quæ νοητὰ ſunt Græcis, quia in animo conſiſtunt; quid inde fiet? An & πρόσωπα earum νοητὰ habenda ac dicenda cum in ſcenam inducuntur? Fateor me nulla vi mentis aut ingenii aſſequi poſſe, quæ ſint πρόσωπα νοητά. Nulla poſſe talia fingi certus ſum: Haud etiam ſcio an ulli Veterum ea cognita, aut nominata fuerint. Nec ſanè quiſquam potuit eorum meminiſſe quæ in rerum natura non ſunt, nec per ſui naturam poſſunt ſubſiſtere. Si πρόσωπον eſt, νοητὸν eſſe non poteſt. Quod videtur, quod tangitur, quod loquitur, quod in Scenam ornatum inducitur, & ſpectandum exhibetur, qua ratione queat videri ac dici νοητὸν non ſum ſatis ipſe perſpicax ut perſpiciam. Talia omnia πρόσωπα ſunt ſcenica. Hiſtriones ſunt, id eſt homines qui πρόσωπα illa induunt. Aut hominem repræſentant, aut Deum, aut Heroëm: vel aliquid quod nec Deus ſit, nec Heros, nec homo; ut montem, aut flumen, aut urbem. Sed tunc θεοποιεῖται aut ἀνθρωποποιεῖται, ut πρόσωπον ſit, & perſonam accipiat mons & urbs & flumen. Etiam νοητὰ quæ-

quædam in ſcena repræſentantur eo ſenſu quo volupe eſt Viro Cl. accipi, ut rabies, diſcordia, ebrietas, & alia hujuſmodi, quæ pro νοητοῖς nobis tradit, virtutum, vitiorum & affectuum nomina. Quædam etiam verè νοητὰ in Theatro oſtenduntur, præter ea Numina quæ ita νοητὰ vocari diximus, ut ab αἰσθητοῖς diſtinguantur, ut fama, & mors. Nihil non denique poteſt in Theatro exhiberi ſpectandum, tam earum rerum quæ in ſolo animo conſiſtunt, quam quæ corpore aliquo conſtant. Sed eorum omnium quæ in ſcenam inducuntur πρόσωπα, ad repræſentationem faciendam efficta & ornata, cum oculis uſurpentur, νοητὰ non poſſunt cenſeri; etiamſi νοητὰ illa ſint, quorum Perſonæ repræſentantur. Ut enim ſimulacrum Dei qui νοητὸς eſt, & ſola mente percipitur, νοητὸν non eſt, ſed αἰσθητόν; ita etiam Perſona ejuſdem Dei cum in ſcenam introducitur, non poteſt eſſe νοητή, cum ſit æquè viſibilis ac ejus ſimulacrum. τὰ νοητὰ certè σωματοποιοῦνται, ut agi in ſcena poſſint & oſtendi. In corpore ergò & perſona quam accipiunt, in ſcena ſiſtuntur videnda, ac deſinunt eſſe νοητά. Non quod naturam ſuam exuant, ſed quia aliter ea Poëta non poteſt ſpectanda proponere, corpus illis attribuit & Perſonam, ut ſpectentur. Manent in cœlo ſuo νοητὰ per naturam ſuam, fiunt in theatro αἰσθητὰ per Perſonam quam iis accommodavit Poëta, & quam Tragicus actor ſuſtinet. Nunc videamus Viri Clariſſ. verba. *Quæ in animo conſiſtunt πρόσωπα à Græcis νοητὰ dicuntur*. Hoc prorſus mihi videtur ſubſiſtere non poſſe, ut Perſona quæ in ſcena ſtat & loquitur, hoc eſt hiſtrio qui νοητὸν aliquid imitatur, in animo conſiſtere dicatur. Vellem indicaſſet quinam illi Græci ſint, qui πρόσωπα νοητὰ dixerunt quæ in animo conſiſtunt, quibus locus ac ſedes in qua ſtarent in Theatro datur. Addit Perſonas eas intelligibiles à Scaligero *quaſi-perſonas* dici. *Inter quas*, verba ſunt Scaligeri, *ſunt quæ ad Perſonarum naturam propiùs accedunt, cujuſmodi Alecto*. Non ergò viderat Scaliger, nec legerat illos Græcos, qui νοητὰ πρόσωπα nominaſſent. Si in eos quippe incidiſſet, non *quaſi-perſonas* vocaſſet ea πρόσωπα Græcorum νοητά, ſed *perſonas intelligibiles*, vel ut au-

auctor vertendi eſt V. Cl., *Perſonas in animo conſiſtentes*. Sed animadvertendum, non integrè, nec fideliter verba Scaligeri à V. Cl. fuiſſe relata. Non enim dixit Scaliger inter illas *quaſi-Perſonas* fuiſſe eas quæ ad perſonarum naturam propiùs accederent, ut V. Cl. eum loquentem quaſi in ſcenam induxit, hoc modo: *Inter quas ſunt quæ ad naturam Perſonarum propiùs accedunt, ut Alecto*. Eo loco qui habetur l. III. Poëtices c. 3. Julius tractat *De quaſi-perſonis*, poſtquam Capite priore de Perſonis egit. Ita igitur ſcribit; *De Perſonis igitur hæc. Sunt autem præterea quædam* quaſi-perſonæ, *ut perſonæ fictæ*, *qualis apud Maronem* fama, *apud Ovidium* fames, *operosè æque deſcriptæ ab utroque*. Fictas igitur perſonas & *quaſi-perſonas* eaſdem ſtatuit. Et *fictas* vocat *Perſonas* à Poëta ipſo inventas, earum nempe rerum quæ non ſunt in natura, ſed in animo per fictionem & imaginationem tantùm conſiſtunt. Ea ſunt quæ νοητὰ vocare Viro Cl. placuit; cum νοητὰ ſint propriè quæ ſola mente percipiuntur, quamvis revera ſint, aut eſſe putentur, ut Dii. Fictæ igitur illæ Perſonæ, quibus res eæ repræſentantur quæ in rerum natura non ſunt, Scaliger appellat *quaſi-perſonas*. Nam Perſonas eas propriè dictas vult intelligi quibus res exprimuntur, quæ natura ita conſtant, ut in naturæ ſinu ſint inveſtigandæ, atque inde ſub oculis hominum ſubjiciendæ. Eas ergò Perſonas accipit Poëta ex ipſo naturæ ſinu in quo conſiſtunt, non fingit. Quas autem fingit, eas, non ex rebus naturalibus ſumit, ſed ex iis quæ natura non conſtant, ut eſt *fama* apud Virgilium, *fames* apud Ovidium. His adde & *mortem* apud Euripidem. Hæc non ſunt νοητὰ, quamvis ita placeat Viro Clariſſimo. Sed νοητὰ ea dicuntur quæ cum ſint, aut eſſe credantur, ſolo tamen mentis intellectu capiuntur. Ea quæ in imaginatione tantùm conſiſtunt, δοξαστὰ, non νοητὰ: immò verò nec δοξαστὰ ſunt. Nam ille ipſe qui finxit, ſcit ea non eſſe, ſed pro libidine ſua, ut populo ſe gratum faciat, illa confingit. Hæ ſunt igitur *fictæ perſonæ*, vel *quaſi-perſonæ* Scaligeri, rerum nempe quæ non ſunt, nec uſpiam conſiſtunt, niſi in animo ejus qui invenit,

Ad-

Addit Scaliger ibidem : *Item quæ ad Perſonarum naturam propius accedunt, cujuſmodi Alecto.* Non ergo confundit Scaliger *quaſi-perſonas* ſeu *Perſonas fictas*, cum iis Perſonis quas ad Perſonarum naturam propius accedere dixit, ſed planè diſtinxit. Quærit autem V. Cl. & miratur, cum hujus generis ſint infinitæ Perſonæ, cur ſoli Furiæ dederit locum Scaliger. Mentem Scaligeri ipſi aperiam quam non vidit. Exempla ex Virgilio præcipuè, ſed & ex Ovidio petit Perſonarum, & quaſi-perſonarum quæ in Poëſin inducuntur : item earum quæ ad Perſonas propiùs accedunt. Solam Alecto nominavit ex eodem Virgilio, ut exemplum afferret hujuſmodi Perſonæ, *quæ ad Perſonarum naturam propius accedit*. Ea eſt Alectûs deſcriptio,& Perſonæ ejus introductio quæ habetur Æneidos VI. Quod putat V. Cl. hujus generis Perſonas infinitas eſſe, ſcire debuit non hanc fuiſſe mentem Scaligeri quem citabat. Præterea etiam ſi eſſent infinitæ , uno exemplo ſatisfacere potuit: Sed ut conſtet Scaligerum, & Virum Clariſſimum in his longè invicem diſſidere, utriuſque ſententia exponenda eſt. Scaligero *Perſonæ* propriè ſunt earum rerum quæ natura conſtant. *Quaſi-perſonæ* rerum quæ non ſunt, quas Poëta fingit. Utriuſque generis penè infinitæ ſunt. Nam & natura infinitas ex ſinu ſuo ſuggerit, & Poëta ex ingenio ſuo innumeras, & quotcumque libitum eſt, poteſt fingere. Tertiæ ſunt quæ ad naturam Perſonarum propiùs accedunt. Exemplum affert ex Poëta Scaliger de Alecto. Eam non finxit, nec ex ſuo dedit Virgilius. Ergò Perſona ejus non poteſt videri ficta. Non erit ergo inter eas quæ *quaſi-perſonæ* dicuntur & *fictæ*, referenda. Rurſus, Alecto non eſt ex iis rebus quæ in veritate exiſtunt, ac natura conſtant. Non igitur propriè Perſona dici queat. Sed cum ſit ex eorum Numinum numero quæ νομίζονται apud gentes, ideò tertium genus Perſonæ inde fecit Scaliger , quæ nec veræ ſint Perſonæ , nec fictæ. Non ſunt veræ , quia res falſas exprimunt. Non ſunt fictæ , quia Poëta eas non finxit , ſed quaſi exiſterent,

ex communi perſuaſione accepit. In opinione ergò populi conſiſtebant hujuſmodi Numina, quæ δοξαστὰ, ut dixi, potius appellanda, non νοητὰ, ut perperam arbitratus eſt V. Cl.; cujus de Perſonarum Tragicarum ac Comicarum diviſione verba ſunt, ex Epiſtola qua Balſacii cenſuram ludificare conatus eſt; *Tragicum cum ſcribit, vel accipere vel fingere Perſonas. Si accipit, aut omnes ſimul accipere, aut nonnullas fingere, aut quibuſdam nomen ab ipſo imponi. Fingi autem, vel quæ ſunt in vita, vel quæ tantùm in animo conſiſtunt. In vita, vel ab ætate, ut ſenex; vel à conditione, ut ſervus; vel à munere & profeſſione, ut nuncius, paſtor, præco, nutricius, nutrix; vel à natione ut Phryx, ut apud Euripidem Oreſte. Quæ in animo conſiſtunt, ut fames, ſomnus, fama, luxuries, & alia id genus.* Quod jactat ſe id etiam probaſſe, mihi certè non probavit. Nec Scaligero aliud videretur ſatis ſcio ſi viveret, quàm mihi. Verum quidem eſt Tragicum Perſonas vel accipere vel fingere. Sed falſum quod ponit, fingi ea vel quæ ſunt in vita, vel quæ in animo conſiſtunt. Ea omnia ſumit Poëta, non fingit. Accipit enim Perſonas, vel rerum quæ natura conſtant, vel earum quæ in opinione conſiſtunt, ἐκ τῶν ὄντων, ἢ ἐκ τῶν νομιζομένων. Quæ in opinione conſiſtunt, quæ τὰ νομιζόμενα ſunt, non multùm diſtant, quantum ad eorum opinionem attinet qui ea inſtituerunt, ab iis quæ in veritate exiſtunt. Opinio pro veris ea ſubjicit quæ vêra non ſunt. Ex opinione autem inſtitutum fluxit. Inde omnia ſunt quæ νόμῳ conſtant, non φύσει. Deorum alii revera ſunt, ut Deus unus veruſque Judæorum, & Philoſophorum qui τὸ ἑνιαῖον in divinitate adſtruxerunt; Dii gentium tametſi falſi ſunt, & in ſola eorum qui crediderunt opinione conſiſtentes, quiſquis ex eorum perſona loquitur, ex illorum etiam mente loqui debet. Ergò Dii ſunt aut veri, aut pro veris. Tales ſunt Gentilium Dei, οἱ νομιζόμενοι. Cum eorum Perſonas inducit in theatrum Poëta, accipit eas & inſtruit notis & ſignis quæ tali divinitati attribuuntur. Non eas notas aut ſigna fingit: nec ergò Perſonas. Nam, ut rectè ſcribit Auguſtinus lib. VI. de Civitate Dei, cap. 7. *Priapus non aliter ſtat*

ado-

adorandus in locis ſacris, quam procedit ridendus in Theatris. Saturnus ſenex, Apollo ephebus, ità Perſonæ ſunt hiſtrionum, ut ſunt ſtatuæ delubrorum. Barbatum Jovem, & imberbem Mercurium, & Pontifices in Templis habent, & Poëtæ in ſcena exhibent. Accipiebant igitur has Perſonas Poëtæ ex ipſis templis & ſacris, hoc eſt ex ipſa opinione ac perſuaſione quam de Diis imbiberant illius temporis homines, non eas fingebant. *Nunquid*, ibidem dicit Auguſtinus, *Diana Theatrica portat arma, & urbana ſimpliciter virgo eſt? Nunquid ſcenicus Apollo citharista eſt, & ab hac arte Delphicus vacat?* Dicamus ergò ſimiliter quod etiam addere ſupradictis potuit Auguſtinus: *Numquid Tragicæ Erinnyes facibus & hydris armatæ oſtenduntur, quibus Atticæ carent, & quæ alibi coluntur?* Ergò nec Erinnyum Perſonas Poëta fingit, ſed accipit, taleſque in ſcena oſtendit, quales Athenis in templo eis dicato à cultoribus ſuis adorandæ viſebantur. Harum igitur divinitatum quæ Gentibus creditæ & cultæ fuerunt, cum Perſonas in theatrum introducit Poëta, argumento ita poſtulante, non minus ex veræ habendæ, quàm aliæ earum rerum quas natura novit, & quæ revera exiſtunt. Quod contra Scaligerum dictum ſit, qui hoc Perſonarum diſcrimen inſtituit, ut quædam veræ ſint ac propriæ, aliæ propiùs ad Perſonarum naturam accedant. Græci Auctores aliter hæc diſtinguunt, & aliam Perſonarum differentiam ſcenicarum inſtituunt. Dividunt quippe eas in ſimplices, quæ ſimplici ornatu conſtant; & in eas quæ operoſiùs ornatæ inducuntur, quæ ἐνσκευα πρόσωπα dicunt. Cum juvenis, cum ſenex inducitur, cum matrona aut ancilla, cum miles aut cacula, cum Rex aut ſatelles, hæ omnes Perſonæ ſimplices ſunt. Quid enim facilius quam Regem, aut ejus ſatellitem ita inſtruere, ut Rex cognoſcatur à Spectatore & ſatelles? Juvenis & ſenis Perſona æquè facilè effingitur. Nec majoris eſt molis matronam aut ancillam ita proponere, ut ancillæ & matronæ mos eſt incedere. Ità de aliis Perſonis tàm Tragicis quàm Comicis, quæ ſimplices ſunt, & ſua ſibi non affectata habent, nec ambitioſiùs ex-

exculta ornamenta. Cæterùm ſi Actæon corniger inducendus eſt, ſi Phineus cæcus, ſi Thamyris cum altero oculo cæruleo, altero nigro ſi Argus cum multis oculis, ſi Tyro cum pertuſis genis ac lividis, ut à matre accepta fuerat, ſi Hippe in equum converſa, ſi Achilles capillis ſciſſis ad Patrocli cadaver, ſi Mons, ſi Flumen, ſi Urbs, ſi Erinnys, ſi Oeſtros, ſi Rabies, ſi Mors, ſi Pitho, ſi Gorgo, ſi Triton, ſi Titan, ſi Gigas, ſi Juſtitia, ſi Injuria, ſi Amynone, ſi Muſæ, ſi Horæ, ſi Nymphæ, ſi Fraus, ſi Ebrietas, ſi Temperantia, ſi Diſcordia; ſi quid denique hujuſmodi quod operoſiorem ornatum deſideraret, in Theatrum producendum foret, hæc omnia πρόσωπα ἔνσκευα dicebantur. τὸ ἔνσκευον opponitur τῷ ἀσκεύῳ. At τὸ ἄσκευον dicitur quod eſt ſimplex, & ſine ornatu. In illis autem omnibus Perſonis quas commemoravimus, aliiſque ſimilibus, ἡ σκευὴ operoſior ambitioſiorque erat adhibenda, ut poſſent graphicè repræſentari. Pollux lib. IV. cap. 19. de Tragicis προσώποις; ubi de ſimplicibus egit Perſonis Tragœdiæ, tranſit ad eas quas dixi. τάδε ἔνσκευα, inquit, πρόσωπα, Ἀκταίων κερασφόρος, ἢ Φινεὺς τυφλὸς, &c. Vide reliqua apud eundem, ne bis idem ponere neceſſe habeamus, quamvis in diverſa lingua. In illis Perſonis ἐνσκεύοις quæ apud illum eo loco enumerantur, multæ ſunt quæ accipiuntur, aliæ quæ finguntur à Poëta. Accipiuntur quæ in rerum natura erant fuerantve, quæ eſſe vel fuiſſe exiſtimabantur, ut Phineus, Actæon, Thamyris, Flumen, Mons, Oppidum, Gorgo, Titan, Erinnys, & alia quæ fabulis erant prodita, aut in communi Græcorum opinione conſiſtebant. Finguntur quæ Poëta ipſe invenit, ut hypotheſi ſuæ ſerviat; qualia ſunt, Mors, Rabies, Fraus, Juſtitia, Suada, Ebrietas, & alia ejuſmodi, quæ Poëtæ ſolent θεοποιεῖν & σωματοποιεῖν, ut Theatro poſſint accommodari, & pro Perſonis induci. Hoc eſt quod Critici dicunt, ποιηταὶ θεοποιεῖν πάντα, μάλιστα δὲ τὰ νοητὰ εἰώθασιν, *Poëtæ ſolent omnia deificare, & præſertim ea quæ mente percipiuntur*. Ea ſunt quæ corpus non habent, ac proinde τοῖς αἰσθητοῖς opponuntur. Nam corporea ſenſibus corporis comprehenduntur, incorporea mentis intellectu. Hæc ſunt νοητά. Sed

tum

tum iſtis uti conſuevit Poëta, cum Deos factos non invenit, quos facere cogitur. Ubi verò Dii jam ſunt, factis utitur, eorumque Perſonas accipit, non fingit. Exempli gratia, Pax, Fides, Victoria, Clementia, Concordia, & alia hujuſmodi apud Romanos, aras habebant ac delubra, ſacrificiiſque colebantur: Poëta igitur Romanus non neceſſe habuiſſet ea θεοποιεῖν, quæ jam in numerum Deorum relata reperiſſet. Qui in Palliatam Comœdiam inducere eas res voluiſſet, ad novam θεοποιΐαν, Poëtis uſitatam, confugere debuiſſet. Perſonæ autem hiſtrionicæ, ſive fiant & fingantur, ſive ſumantur; hoc eſt quarumcumque rerum habeantur, ſive à Poëta fictarum, ſive jam exiſtentium, non differunt inter ſe, nec de veritate eſſentiæ alterum genus cum altero diſputat. Ut enim ſimulacra Deorum qui non ſunt nec fuerunt, æquè ſimulacra ſunt quantùm ad materiam & corpus quod videtur attinet, quàm earum rerum effigies quæ ſunt, vel extiterunt, idem de Perſonis Tragicis Comiciſque dicendum. Æquè verus hiſtrio eſt, qui has, quàm qui illas agit Perſonas. Nec moror eos qui εἴδωλα diſtinguunt ἀπὸ τ̃ εἰκόνων, quod illa ſunt rerum vel hominum Deorumve, qui in rerum natura non extiterunt; εἰκόνες autem res certas, & quæ ſunt vel fuerunt, in imagine reddant. Verùm de his alibi. τ̃ νοητῶν & τ̃ αἰσθητῶν ex æquo εἴδωλα & Perſonæ dari poſſunt, quæ quantùm ad naturam & materiam ſimulacri attinet, in utroque genere, tam intelligibili quam ſenſibili, Perſonæ ac ſimulacra dici poſſunt. Supervacaneum eſt igitur differentiam inſtituere in Scena *Perſonarum* quæ propriè hoc nomen habeant, & *quaſi-perſonarum* quæ à Poëta finguntur; item earum *quæ ad naturam Perſonarum propiùs accedunt*. Perſonæ omnes ſunt & quidem veræ, ſed aliæ ſimpliciùs, aliæ operoſiùs ornantur. Hæc ἔνσκευα πρόσωπα Græci dicunt; nec aliud diſcrimen inter Perſonas agnoſcunt: ſive Deos illæ reddant, ſive homines, ſive Heroas, ſive etiam res quæ nunquam extiterunt, vel non ita extiterunt, ſed ex libidine Poëtæ, cum tali perſona quam ipſis voluit aptare, exhibentur. Cæterùm illa Viri Clar. ferri non poſſunt, *Fingi*

gi autem vel quæ ſunt in vitâ, vel quæ tantùm in animo conſiſtunt. Cur ſeparat ea quæ in vita ſunt, ab iis quæ tantùm in animo conſiſtunt? An non animus in vita eſt? Si eſt, etiam omnia quæ animo accidunt, & in animo conſiſtunt, in vita eſſe dicenda ſunt. Ejuſmodi ſunt omnes animi affectus, vitia, virtutes. Quæ cur in vita neget eſſe, neſcio; cum maximam vitæ partem conſtituant, & homo qui utique in vita eſt, his maximè cenſeatur. In animo conſiſtere ait, ac proinde ab iis quæ in vita ſunt ſegregat, Famem, Somnum, Famam, Luxuriem, & alia id genus. Famem ſanè in vita eſſe nollent, qui eam ſentiunt. Sine ſomno vita tranſigi non poteſt. Fama ſequitur illuſtres vitæ actiones, quarum & merces eſt. Luxurie vita plena eſt, quia genus humanum luxurioſis abundat. Mala igitur illa Diviſio quæ res quæ in vita ſunt, & quæ in animo conſiſtunt, diſtinguit. Nec meliùs aut aptiùs fingi ait, quę utriuſque generis ſunt. An finguntur tantùm à Poëta quæ ſunt, & in animo conſiſtunt, cætera autem omnia accipiuntur? Nam dixit, *Tragicum vel accipere vel fingere Perſonas*. Deinde ſcribit, *Fingi ea quæ in vita ſunt, & quæ in animo conſiſtunt*. Quænam ergò ſunt quæ accipiuntur? Nihil de iſto membro apud eum legitur. An de induſtria omiſit? An oblitus eſt? Ipſe viderit. Omnium quæ in Theatro ſpectanda exhibet Poëta, Perſonas inducit, ut ſpectari poſſint. Si homines oſtendere vult, Perſonas habitu hominum ornatas oſtentat, pro ætate, pro ſexu, pro conditione atque etiam pro patria. Nam aliter Phryx ornatus inducitur quam Græcus: aliter juvenis quam ſenex: aliter vir quàm fœmina: aliter ſervus quam dominus. Horum omnium Perſonas differentes ex vita ſumit Poëta, non fingit. Si Deus in ſcenam inducendus eſt, quia variæ Deorum formæ ſunt, ut gentilitas ſibi perſuaſit, Perſonas quoque iis accommodat juxta perſuaſionem Gentium quarum illi Dıi ſunt. Nam alio habitu Juno, alio Diana, alio Ceres, alio Juppiter, alio Neptunus, alio Mercurius exhibetur ſpectandus. Et quamvis natura ſua νοητοὶ ſint, quià corporis expertes ſunt, creduntur tamen corpus interdum aſſumere, ut ſe hominibus

nibus oſtendant: Sed prout erant officia ſingulorum Deorum, qualia finxit Antiquitas, officiorum cuique notas & ſymbola attribuebant quibus internoſcerentur. Quod etiam multùm adjuvit propoſitum Poëtarum in Perſonis Deorum in Theatro exhibendis. Nam Apollo ut cantor cum lyra inducitur: Mercurius ut nuncius Deorum cum alis; & cum Deus lucri eſt cum marſupio: Vulcanus cum fabrilibus inſtrumentis: Diana cum habitu venatricis; ita de aliis. Has igitur Deorum Perſonas etiam Poëta ex vita accipit ac mutuatur, non fingit. Superſtitio quippe tales jam finxit, quæ vitæ pars eſt maxima. Si perſonam aliquam ex fabula in Theatrum introducit Poëta, etiam ex vita eam accipere cenſendus, quià vita eam fabulam habet. Si mons, ſi fluvius, ſi urbs exhibenda eſt, etiam è medio vitę ſumitur, ſed Perſonam iis adaptat convenientem qua dignoſci poſſit eſſe illam urbem vel illum montem : & fluvium illum Acheloüm potius eſſe, quam Nilum. Atque ita de cæteris. Nulla quippe res eſt in mundo, quin aliquam habeat notam inſignitam qua noſcitari queat, atque ab aliis rebus ejuſdem generis diſcerni. Si aliquam virtutem aut aliquod vitium, aut aliquem affectum animi ſtudent repræſentare, ab effectibus notas ſumunt, quibus ea effigient. Simul etiam corpus addunt rei mutæ, & quæ ſola mente comprehenditur. Hæc ſunt quæ νοητὰ vocant Critici, quia αἰσθητὰ non ſunt, nec viſibus objici poſſunt, niſi corpore ſimulato. Quum horum omnium Perſonas inducere volunt Poëtæ, non eas è vita accipiunt, ſed planè fingunt. Nemo Mortem ambulantem, & loquentẽ vidit, nemo Famem, nemo Somnum. Nec virtutes ſanè, nec vitia, nec paſſiones animi, corpore aliquo proprio conſtant, quo incedere queant, & voces expromere, & hominibus in humana vel divina forma ſe oſtendere. Horum igitur perſonas omnium Poëta fingit, non accipit. Ad hanc regulam exigamus Eumenidum Perſonam, quas Tragici veteres ſæpius in ſcenam producebant, & V. Cl. in ſua Tragœdia introduxit; ut ex quo genere ſit Perſonarum poſſimus cognoſcere, fictarum an acceptarum. Deorum perſo-

ſonas non fingi à Poëta, ſed accipi oſtendimus. Nec refert utrum illi Dii veri ſint, an non. Nobis quidem qui alia cenſemur Religione, non ſunt. Verùm ex perſona noſtra non loquimur, ſed ex eorum qui tales Deos crediderunt, ac pro veris habuerunt. Et rectè hoc unum in illa Epiſtola poſuit V. Cl., Deos ex eorum opinione eſſe à quibus coluntur. Id ſolum nunc refert ſcire, an Eumenides coluerint Veteres, & an Deas eſſe ex eorum opinione poſſit affirmari. Per aliquot ambages ac circuitus probare ſatagit Furias ex illorum numero ac cenſu Deorum fuiſſe quos Poëtæ θεοποιοῦσι, & quorum perſonæ à Poëta finguntur, ut reliquorum νοητῶν, ſi quando ea corporata & perſonata Theatro oſtendere volunt. Hinc etiam *Tragicas Erinnyas* ab aliquo Poëtarum dictas contendit: *Tum me vel Tragicæ vexetis Erinnyes.* Ideo & Scaligerum inter Perſonas fictas, quæ & *quaſi-perſonæ* ſunt, Alecto locum dediſſe aſſerit. Nec enim *virorum maximum ignoraſſe, de eſſentia Tragœdiæ plerumque Erinnyas eſſe, cum nimirum pavor excitandus eſt.* Jam ſuprà oſtendimus mala fide verba illa Scaligeri retuliſſe Virum Clariſſ. Nec enim Scaligerum perſonam Alectus Virgilianæ iis Perſonis accenſuiſſe quas *fictas* appellat, quia finguntur à Poëta, & *quaſi-perſonas*, quia propriè Perſonæ non ſint habendæ. Sed tertium genus Perſonarum ex Furiis facere quæ ad naturam Perſonarum propiùs accedant. Rationem quare ita cenſuerit, in ſuperioribus adduximus. Sed ut Eumenidum Perſonam hac nota diſtinxit Scaliger, potuit & omnium Deorum Dearumque Perſonas eadem definitione comprehendere; quia de omnibus gentium Numinibus idem Chriſtiano ſentiendum, quod de Eumenidibus. Si Deæ illæ non fuerunt habitæ Veteribus, nec pro Diis cultæ; ſi aras ac templa non habuerunt, nihil veto quin alia earum ratio fuerit quam reliquorum Deorum, & quin alia Perſonis earum, cum in Theatris inducuntur, definitio ac notatio conveniat. Quanto in honore & veneratione Græcis fuerint, nomen quo ab his vocabantur ſatis teſtatur. Σεμναὶ θεαὶ dicebantur. Omnia quidem Numina σεμνὰ, ſed nullum

lum fuit quod hoc præcipuè nomine cenſeretur. Ita Athenienſes eas vocarunt, apud quos præcipuo cultu afficiebantur. Harpocration: Σεμναὶ θεαί. οὕτω καλοῦσι Ἀθηναῖοι τὰς Ἐριννύας. Eumenides etiam appellabantur quaſi Εὐμενεῖς: quod per antiphraſin nomen eas accepiſſe quidam exiſtimant, quod minime eſſent εὐμενεῖ. Alii hanc appellationem nactas volunt à judicio Oreſtis; faciles & benignæ exinde factæ, quod anteà non erant. Vtut ſit, & templum & aras apud Athenienſes habuerunt, & apud alios Græciæ populos, & in maxima veneratione ac cultu habitæ: cum etiam valde timerentur, ut infernales Deæ, ac ſcelerum ultrices, & in furorem quos vellent impellere potentes. Deas non negat creditas antiquis V. Cl., nec ejus patronus homo Gallus; ſed mirantur hoc Balſacio ignoratum, quod etiam affectus fuerint. Si tanquam affectus eas in Scenam introduxit V. Cl., quin numine ſuo excidant, & nomen Eumenidum amittant, & omni divinitate exuantur, non interpello. Sed primum quæro an ulli affectus aut πάθη in homine, nomine εὐμενίδων & ἐριννύων σεμνῶν θεῶν apud Græcos appellati ſint, aut apud Latinos *Furiarum*? Deinde etiam ſcire cupio, an affectus qui in homine ſunt, apud Inferos habitent, ab Inferis excitati in Theatrum Hieroſolymitanum veniant? Affectus ergò extrà hominem ambulant, loquuntur, in Scena ſe oſtendunt, pavorem ſpectantibus incutiunt? Nam V. Cl. ipſe ſcribit *de eſſentia Tragœdiæ plerumque eas eſſe, cum nimirum pavor excitandus eſt.* Quod eſt ridiculum ſed tamen contrarium ei aſſertioni quam alio loco poſuit, ubi affirmat affectus eſſe, etiam cum in Scenam producuntur. Falſum præterea eſt, de eſſentia Tragœdiæ eas eſſe, cum nimirum pavor excitandus eſt. Nunquam enim ad hoc in Theatrum ab ullo Poëtarum unquam inductæ ſunt, ut pavorem excitarent. Hoc quidem traditur, quando Æſchylus in Tragœdia cognomine, Eumenides populo Athenienſi exhibuit, tam terrifico ornatu inſtructas eas oſtendiſſe, ut infantes præ terrore exanimarentur, gravidæ abortum facerent. Sed hoc propoſitum

E 3 Poë-

Poëtæ non fuit, ut terrorem incuteret populo. Ità tamen affectus eſſe pronuntiat Viri Clar. Eumenides, *ut in Tragœdia Perſonæ ſint quæ in animo conſiſtunt*. Sic enim ſe definitione defungi bellè putat, ut culpam à ſe amoliatur, introductarum in Tragœdia Judaica Furiarum: *Quid ſunt*, inquit, *ergò ut paullatim definitione defungamur, Furiæ? In genere, Affectus, ut jam dixi; in Tragœdia, Perſonæ, quæ in animo conſiſtunt, & in ſcena, ubi opus, extra eum exhibentur, ut dementia, ut rabies, ut furor*. Niſi hæc verba ipſe in ejus Epiſtola legiſſem, ab alio allatis, vix fidem habuiſſem, nec ejus eſſe credidiſſem. *In genere*, inquit, *Furiæ ſunt Affectus*. Quid hoc eſt, *in genere ſunt Affectus?* Quis *Furias* pro affectibus legit, niſi figuratè, ut in iſtis, *in Furias ignemque ruunt?* Ita Vulcanum pro igne dicunt: *Vulcanum in cornu concluſum gerit*. Ita *Cererem* pro pane, *Bacchum* pro vino, & *Venerem* pro voluptate. *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Eodem modo furioſi affectus, & maximè violenti etiam *Furiarum* nomine interdum Latinè loquentibus, notiſſima figura appellabantur, quia Furiæ eos immittere credebantur. Pergamus, & Definitionem ejus perſequamur: *In genere Affectus ſunt*. Quo in genere? *In Tragœdia perſonæ quæ in animo conſiſtunt*. Ergo Tragicæ Erinnyes, perſonæ ſunt affectuum, hoc eſt, affectus ipſos humanos repræſentant. Quos? iram, vindictæ cupiditatem, malam conſcientiam. Hoc verum videretur, ſi Furiæ apud Veteres neque templum, neque aras, neque ſacrificos, neque cultum divinum accepiſſent. Atqui certum eſt pro Deabus, & quidem maximè venerandis ac timendis cultas fuiſſe. Putat vero noſter, aut perſuadere nobis vult, haud ſecùs eſſe de Furiis, quam de furore, de dementia, de rabie. Harum Perſonas quidam Poëtæ in ſcenam olim introduxere, à ſe fictas, quia per ſe nihil ſunt rabies, nec dementia, nec furor, ſed in homine intelliguntur, demente, rabioſo & furioſo. Extrà hominem qui ea πάθη ſuſtinet, & cui accidunt, non ſubſiſtunt nec conſtant; niſi ſi fortè in Tragœdia & ſcena, cum Poëtę libuit ea πάθη σωματοποιεῖν, & Perſonam ex his efficere,

quam

quam ambulantem & ſermocinantem inducat. De Eumenidibus ſive Furiis aliter ſe res omnino habet. Ut Deorum cæterorum ita & horum Numinum Perſonas accipit è medio vitæ & religionis Poëta, non ex libidine fingit: Armat eas facibus & hydris, quia eorum ſimulacra in templis ita ornata & inſignita viſuntur. Jam diximus, ut ſimulacrum viſebatur in templis Numinis communi Gentium conſenſu recepti, ita Perſonam & in Theatro exhiberi. A vulgi opinione circa hæc non recedit Poëta, quia Religioni ſe accommodat populi, & cum placere ei velit, nihil abhorrens, aut alienum ab ejus perſuaſione & ſuperſtitione in ſcenam invehit. Sed quo riſu excipiendum, vel quo ſibilo explodendum, quod ſequitur in Definitione, *Furias in Tragœdia Perſonas eſſe quæ in animo conſiſtunt, & in ſcena ſi ſit opus, extra exhibentur*. An, quæſo te, aliter erat in Tragœdia perſona, quam in ſcena? Nonne Tragœdia, hoc eſt ipſa Fabula, vel ipſa dramatica ſcriptio, ad ſcenam tota comparata & inſtituta ita fuit, ut ei deſerviret? Aliterne Perſonas in Tragœdia inſtruebat Tragicus auctor, quam actor Tragicus eas induebat? Quæ ſingulis Perſonis Tragœdię ſuę dicenda & agenda dictavit Poëta, ea Hiſtrio in ſcena pronuntiabat, agebatque. Ubi ergò diverſitas Perſonæ in Tragœdia & in ſcena? *Furiæ*, inquit, *Perſonæ ſunt quæ in Tragœdia in animo conſiſtunt, in ſcena extrà animum.* Quas deſcripſit Auctor Perſonas, & quas exhibet Actor, invicem, ut puto, ſibi reſpondent; nec quidquam dicit Actor, quod Poëta non dictaverit. Multa autem inter utrumque intercedet differentia, ſi Perſonæ, quales formavit Poëta in Tragœdia, in animo ſolo conſiſtunt quales vero repręſentat Hiſtrio, extra animum ſunt. Explicet nobis hæc qui ſic ea implicavit. Ego ſane hæreo. Quo in animo conſiſtunt Perſonæ Tragœdiæ? An in animo Poëtæ? Atqui tales deſaltat Actor, quales animo ſuo eas concepit Auctor. Si in animo conſiſtunt, ut alibi videtur innuere, quia Religionis res ſit, quæ ab animo pendet colentium; non magis in animo hærebunt Poëtę qui ſcripſit, quam in animo Actoris qui geſtu eas exprimit, ac

voce

voce reddit. Uterque imitator eſt, tam rei quæ natura conſtat, quam quæ in animo conſiſtit, Poëta ſcribendo, Hiſtrio agendo. Eadem quippe eſt Perſona, quam adornat Poëta in Tragœdia, & quam in Scena ſpectandam dat Hiſtrio. Præterea perſonæ tam in Tragœdia quam in Scena, cum res ipſas quas imitantur, exhibeant, earum ipſarum imagines ſunt exiſtimandæ. Imago autem recedere non debet à prototypo ad quod expreſſa eſt, ſed fideliter illud reddere neceſſe habet. Si Furiæ autem Perſonæ affectuum ſunt, quandoquidem pinguntur & exhibentur armatæ hydris ac ſerpentibus, idem etiam affectuũ habitus eſſe debet. Scio quid ad hæc reſponderi poſſit. Sed cum Perſonas affectuum, id eſt Furias, in Tragœdia in animo dicat conſiſtere, oportet ut affectus ipſi in animo ſedes habeant. Atqui affectus animo extrinſecus accidunt quibus perturbatur, non in eo ſedes habent. Demus autem in animo affectus conſiſtere; an propterea ſequitur, ut Perſonæ in Tragœdia quę affectuum ſunt imagines, in animo conſiſtant? Perſonæ illæ hiſtriones ſunt, homines ſunt qui eas perſonas agunt. An & illi in animo conſiſtunt? Si conſiſtere concedimus, an probabile erit ut eædem perſonæ cum ſcenicus actor eas ſuſtinet, extra animum conſiſtant, quæ in animo non conſiſtebant in Perſonis Tragicis? Cum hæc ita ſint, atque ita καθ' ὑπερβολὴν abſurda, ut me pudeat Auctoris qui ea pronuntiavit, audet ille tamen inſerre quaſi re bene geſta, atque egregia reperta definitione: *Nec ſcholaſticam eam eſſe, nec operoſam, & quæ tamen plus quam ſimplicem interpretationem nominis contineat.* Facilè ſanè vidiſſem etſi non dixiſſet, nec operoſam eſſe, nec ſcholaſticam hujuſmodi definitionem, quæ explicat Furias in genere affectus eſſe, in Tragœdia perſonas in animo conſiſtentes, in Scena extra animum exhibendas. Euripidem nos audire jubet in Oreſte, ut ab eo intelligamus quam vera ſit ſupraſcripta Furiarum Definitio. Ex eo cum Menelaus quæreret,

Τί χρῆμα πάσχεις, τίς σ' ἀπόλλυσι νόσος;

Quid pateris, ecquod te mali adflictat genus?

Re-

Reſpondet Oreſtes:

Ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δειν' εἰργασμένος.

Hoc pereo, quod ſum conſcius ſceleris mihi.

Mala ergò conſcientia, ut Chriſtiani dicimus, eadem cum Furiis. Enimverò ea mala conſcientia, ut verbo utar Viri Clar. intus urgebat Oreſtem, cum intelligeret quantum ſceleris admiſiſſet in occidenda matre. Sed nihilo ſecius & Erinnyes eum in Scena exagitabant, cum ſerpentibus & facibus ardentibus, quas in ora ejus intentabant. Erinnyes illæ non internæ, ſed infernæ, quas & αἱματωπὰς & δρακοντώδεις κόρας eadem Tragœdia Oreſtis appellat. Dico igitur, ſunt quæ Oreſtem matricidam in Scena agitabant, ob parricidii ſcelus, conſcientia primùm ipſius interna, quæ omnes impios & facinoroſos cruciat, & Infernæ Furiæ, ab Inferis excitatæ, quas Deas ut ſcelerum vindices coluit Antiquitas, templiſque & aris proſequuta eſt. Nemo igitur eſt qui ex Tragœdiis Oreſtis hariolari poſſit, perpetrati facinoris conſcientiam & Furias eadem Definitione contineri. Vtroque genere vexabatur matricida, interno conſcientiæ tormento, & externo ab Eumenidibus ſive Furiis objecto. Nihil tamen magis urget, imprimit, inculcat tota illa Epiſtola V. Cl. quam Furias, hoc eſt Eumenides, *Flagitii culpæque conſcientiam eſſe ac pœnæ*. Quid ſit culpæ ac facinoris conſcientia ſcio; ſed quid eſt *pœnæ conſcientia?* Sic ait ille: *Definitum igitur, ſunt Furiæ, qua voce Chriſtiani pariter utuntur. Definitio, flagitii culpæque conſcientia ac pœnæ. A definitione non abhorrent Chriſtiani: an à definito abſtinuerint, videbitur.* Immò jam illi viſum eſt, cum in hac ipſa periodo, prima ejus parte dixit, *Definitum ſunt Furiæ, qua voce Chriſtiani utuntur*. Notanda autem inconſtantia in Definitionibus diverſis ejuſdem rei dandis. Hic Furias definit, *Conſcientiam culpæ, flagitii ac pœnæ.* Ad alteram mox tranſit Definitionem, ac ſcribit: *Quid ergo Furiæ? Animus ex conſcientia commiſſi ſceleris afflictus ac turbatus.* Atqui aliud eſt conſcientia ſceleris, aliud animus turbatus ex conſcientia ſceleris. Multi conſcii ſibi ſunt, & plurium quidem

criminum non unius, quorum tamen animus non ideo turbatus eſt nec adflictus. Alibi, affectus Furias eſſe ſtatuit. Turbatus animus non eſt affectus, ut ante diximus, ſed effectus τοῦ πάθους. Subjicit ſtatim, *Unde & divinitus à Græcis Furia ἐριννὺς, mens turbata aut diſtracta hic affectus eleganter dictus.* Videtur exiſtimare ἐριννὺν Græcis dictam eſſe quaſi ἔριν νοῦ, mentis diſcordiam. Et divinam hanc eſſe Etymologiam aſſerit. Quam divina ſit neſcio, quam & falſam eſſe ſcio; ſed nihil eam facere pro Definitione ſuperius allata, certum eſt. Immo contraria eſt. Diſtracta mens aliis affectibus potius convenit, quam conſcientiæ ſceleris admiſſi. Mens ejus verè diſtracta erat ac turbata quæ dicebat apud Poëtam,

——— Video meliora proboque,
Deteriora ſequor. ———

De ſcelere admittendo cogitabat, cum adhuc dubitaret an faceret. Qui altercante libidinibus pavore tremit, mentem diſtractam habet ac turbatam, non ex conſcientia ullius commiſſi facinoris adflictam. Idem eſt de cæteris variis adfectibus animum in diverſa trahentibus. Poterat igitur temperare ab illa Ἐριννύος, quantumlibet divina, originatione, cum Definitionem ejus de conſcientia ſceleris admiſſi deſtruat magis quam adſtruat. In Definitione autem danda Furiarum, nunc ſpeciem ponit, nunc genus, nunc effectum pro cauſa, & ſic non ſibi conſtat, nec quieſcit. Nihil ſanè pejus formidare videtur, quam ne quis credere animum inducat, Furias vel Eumenides olim pro Deabus fuiſſe cultas, templaque & aras habuiſſe. Nam ſi de hoc conſtiterit, non poſſit effugere quin maximum contra Scenæ leges peccatum commiſerit. Hujus peccati admiſſi conſcientia, illum quieſcere non ſinit, ſed animum ejus in omnes partes verſat, ut rimam reperiat qua elabatur. Sed occluſa ſunt omnia, tenetur. Nihil illum juvat quod de Mente bona, cui, Punici belli metu, delubra poſuere Romani. Non propterea *ſanæ mentis* & *mentis bonæ* vocibus abſtinere debemus nos Chriſtiani, quià Deas eas Romani fecerunt; nec hæc quæſtio

eſt.

eſt. Sed quæritur, an illius *Bonæ mentis*, ſicut Dea à Romanis facta eſt atque culta, perſonam induere ex decoro poſſet Judæus aut Chriſtianus Poëta, in Dramate argumenti quod totum eſſet ἰȣδαϊζον aut χριςιανιζον. Cum tàm ſeverè Præcepto Decalogi primo vetitum eſſet Judæis; cujuſcumque rei ſimulacrum ponere & habere adorandum; hoc etiam extendi Præceptum conſtat, ad Perſonas Deorum falſorum in Theatro exhibendas. Quemadmodum enim ex Auguſtino ſuprà probavimus, paria faciunt ſimulacrum Dei in delubro, & Perſona ejuſdem in Theatro. Ubicumque Dei aut Deæ repræſentatio exhibetur, ſive in Theatro, ſive in Scena, ſive quocunque alio loco ſiſtatur, venerationem ſui ſecum fert, & adorationem exigit. *Labrata* Principum, id eſt imagines, cum per orbem circumferebantur, eodem honore excipiebantur quo ipſi Cæſares, labratis nempe oſculis, quæ adoratio tunc fuit civilis, qua Auguſtos ſuos venerata eſt Romanitas. Dii nunquam in Theatrum prodibant, niſi adorandi. Tragicus Actor qui Perſonas eorum ſuſtinebat, quaſi ſimulacrum erat, & quidem vivens, ejus Dei quem agebat. Deum oſtendere qui non ſit excipiendus ut Deus, divinitatem eſt eidem abrogare. Cum Eumenides igitur in Theatrum producuntur, videndum eſt, qualis earum Perſona ſit, in quo habitu prodeant, & pro qualibus habendæ veniant. Si certum eſt nunquam à Veteribus in Scenam introductas, niſi ut Deas, quia & delubra tanquam Deæ habebant; non poſſe ne nunc quidem aliter induci & oſtendi, certo certius eſt. Deæ habebantur infernales, quæ motus animis violentos injicerent, furorem concitarent, diſcordiam facerent, & præterea etiam ſcelera punirent. Qui definit eas, conſcientiam ſceleris admiſſi, ſcire ipſe debuit non hoc unum munus & officium illis tribuiſſe, qui Deas crediderunt, ut in conſcientia ſola ſcelerum admiſſorum conſiſterent. Alecto apud Virgilium, nullius ſceleris ſibi conſcium Turnum, cum nihil minus ille quam de bello cum Trojanis gerendo cogitaret, imperio Junonis ab Inferis excitata, repentè amorem ferri in illo, bellique inſani-

am concivit; ut arma amens fremeret, arma toro, tectiſque requireret. Ipſe Poëta,

-------- ei triſtia bella
Iraſque inſidiaſque, & crimina noxia cordi

fuiſſe canit. Et alio loco de eadem, quam ſic Juno alloquitur, omneſque ejus artes & munia enumerat,

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis
Funereaſque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus.

Tot nomina, & tot poteſtates non conveniunt niſi Divæ & quidem potenti. Antiquitatis omnis peritus Poëta, non ignoravit Veteres Diis ſuis, quibus varias ac plures potentias tribuebant, etiam πολυωνυμίην dare. Hinc Diana apud Callimachum in Hymno petit à patre ſuo Jove, inter alia, ϗ πολυωνυμίην. Nam unicuique potentiæ ſuum nomen aſſignatur. Et proinde quæ πολυώνυμος, eadem & πολυδύναμος. Talem nobis deſcribit Virgilius Alecto, *cui nomina mille*, & *mille nocendi artes* dat. Furiæ igitur, ſive Erinnyes, Deæ Veteribus habitæ, irarum, inſidiarum, diſcordiarum, bellorum, tumultuum, ſeditionum, & aliorum plurium criminum & affectuum. Etiam ultrices, vindiceſque criminum, habebantur. Unde uni ex tribus nomen Τισιφόνη, quæ cædes vindicaret. Per figuram Antiquis uſitatam, ſæpe nomen Dei uſurpatum legere eſt, pro rei nomine, cui præſidebat, aut cujus inventor habebatur; ut Cererem Deam frumenti, pro pane: Bacchum Deum vini, pro vino: Vulcanum, qui igni præſidet, pro igne. Sic ergo & Deam diſcordiæ, pro diſcordia; ut cum Helenam vocat Virgilius Patriæ atque Aſiæ communem Erinnyn. Sed & ἐριννὺς antiqua voce Græca, nihil aliud ſonat quam diſcordiam. Nam idem videtur quod ἔρις. Sed Pauſaniæ credimus, qui ἐριννῦς à verbo ἐριννύειν dictas ait, quod dialecto Arcadum, *iræ indulgere* ſignificabat. Inde Ceres cognominata ἐριννὺς, id eſt irata. Hinc etiam, irarum Deæ Erinnyes habebantur. Virgilius de Alecto dicit, iraſque inſidiaſ-

que

que ei cordi eſſe. Furiæ, Deæ furiarum ac furoris. Nam inter alias nocendi artes ac poteſtates, furioſos facere putabantur. Inde Furiæ. Furiæ quippe ſunt μανίαι. Hinc violenti etiam atque inſani affectus omnes & appetitus, Latinis Furiæ. Vnde illud, *In Furias ignemque ruunt.* Et verbum *Furiare*, in furorem impellere, Horatio. Apud Poëtam Græcum, de eo qui inſanum in modum amaret, ἀλλ' ὀλοιῆς μανίης. Græci etiam μανίας eas vocarunt, ut ex Pauſania infra oſtendemus. Hujuſmodi Furiarum furorumque concitatrices cenſebantur Græcæ Erinnyes, quas propterea Latini, *Furias* vocavere. Nunc aptemus definitiones V. Cl., ut videatur an quadrent. *Furiæ*, inquit, *flagitii culpæque conſcientia ac pœnæ*. Et paulo poſt: *Quid ergo Furiæ? Animus ex conſcientia ſcelerum turbatus & afflictus.* Jam quærendum ab illo, an unquam apud Latinum Auctorem quempiam legerit *Furias* pro conſcientia facinoris admiſſi? ut Cererem pro pane vel victu triticeo legere eſt, & Bacchum pro vino, & Venerem pro voluptate, & Amorem pro cupidine. Iram, quæ brevis eſt inſania, alioſque rationi non parentes affectus, hoc nomine ſæpè Auctores nuncupant. Loci ex Prudentio ab ipſomet allati, id oſtendunt; ut in commiſſione Patientiæ atque Iræ,

------ *Furias omnemque malorum*
Militiam, & rabidas tolerando extinguere vires.

Furioſam etiam libidinem ſic vocat;

Nec jam Chriſticolas, Furiarum maxima, tentes.

Qui phyſiologicas rationes ſequuti ſunt, tres affectus in homine potentiſſimos & maximè inſanos, *Furias* illas eſſe Veterum, interpretati ſunt. Non aliis utar teſtimoniis quam quæ ab ipſo V. Cl. allata ſunt. *Tres igitur affectus qui in omnia facinora præcipites agunt homines, ira, cupiditas, libido. Propterea Poëtæ tres furias eſſe dixerunt, quæ mentes hominum exagitent. Ira ultionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates.* Quæ omnia eo conſilio attuli, ut conſtet definitionem V. Cl. quæ Furias, τὸ κακὸν συνειδὸς, interpretatur, planè claudicare; nec certam nec ple-

Digitized by Google

nam eſſe. Primùm ad divinitatem earum, quam certum eſt Veteribus fuiſſe creditam cultamq;, nihil pertinet, ſed ſolam tangit Phyſiologicam interpretationem. Cæterùm nec eam totam complectitur, quod Definitio recta debet, ſed unam tantum ex multis partem. Inter alia officia & poteſtates quas Eumenidibus tribuit antiqua ſuperſtitio, etiam punitio eſt ſcelerum. Inde & Ποιναὶ dictæ. Hinc illud Poëtæ,

Quare facta virum multantes vindice pœna
Eumenides.

Quia autem nemo major eſt criminis admiſſi vindex, quam ille qui commiſit, dum ſuos intus gerit carnifices & tortores ex conſcientia facinoris ſemper animo obverſantes, & eum vexantes; hinc ſuas quemque impium Furias & Erinnyas in pectore proprio circumferre, rectè plures Veterum dixerunt. Inde illa ſunt Ciceroniana, *Suam quemque fraudem, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſuam audaciam, de ſanitate ac mente deturbare, & has eſſe impiorum faces & furias*. Sed hic non quærimus phyſiologicas iſtas de Diis, id eſt naturalium rationum, interpretationes. *Quaſi vero*, ut cum Auguſtino loquar, *nos in hac diſputatione phyſiologiam quæramus, id eſt rationem non Naturæ, ſed Dei. Quamvis enim*, inquit ibidem, *qui verus Deus eſt, non opinione, ſed natura ſit Deus; non tamen omnis natura Deus eſt, quia & hominis & pecoris, & arboris, & lapidis utique natura eſt, quorum nihil eſt Deus*. Mater Deûm, quam conſtat inter præcipua Numina priſcis fuiſſe conſecratam, quæ & Rhea, & Ops, & Idæa dicta eſt, ſecundum iſtas interpretationes, Terra eſt. Sed quod habebat ſacerdotes, quod aras, quod templa, hoc nihil ad terram pertinebat; ſed ad divinitatem falſam, quam ſuperſtitio excogitaverat. *Saturnum ſuos filios devoraſſe*, inquit idem Auguſtinus, *ita nonnulli interpretantur quod longinquitas temporis, quæ Saturni nomine ſignificatur, quidquid gignit, ipſa conſumat: vel ſicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad ſemina, quæ in terram de qua oriuntur, iterum recidant*. Hinc differentia exorta eſt Theologiæ naturalis & civi-

Digitized by Google

civilis: quod Philoſophi omnes illa Numinum civilium nomina, poteſtates, actiones ad naturam rerum referrent, & per naturales rationes ea explicare conarentur. Et nullum certè Numen apud Gentiles, civili Religione cultum fuit, quod non eo modo quem dixi, phyſiologico, Philoſophi interpretati ſint. Hinc falſitatem & fœditatem ſacrorum quibus Dii ſui colebantur, excuſabant & purgabant Chriſtianis, quod haberent interpretationes ſuas, & rationes ad rerum naturam referendas. Alios ſe habere dicebant naturales Deos, qui ad Mundum accommodati eſſent, cum fabuloſi Theatro dati eſſent, civiles Urbi. Sed rectè contra illos diſputans Auguſtinus, ait, nihil illis humanam, licet multiplicem ingentemque, doctrinam in his anguſtiis ſuffragari. Nam naturales Deos cum colere cuperent, civiles venerari cogebantur. Sic nunc Viro Cl. dicimus, nihil illum multiplicem quam jactat, incomparabilemque eruditionem, in his anguſtiis adjuvare. Cuperet nobis Eumenidas phyſiologicè interpretari, ſed cogitur fateri Deas fuiſſe æquè bona fide, & ſincera ſuperſtitione ab Antiquis cultas; quàm quodlibet aliud Numen templis, ariſque & ſacerdotibus ſacriſque honoratum. Ità excuſat & purgat factum ſuum, quod Tiſiphonem cum ſororibus in Theatrum Judaicum introduxerit: non ſe Deas aliquas dicens induxiſſe, ſed affectus, ſed conſcientiam ſceleris & pœnæ. Ita certè & Jovem potuiſſet in illud idem Theatrum inducere, Junonem, Matrem Deûm, Mercurium, Apollinem, & quem non aliorum Deorum? Ità ſanè Jovem potuit definire pluviam eſſe; ut Furias ſive Eumenides definivit, conſcientiam eſſe culpæ ac pœnæ. Hinc & Poëta herbam arentem *ſupplicare pluvio Jovi* dixit, quę imbrem deſiderat. *Neque enim quod ſcriptum eſt*, inquit alius Chriſtianus Scriptor, *atque in prima eſt poſitum verborum fronte, id ſignificatur, & dicitur: ſed allegoricis ſenſibus, & ſubditivis intelliguntur omnia illa ſecretis. Itaque qui dicet, cum ſua concubuit Iuppiter matre, non inceſtas ſignificat aut propudioſas Veneris complexiones, ſed Iovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat.*

Eu-

Eumenides inter alias poteſtates ac δυνάμεις, quas divinitati earum attribuit Civilis & Poëtica Theologia, malæ & facinoroſæ conſcientię vexationem ſibi vindicabant. Non tamen propterea liceat Furias, præcipuè cum Deæ intelligendæ ſunt, ex Poëtarum & vulgi ſententia, definire illas pœnæ & culpæ eſſe conſcientiam, ut fecit V. Cl. Ut nomen Latinè ſonat, furiarum Deæ ſunt ac furorum. Multa alia Numina μανιοποιὰ cognoverunt Veteres, ut Bellonam, Martem, Bacchum, Cererem, Rheam: etiam inter minorum gentium & de plebe Deos, Nymphas ipſas. Unde & νυμφόληπτοι, qui Latinis *Lymphatici*. Cum Cicero autem dixit, ſuum cuique ſcelus, & fraudem, ejus furias ac faces eſſe, hoc eum velle interpretatur V. Cl.; *Poëtas, cum in Dramate inducunt Furias, non aliud repræſentare quam Perſonas* νοητὰς, *hoc eſt affectus, qui in Scena habitu humano & hoc apparatu exhibentur*. Suum illud quod in toto opere tenuit, hic etiam retinet, ut neget Eumenides Deas fuiſſe. Quod eſt ridiculum. Cum Poëtæ eas in Dramate inducunt, tanquam Deas oſtendunt, non tanquam affectus. Quis hoc ignorat? Quis item neſcit Poëticam Theologiam non diverſam eſſe à Civili. Hoc jam ſuprà probavimus. Poëta non facit Deos, ſed quos & quales invenit factos, in Scenam producit. Poëtarum Dii ad Theatrum facti ſunt: *Theatrum verò ubi eſt*, inquit Auguſtinus, *niſi in urbe? Quis Theatrum inſtituit niſi civitas? Propter quod inſtituit, niſi propter ludos ſcenicos? Ubi ſunt ludi ſcenici, niſi in rebus divinis, de quibus hi libri tanta ſolertia conſcribuntur*. Concludit igitur, & confirmat ubique, Poëticos Deos non alios eſſe à Civilibus; communi vulgi errore tales in urbibus, & apud gentes creditos. Quod ſanè veriſſimum eſt. Mirum vero quod ait V. Cl. Furias, ſive Eumenidas in Dramate eſſe affectus, id eſt Perſonas νοητάς. Quid eſt Perſona νοητή; An Perſona, in mente eſt tantum & cogitatione, quę corpus habet, quę ſpectanda deſcribitur? In Scena vero Perſonas illas νοητὰς *habitu humano* exhiberi dicit. Ecce Eumenides, quæ Perſonæ νοηταὶ ſunt in Dramate, in Scena homines ſunt, id eſt ſub humano habitu exhiben-

hibentur. Quis hoc explicabit? Et tamen idem eſt, quod ſupra dixit, *Furias in genere affectus eſſe, in Tragœdia Perſonas in animo conſiſtentes, in Scena extra animum conſiſtere*, in habitu nempe humano & corpore accepto. Sic Furiæ extra Drama affectus ſunt, in Dramate intelligentiæ, vel Perſonæ intelligibiles, in Scena Perſonæ ſenſibiles, ſive viſibiles. Vix poſſunt aliter ejus verba conſtitui, nec mens conſtare. Sed ſuperat omnem abſurditatem quod Scenam à Dramate ſeparat; cum Drama ad Scenam factum ſit, & propter Scenam, & in Scena pronuntietur, & agatur. Perſona quam deſcripſit Poëta, non eſt Perſona niſi in Scena. Et Perſona quæ in Scena agitur, id quod eſt, à Poëta accipit. Perſonam format in Dramate, ut ſpectetur in Scena talis, qualem in Dramate inſtituit. At ſi credimus Tragico noſtro, nullibi quaſi Deæ conſiſtunt Eumenides, ne in Theatro quidem. In genere ſunt affectus. Quid eſt genus? An quod opponitur ſpeciei, & eam continet? In Dramate ſunt Perſonæ humanæ, hoc eſt, ſub humano habitu repræſentatæ. Ergò nullibi Deæ Eumenides: neque in genere, quod quid ſit neſcio, neque in Dramate, neque in Scena. Atqui Drama paſſim eas indigitat Deas:

Τὰς δ' αἱματωπὺς, τὰς δρακοντώδεις θεάς.

Item alius:

Σεμναί τε θεῶν παῖδες ἐριννύες,
Τὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε,
Τὺς τὰς εὐνὰς ὑποκλεπτομένυς,
Ἔλθετ' ἀρήξατε, τίσασθε πατρὸς
Φόνον ἡμετέρυ.

Hos verſus citavit Balſacius, cum aliis Veterum Poëtarum teſtimoniis, quibus evinceret Eumenides Deas eſſe, antiquitati fuiſſe perſuaſum. Reſpondet ad iſta Sophoclea V. Cl. *Quaſi non ut Poëta loquatur: aut ſi Deas eſſe credidit cum ſuis, idem credant Chriſtiani: aut ea voce hac de cauſa abſtinendum ſit.* Certè, ut Poëta loquitur, quia Poëta eſt; ſed certum eſt, ex perſuaſione vulgari, quæ de Deabus Eumenidibus tunc apud omnes obtinebat, loquutum. Male autem dubitat, an has Deas

 credi-

crediderit Sophocles: *Aut ſi Deas eſſe*, inquit, *credidit*. Quis dubitet credidiſſe, cum tam diſertè & planè ea verba ſuperius allata, id ſignificent? Invocat ibi quæ loquitur, Eumenides, quas & Deas vocat, ut cædem patris ſui ulciſcantur, ut ſubſeſſorem lecti alieni puniant, & nullo jure cæſos reſpiciant. Hæc divinæ planè potentiæ argumenta ſunt, quæ non conveniunt niſi magnæ & indubitatæ, legitimæque divinitati. *Aut quaſi*, inquit, *idem credant Chriſtiani*. Nemini ſanè dubium eſt, non idem credere Chriſtianos. Sed de hoc non agitur, ut neque de illo, *An hac de cauſa nomine Furiarum, abſtinendum ſit Chriſtianis*. Alioquin & Dei appellationem vitare deberent, quia Gentilitas ea abuſa eſt, profanando ac polluendo nomen numenque veri Dei, quod cum tot falſis & adulterinis Deis communicarunt. Sed de his infrà adhuc videbitur. Non ſunt profectò affectus, qui invocantur in illis verſibus Sophoclis, ad vindicandam Agamemnonis cædem, & puniendum Ægiſti ſcelus. Quod autem magnus Criticus, ſimul & magni ſpiritus Poëta teſtimonium Sophoclis de Deabus Eumenidibus elevat, atque eludit, eo nomine quod Poëta fuerit, quid dicet de tot delubris ac templis, quæ in variis Græciæ locis, Eumenidibus conſtituta ſunt? An à Poëtis poſita arguet? An affectibus contendet condita, non Deabus? Athenis in Areopago Σεμνῶν θεῶν delubrum fuiſſe, Atticarum rerum Scriptores paſſim teſtantur. Sic enim Athenienſes eas Deas vocabant, quas alii Græci ἐριννύς, & ita Heſiodus appellat. Pauſanias in Atticis: πλησίον δὲ ἱερὸν θεῶν ἐστιν, ἃς καλοῦσιν Ἀθηναῖοι Σεμνάς. Ἡσίοδος δὲ Ἐριννῦς, ἐν Θεογονίᾳ. Non Poëta aliquis delubrum illud iis primum conſecravit; ſed Religio antiqua. Immo ſimulacrum earum quod in eo delubro videbatur, longè alio habitu fuit, quam quomodo à Poëtis deſcribuntur. Tradit quippe Pauſanias, primum Æſchylum dracones crinibus illarum in capite immiſcuiſſe: cum vulgò ſimulacra quæ iis ſtatuebantur, nihil tale haberent, nec quidquam aliud terrificum, ut mos fuit, poſtea affingi ſtatuis infernalium Deorum: Πρῶτος δὲ σφίσιν, inquit, Αἰσχύλος δράκοντας ἐποίησεν

ὀμοῦ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ θριξὶν εἶναι· τοῖς δὲ ἀγάλμασιν οὔτε τούτοις ἔπεστιν οὐδὲν φοβερὸν, οὔτε ὅσα ἄλλα ἀνάκειται θεῶν τῶν ὑπογαίων. *Primus Æſchylus earum comas ſerpentibus implicitas eſſe finxit, cum tamen nec illarum ſimulacris, nec aliorum Deorum infernalibus, quæ ibidem dedicata ſunt, quicquam inſit quod terrorem incutiat.* De facibus nihil dicit. Apparet ergo Æſchylum primum omnium, ſolas ſerpentes capiti Eumenidum addidiſſe. Quinetiam inde poteſt colligi non Poëtas Eumenidum numen prodidiſſe, ſed ab antiquis religionum auctoribus inventum, quo habitu voluerunt ornatas in theatrum induxiſſe. Sicyonii Εὐμενίδας vocabant, ut Athenienſes, Σεμνὰς θεὰς, templumque & aras eis poſuerant, feſtumque anniverſarium celebrabant, in quo ſacra faciebant ovibus prægnantibus, & mulſum libabant, floribuſque ſolutis pro ſertis, id eſt corollis, utebantur. Idem Pauſanias in Corinthiacis: καὶ ἐν ἀριστερᾷ διαβᾶσι τὸν Ἀσωπὸν, ἔστιν ἄλσος πρείνων καὶ ναὸς θεῶν, ἃς Ἀθηναῖοι καλοῦσι Σεμνὰς, Σικυώνιοι δὲ Εὐμενίδας ὀνομάζουσι. κατὰ δὲ ἔτος ἕκαστον ἑορτὴν ἡμέρᾳ μιᾷ σφίσιν ἄγουσι θύοντες πρόβατα ἐγκύμονα, μελικράτῳ δὲ σπονδῇ καὶ ἄνθεσιν ἀντὶ στεφάνων χρῆσθαι νομίζουσι. *Et ad lævam tranſmiſſo amne Aſopo occurrit lucus ilicibus conſitus, ubi templum Dearum quas Athenienſes* Σεμνὰς, *id eſt, Reverendas, Sicyonii* Εὐμενίδας, *id eſt, Faventes nominant. His quotannis ſtato die ſacra faciunt ovibus prægnantibus, mulſumque libare, ac floribus, corollarum vice, uti inſtitutum habent.* Numquid Poëtæ hoc ilicetum quod in agro Sicyonio fuit, & fanum, & ſacra, feſtumque diem, Eumenidibus inſtituerunt? In terra Attica, in pago Phlyenſium, templum fuit quod habebat aras Cereris Aneſidoræ, Jovis Cteſii, Minervæ Tithrones, & Proſerpinæ Primigeniæ, & Dearum quas nuncupabant Σεμνὰς. Καὶ Σεμνῶν ὀνομαζομένων θεῶν. Non ponebantur aræ niſi Diis aut Deabus; nec ararum porro uſus fuit, niſi ad ſacrificandum. Non autem ſacra fiebant, niſi iis, qui pro Diis haberentur. Quæro, an aræ illæ Σεμνῶν θεῶν, in Attici ſoli templo, affectibus conſecratæ fuerint, vel conſcientiæ malæ? Codro regnante Athenis Melanthi filio, Lacedæmonii cum Athenas veniſſent, confugerunt ſupplices in Areum pagum,

 ad

ad aras Eumenidum. Pauſanias in Achaicis: Λακεδαιμονίων δὲ ἄνδρες γινόμενοι μὲν ἐντὸς τείχους λανθάνουσιν ἐν τῇ νυκτὶ, ἅμα δὲ ἡμέρᾳ, τούς τε ἑαυτῶν ἀπεληλυθότας αἰσθάνονται, καὶ ἀθροιζομένων ἐπ' αὐτοὺς τῶν Ἀθηναίων καταφεύγουσιν εἰς τὸν ἄρειον πάγον, καὶ ἐπὶ θεῶν αἱ Σεμναὶ καλοῦνται τοὺς βωμούς. *Confugiunt ſupplices in Areum pagum, ad aras earum Dearum, quæ vocantur* Σεμναί. Hæ ſunt, ut omnes ſciunt, Eumenides, & ſic Oraculum Dodonæum eas indigitavit, cum Athenienſes monuit, ut ſupplicibus Lacedæmoniis, cum bello preſſi ad eas refugerunt, veniam darent:

> Φράζεο δ' Ἄρειόν τε πάγον, βωμούς τε θυώδεις,
> Εὐμενίδων ὅτι χρὴ Λακεδαιμονίους σ' ἱκετεύσαι
> Δουρὶ πιεζομένους.

In Cerynæo agro Achaïæ, delubrum etiam fuit Eumenidum, ab Oreſte conditum, teſte Pauſania. An Oreſtes delubrum illud ſacravit conſcientiæ ſuæ? In illud fanum ſi quis ingredi vellet, cædis ſibi conſcius, aut alterius facinoris, ſtatim mente deturbari ſolebat, ut idem perhibet. In Meſſenienſi regione, haud longe à Megalopoli Arcadiæ Dearum Furiarum, quæ eædem cum Eumenidibus erant, delubrum viſebatur, auctore eodem Pauſania, qui Μανίας vocat. ἐκ δὲ Μεγάλης πόλεως ἰόντι εἰς Μεσσηνίαν, καὶ σταδίους μάλιστα προεληλυθότι ἑπτὰ ἔστιν ἐν ἀριστερᾷ τῆς λεωφόρου, θεῶν ἱερόν· καλοῦσι δὲ καὶ αὐτὰς τὰς θεὰς, καὶ τὴν χώραν τὴν περὶ τὸ ἱερὸν Μανίας. Δοκεῖ δέ μοι θεῶν τῶν Εὐμενίδων εἶναι ἐπίκλησις, καὶ Ὀρέστην ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρὸς φασὶν αὐτόθι μανῆναι. *A Megalopoli verſus Meſſeniam tendenti, & ſtadiorum haud amplius ſeptem ſpatium progreſſo, extat ad lævam viæ publicæ Dearum fanum, quas Deas, ut & circum qui jacet agrum, Manias vocant.* Id eſt, Furias. *His, ut puto, Eumenidum eſt appellatio, eoque in loco Oreſtem ob cædem matris, in furorem datum memorant.* Sic variis in locis Græciæ varia etiam nomina ſortitæ ſunt Eumenides: alibi Μανίαι, unde Latinis Furiæ, quia μανία eſt furor: alibi Ἐριννύες, quia ἐριννύειν Arcadica voce, eſt iræ indulgere: alibi Εὐμενίδες: alibi autem Θεαὶ Σεμναὶ. Orpheus in illo carmine quo docet quibus Diis qui odores in ſacris incendi debeant, Eumenides aromatis placari ſcripſit, Εὐμενίδων θυμίαμα ἀρώματα. Et ſic hymnum earum exorditur:

Κλύ-

Κλῦτέ μοι Εὐμενίδες μεγαλώνυμοι εὔφρονι θυμῷ,
Ἁγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθονίοιο
Περσεφόνης τ' ἐρατῆς κούρης καλλιπλοκάμοιο.

Filias eas facit Ditis patris & Proſerpinæ. Alibi Proſerpinã vocat, εὐμενίδων γενέτειραν, matrẽ Eumenidum. Alii aliter eas γενεαλογοῦσι. Sed ea de re hic quęſtio non eſt. An Deæ veteribus creditę fuerint agitur. De earum numine hæc quæ jam poſuimus dubitare non ſinunt, ut nec alia plura, quæ jam congeſſit Balſacius. Ita Deæ in genere fuere, in vita, in Dramate, in Scena. Divinitatem earum undiq; explodit V. Cl. ac ne in Theatro quidem cum divino ſchemate conſtitiſſe vult, ſed humanum habitum eis tribuit, aitq; *Poëtas cum in Dramate inducunt Furias, non aliud repræſentare quam perſonas ποιητὰς, id eſt, affectus, qui in ſcena habitu humano, & hoc apparatu exhibentur.* An furialis habitus, humanus eſt? Fidenates aliquando contra Romanos pugnaturi, hoc habitu conſtiterunt, ſed ab humano eum diſtinguunt Auctores. Hæc verba Flori ſunt l. 1. c. 12. *Fidenates, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armati, ac diſcoloribus, ſerpentis in modum, vittis, furiali more proceſſerant. Sed habitus ille feralis everſionis omen fuit.* Ubi notandũ feralem habitũ Eumenidũ Floro dici, quia atratæ. Μελαίνας eas vocat Pauſan. Sic primo apparuerunt Oreſti, poſtea λευκαὶ, ubi conſaneſcere cœpit, id eſt, candidatæ. Dixerat Cicero, *Agitant & inſectantur impios Furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ.* Hæc attulerunt ut probarent Deas non fuiſſe Furias Ciceroni. At vel eo teſte fuere Deæ in Fabulis. Fabuloſa autem Theologia, & popularis non differebant. Unde enim vulgares gentium Dii niſi ex Fabulis? Unde vice verſa Fabulæ, niſi à populo qui tales Deos ſibi finxit? *Quod de Furiis*, inquit, *dixit Cic. hoc de Iove illi, de Iunone, Marte, qui ad claſſem longe aliam ſpectabant, quarum cultu tuti Remp. Rom. ſerio exiſtimabant, numquam excidiſſet.* Quaſi vero non de Jove, Junone, Marte, & aliis ejuſdẽ claſſis Diis, non idem dixerint claſſici pleriq; Auctores. Ecce tibi Maro qui Jovẽ *conjugis in gremium plurimo imbre deſcendere* cecinit. Ecce tibi Naſo, qui herbã arentẽ, Jovi pluvio ſupplicare ait:

 Et

Et pluvio ſupplicat herba Iovi.

Ecce tibi Flaccus, *qui poſitas nives puro lumine glaciare Jovem* cantillat. Et alio loco, *Manere ſub Jove frigido venatorem* ſcribit. Juppiter ille frigidus ſub quo manet venator, nonne aër eſt, ut idem plane ſit *ſub Jove durare* & *ſub dio manere?* Qui Martem pro bello vocat, qui Cererem pro victu, Bacchum pro vino, Neptunum pro piſcibus, nonne idem de his Diis dicit, quod Cicero de Furiis? Ipſe ille Virgilius dum Irim, Dearum nuntiam, & præcipue Junonis, deſcribit, quam & Deam appellat, *Mille coloribus arcum trahere illam ſub nube* memorans, non aliam facit ab arcu cæleſti. Sæpenumero ſane non ſolum Philoſophi, ſed etiam Oratores, ſed etiam Poëtæ, & de vulgo multi ſagaciores viderunt Deos ſuos eſſe fabuloſos & falſos, & ſub allegoricis ſenſibus, & phyſiologicis aliud quid eſſe & latere quam quod vulgo coleretur. Satyricus qui dixit: *Stygio nigras in gurgite ranas, nec pueros credere, niſi qui nondum ære lavarentur*, quid de Diis, rogo te, ſentiebat? Quos in ſcripto tam confidenter negabat, in templo cum aliis colebat. Quam multos putas hoc idem nunc facere de Deo uno & vero? V. Cl. non abit ab iſtorum more longius. Eumenides Deas negat in Epiſtola, in Tragœdia Deas facit. In Epiſtola affectus eſſe contendit, & morſum conſcientiæ ex ſceleris perpetrati recordatione: in ſcena tanquam Deas inducit. Philoſophus ille qui allegorico & Phyſiologico ſenſu Deorum nomina eſſe interpretanda in Academia vel Lyceo diſſerebat, eorumdem numina ſimulacris & aris in templo conſecrata venerabatur, prece, ture, & victima. Ita Erinnyas affectus eſſe, in Epiſtola ima & ſumma chorda reſonans, nobis occinit V. Cl. in Tragœdia eaſdem, ut Deas, timendas, reverendas, & colendas introducit. Si Tragœdia eſſet Palliata vel Romana, ferremus. Secundum ritus gentis unde argumentum Fabulæ petitum eſſet, Drama procederet, & decorum conſtaret. Nunc quum illa Tragœdia à Judæis ſit, ritus eorum ut & habitus in ea obſervare debuit Poëta. Atqui ille ipſe eſt V. Cl. qui ſummum ætatis ſuæ virum ambitioſe reprehendit, quod in Tragœdia Baptiſta, *ſocculos* nominaſſet in his verſibus:

Cui

Cui detrahendis ſervus etiam ſocculis indignus eſſem. Socco in Tragœdia locum non eſſe dicit. Ex Comœdia enim eſſe, & præſertim Palliata: Apud Romanos vero, geſtamen eſſe muliebre. Quanto magis peccat qui decorum in ritibus non ſervat, quam qui in habitu negligit? Rituum præcipua pars eſt Religio. Ergo & magis peccat, qui in Religione ab ejus legibus longius abit. Hac re præcipue Judaicæ & Græcæ Religionis differentia conſtitit, quod Græci, affectus humanos, in Deorum numina converterunt: ex vitiis & virtutibus & actionibus, rebuſque etiam vitæ neceſſariis Deos fecerunt. Nihil tale unquam Judæos factitaſſe compertum eſt, etiam tum cum inter Ægyptios multiplicium & ſtultorum numinum cultores, ſervirent. *Nec Lucinam*, inquit Auguſtinus, *mulieres eorum invocaverunt, quando earum partus ut miris modis multiplicarentur, & gens illa incredibiliter creſceret, ab Ægyptiorum perſequentium, & infantes omnes necare volentium manibus, ipſe Deus liberavit, ipſe ſervavit. Sine Dea Rumina ſuxerunt: ſine Cunina in cunis fuerunt: ſine Edulica & Potica eſcam cibumque ſumpſerunt: ſine tot Diis Puerilibus educati ſunt: ſine Diis conjugalibus, conjugati: ſine cultu Priapi conjugibus mixti: ſine invocatione Neptuni mare tranſeuntibus diviſum patuit, & ſequentes eorum inimicos fluctibus in ſe redeuntibus obruit. Nec conſecraverunt aliquam Deam Maniam quando de cœlo Mannam ſumpſerunt: nec quando ſitientibus aquam percuſſa petra profudit, Nympas Lymphaſque coluerunt. Sine inſanis ſacris Martis & Bellonæ bella geſſerunt. At ſine victoria quidem non vicerunt: non eam tamen Deam, ſed Dei ſui munus habuerunt. Sine Segetia ſegetes, ſine Bobona boves, mella ſine Mellona habuerunt, poma ſine Pomona. Et prorſus, omnia pro quibus tantæ falſorum Deorum turbæ Romani ſupplicandum putaverunt, ab uno vero Deo felicius acceperunt.* Integer locus fuit producendus ex Libro quarto de Civitate Dei, cap. 34. quia plurimum ad rem, qua de agitur, facit, & V. Cl. revincit, & confundit, donantem Deos è Græca ſuperſtitione arceſſitos, illi Genti quæ unum Deum norat. Addi quippe poteſt ad illa

Augu-

Auguſtini, Judæos & ſine Amore amaſſe, & ſine Erinnye in iras exarſiſſe, & ſine Tiſiphone cædes commiſſas in auctores ſuos vindicaſſe, & ſine Eumenidibus denique ſontes remordentem ſe conſcientiam, ad recordationem facinorum, ſenſiſſe. An minus Deæ, & minores Eumenides, illis Deabus quas Auguſtinus recenſuit, & à Judæis refutatas dixit, Nymphis & Lymphis, Cunina, Rumina, Edulica, Potica, Segetia, Bobona, Pomona, & aliis quæ ab illo ibi nominantur? Inter illam turbam infinitam Deorum falſorum quibus ſupplicaſſe Romanos, non ſupplicaſſe Judæos Auguſtinus dicit, an non Eumenides ſive Furiæ fuere? At non meminit earum Auguſtinus. Certe nec aliorum, numero carentium Numinum, quorum eadem ratio fuit, atque illorum quæ connumeravit illo loco Auguſtinus. His conſtitutis, & confirmata divinitate Eumenidum, jam videndum eſt quam recte ac convenienter & ex decoro, conjugium Angeli & Furiæ infernalis, in Herode Infanticida inſtituerit V. Cl. Angelus miniſter eſt Dei unius & veri, quem Judæa gens colebat; Tiſiphone una eſt ex Diis infernalibus quos coluere Græci. An hoc eſt ſecundum ritus Tragœdiam ſcribere, quod præcipiunt Critici, miſcere Deos ex diverſis Religionibus? Angelus ille qui Prologo Scenam aperit, invehitur in Deos Paganorum falſos, & *inuſitato crimini viam feciſſe*, *incertum errorem*, *fœdamque ignorantiam*, dicit. *Diuque multos inter & nullos Deos ſtetiſſe gentes.* Atqui inter illos multos gentium Deos, etiam Eumenides & Furias fuiſſe ex iis quæ diximus, & quæ Balſacius in Epiſtola ſua notavit, neminem latere poteſt. Deinde Angelus idem multis verſibus memorat, qui Dii, apud quas gentes culti vana falſaque ſuperſtitione fuerint. Scytharum, Babyloniorum, Syrorum, Ægyptiorum, Athenienſium, aliorumque Græciæ populorum Numina enumerat: uſque ad Panas, Faunoſque & Satyros delabitur recenſendos, minuta prorſus numina, & de plebe infimi ordinis.

—— Nec procul qua turbidum
Alto Cithæron verticem miſcet polo,

Ter-

Terramque pingui ſindit Iſmenos vado,
Euan vagatur: ſemivir Panum chorus
Et inſolentem Mænades cingunt Deum.

In quibus verſibus quæſiverim obiter cur *ſemivirum* Panum chorum dixerit, aut cur *ſemiviros* Panes appellaverit, quos conſtat virilibus ſupra modum inſtructos, pluſquam viros fuiſſe? Nam quis neſcit ſemiviros Latine dici de eviratis, & male viris? Sed de his, hoc tempore locoque litem movere nolo. Tranſit Angelus ad Romanorum ſuperſtitiones, & Deos falſos exagitandos:

Ubique Roma eſt, illa quos fecit Deos
Indixit orbi: Juppiter cælum tenet,
Neptunus undas, tertiam frater domum.
Nihil relictum eſt.

Hoc etiam, dum aliud agimus, hic notandum male à V. Cl. inter Romanorum peculiares Deos & quos ipſi fecêre, Jovem, Neptunum, & Ditem reponi, qui communes iis fuere cum Græcis. Niſi quis putet quia Romani Jovem nominarunt, non Δία, diverſum fuiſſe Numen, qui *Juppiter* Romanis appellatur, & qui Græcis Ζεὺς. Atqui *Juppiter* non aliud eſt nomen quam Ζεὺς πατὴρ. Nam inde factum. Licet autem Neptunus aliud nomen ſit quam Ποσειδῶν, idem tamen numen eſt. Similiter Πλούτων & Dis, hic Romanorum, ille Græcorum. Is tertia regna ſortitus à Græcis primo dictus eſt, deinde à Romanis, qui ab his acceperunt. Non igitur hos Deos fecêre Romani, quos orbi à ſe domito indicerent, ſed à Græcis acceptos, eodem cultu quo Græci proſequuti ſunt. In tertia illa Ditis ditione fuere Eumenides, ipſius Ditis & Proſerpinæ filiæ. Nonne ergo mirum eſt in eodem Dramate, ubi iſta proloquitur Angelus contra Græcorum & Romanorum Deos, Tiſiphonem induci quæ ex Deorum illorum numero fuit? In una eademque ſede morabitur, loquetur, perſonam aget, Angelus, qui falſos Deos explodit atque exterminat, cum Eumenidibus quas non ſolum è theatro, ſed etiam è mundo Angelus ille exturbavit? Enumerans ille variarum gentium ficticios

Deos, potuit inter Athenienſium religiones, etiam Eumenides illas recenſere:

Illic opertos Atthis inducit choros,
Sacraſque Eleuſis jactat in flammam faces.

In nobiliſſima Athenarum parte, hoc eſt, Areopago, fanum, aras, ſimulacra, habuere Eumenides, ſive Furiæ, quas θεῶν Σεμνῶν nomine coluerunt. Quanta in reverentia eas habuerint, vel de nomine liquet. Nam σεμνὸν idem quod *reverendum*, & ſic dicitur pro σεβνὸν, à verbo σέβειν. Nam β & μ apud Græcos ſæpe mutantur, ut βύρμηξ & μύρμηξ idem, & alia quæ non hic notabuntur. V. Cl. σεμνὰς Latinè perperam reddidit *ſplendidas*, & citat *ſplendida* Horatii *arbitria*. At *ſplendidus* eſt λαμπρὸς, non σεμνὸς. Hinc *ſplendidi* Equites Romani, οἱ λαμπροὶ, illuſtres & conſpicui. Nam σεμνότης aliud eſt quam λαμπρότης. Hæc minuta ſunt, & vix digna quæ carpantur, præ illis quorum nunc cenſuram agimus. Eumenides Paganorum Deas, cum Angelo unius Dei verique, ſicut ab Hebræis colebatur, miniſtro ac nuntio, in eadem Scena conſiſtentes, non tanquam Deas ſe induxiſſe prædicat, ſed tanquam affectus. Ita factum defendit. Præterea, Furias etiam ab Hebræis cognitas fuiſſe contendit. His pœnæ animi quæ in vindictam immittuntur פורעניות *Furanioth*, à פרע *Fara*, quod vindictam denotat, mirifice dicuntur, *Fara*, *Furo*, *Furor*, *Furia*. Hæc enim verba ſunt profecto mirifica. Ergo Hebræi *Furias* cognoverunt, quia *Fara* apud eos vindicta eſt. Ergo recte fecit, & ex decoro, quod Furias in Scenam Judaicam induxit. Sed quoniam de nomine pugnat, an Tiſiphonem cum ſororibus ſuis, Megæra & Alecto, ab Hebraica Lingua poterit deducere? Non enim ſatis eſt Furiarum appellationem inde arceſcere; ſed cum Tiſiphonem nominatim, ſororeſque ejus Megæram & Alecto, in hoc Theatrum produxerit, nomina etiam earum Hebraica eſſe debent, & Hebraicam habere originem. Hærebit hic illi aqua. Non dubitat tamen poſt illam egregiam & mirificam *Furanioth* & *Fara* cum Furiis comparationem, ita magnifice ſe inferre & gloriari, Balſacioque in os ingerere talia:

lia: *Dubitare ergo per me deſinat an Furias agnoverint Hebræi.* Confecta jam res eſt, atque extra aleam poſita. *Fara* eſt vindicta Judæis. Ergo *Furias* agnoverunt. Sed ſenſit tamen ſtatim, reſponderi à Balſacio poſſe, Deas non eſſe habitas Judæis illas *Furanioth*, ideo hanc objectionem, ſi fiat, ita prævenire ſatagit, eique ſatisfacere. *Quod ſi Deas*, inquit, *negat habitas ab iis, idem de Romanis, libro de Natura Deorum tertio, reſpondebit Cicero: idemque & de Græcis diſerte dicet Clemens, qui eas eſſe affectus, non Deas teſtantur.* Ridicula ſolutio. Clemens negavit Deas eſſe Eumenides; Tragicus noſter, Deas eas induxit in Scenam; Ergo quas ut Deas induxit V. Cl. non ſunt Deæ, quia Clemens negavit Deas. Petrus eſt idololatra, quia pro Deo colit eum qui Deus non eſt verus. Sed Johannes negat Deum eſſe qui à Petro colitur, ſed affectum eſſe affirmat; Ergo Petrus non eſt idololatra, quia non tanquam Deum illum colit, qui à Joanne Deus eſſe inſiciatur. Certe Clemens ut Chriſtianus, non ſolum de Eumenidibus negat, Deas illas eſſe, ſed de omnibus Gentium numinibus hoc idem aſſerit. Nec minus Arnobius, nec minus Auguſtinus. Ipſe Clemens loco à V. Cl. citato, Lunam & Solem, hoc eſt, Apollinem & Dianam, haud minus inficias ivit Deas eſſe quam Eumenides: Idem & de Parcis ibidem autumat, ὕτως ὐδὲ ἥλιος, ὐδὲ σελήνη, ὐδὲ Ἐριννύς, ὐδὲ εἱμαρμένη. Quod ad Ciceronem attinet in libris de Natura Deorum, is quem loquentem ibi inducit, more Philoſophorum de Diis φυσιολογεῖ. Nec magis divinitatem Furiis detrahit, quam reliquis Numinibus, quæ maximo tum cultu à Romanis celebrata ſunt. *Si Furiæ*, inquit, *Deæ ſunt, Natio quoque Dea putanda eſt, cui, cum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere ſolemus.* Negat ille Deam Nationem eſſe, cui tamen fana in agro Ardeati ſe circuire ſolitum dicit, & rem divinam facere. Negabat verbo Deam, quam re ipſa fatebatur talem, dum ei rem divinam faceret, ejuſque fanum circuiret. Idem eſt de noſtro Auctore. Eumenides affectus fuiſſe pronunciat, omni eis divinitate abrogata, & tamen tanquam Deæ ſint in Theatrum eas ab inferis traducit, vimque

divinam plane illis attribuit. Quod ſi conſcientia ſcelerum uri intus animum Herodis facibus ardentibus dixiſſet, & quoties facta reputaret, flagella mentis ſonare, & ultrices videre furias, ſuoſque intra pectus tortores ſentire, tum ſane Furias deſignaſſet, & pro affectibus oſtentaſſet. Verum, dum ab inferis eas excitat, ubi ſedes habere exiſtimantur, tanquam Proſerpinæ & Ditis filiæ, dum ſerpentibus eas comatas inducit & facibus armatas, non poteſt effugere, quin Dearum habitu illas exhibeat. Aliter ſentit Philoſophus, cum de Deorum natura ἀλληγορικῶς & φυσιολογικῶς diſputat, aliter Poëta qui Theatro ſe accommodans, ex vulgi opinone, eos in Scenam inducit. Hic Deos plane repræſentat, quales & populo creduntur: ille talem eorum naturam deſcribit qualem revera eſſe cenſet, ac debere credi exiſtimat. Affectus conſecrarunt Græci, non Judæi. Non nudos affectus, ut Judæi facerent, ſed conſecratos in Eumenidibus exhibuit Heinſius. Fruſtra autem eſt quod argutatur ab omnibus affectuum, virtutum & vitiorum nominibus Chriſtiano abſtinendum fore, ſi nimis in his fuerimus religioſi, vitantes nimirum ea nominare, quæ in Deorum numerum retulit antiquitas pagana. Nemo hoc dixit, & contra umbram ſuam rixatur. Aliud nomen eſt ſimplex, aliud numen factum ex nomine. Ipſorum Deorum Gentilium nomina, Chriſtianus inter loquendum uſurpare poteſt, modo omni divinitate exuta enuntientur; nedum queat affectuum, & virtutum vitiorumque appellationes pronuntiare, quamlibet antiquitus gentibus, templis & aris conſecrata fuerint. Alioquin ipſius Dei nomen vitandum eſſet Chriſtiano, quia gentes eadem appellatione donaverint εἴδωλα, Deoſque invocaverint qui Dii non erant. Cœlum beatis poſt mortem denegabitur, quia repleruunt illud Pagani, Deorum ſuorum ſordibus ac fabulis. Non amaret Chriſtianus, quia Amor Deus Paganis. Nec juſtitia à judice deberet expeti, quia Deam Juſtitiam Gentiles finxerunt. Roma hodie nemini Chriſtiano eſſet incolenda, quia Roma pro Dea olim habita eſt. Dum hæc & ſimilia ad faſtidium ingerit V. Cl. nihil aliud

vide-

Digitized by Google

videtur propoſitum habuiſſe, quam ut cum phaſmate litigaret, quod ipſe plaſmavit. Nemo enim ſuper his contentionem movit. Ne Deorum quidem Gentilium appellationibus abſtinendum eſt Chriſtiano, cum numinis ſignificatio abeſt à nomine. Si Cererem pro victu ponat, & Bacchum pro vino, & Venerem pro voluptate, nihil eſt quod vetet eo ſenſu uſurpare. Tunc Ceres Dea non eſt, nec Bacchus Deus. ᾅδης Deus eſt Græcis qui *Orcus* Latinis. Si pro loco inferorum ſumam non pro Deo, ita loqui mihi licet, abſque idololatriæ crimine. Apoſtoli ipſi voce ᾅδης, non dubitarunt hac notione uti, cum de deſcenſu Chriſti ad inferos, in Symbolo fidei egerunt. Eos ſequuti Patres, ſic quoque eam uſurparunt. De Lazaro Gregorius Nazianzenus, dum à Domino de mortuis ſuſcitatus eſt, καὶ ἔλιπε Λάζαρος ᾅδην. Ita Stygem & Tartarum & Orcum pro inferis, licet, quales credit Chriſtianus, uſurpare, quamvis ea nomina pertineant ad inferos Gentilium. Inferos agnoſcunt Chriſtiani ut Pagani. Sed aliter hi ſuos inferos deſcribunt, quam illi. Si abſit deſcriptio ſpecialis, fas eſt Chriſtiano ea appellatione denotare inferorum ſuorum ſedes, qua Pagani ſuos nominant. Sed ſi eodem modo deſcribere Paradiſum inſtituam, ut Elyſium Poëtæ Gentium, aut inferorum, ad quos Chriſtus deſcendiſſe creditur, ſitum & imaginem ad exemplar & faciem inferorum, in quibus Ditem Patrem & Proſerpinam Matrem, regnare ſibi perſuaſerunt veteres, tum decoro plane excidero, & permiſcendo ritus diverſos, toto cœlo & totis inferis erravero. Hunc errorem commiſit V. Cl. cum inferos Judæorum, à quibus Mariamne in Theatrum Hieroſolymitanum educitur, ſeptemplice Styge circumiri dixit:

— Styxque quæ ſeptemplici
Oberrat unda, noctis infernæ chaos.

Sed eoſdem ab eo conſtitui oportuit inferos, cum illis quos Græci noverant, quia & Eumenides ibi collocat, & inde eas evocat, ſicut Græci. Item, animas mortuorum, ſive manes & umbras, quæ Græcorum eſt opinio, non Judæorum, ad ſuperos

iter facere poſſe, & hominibus phantaſmatum & ſpectrorum more oſtendi inſinuat, dum Mariamnæ umbram ſive larvam ex inferis ſuſcitat, & in theatro exhibet. Peccare etiam in eo videtur, quod imperio privato Mariamnes, Tiſiphone cum ſororibus ſuis parere feſtinans, comitatur eam in Theatrum venientem. At illæ non niſi Deorum majorum juſſu eunt, aut hominum precibus adductæ, vel per imprecationes inductæ. Nihil in ea Tragœdia tale, ubi hæc effata eſt Mariamne,

— cur adhuc ceſſant faces,
Sævæ ſorores? vertite huc iras, & huc
Vallata colubris ora, & immanes comas;

Statim illæ dicto audientes, moremque Mariamnæ gerentes, in Scenam proſiliunt, atque hæc eloquuntur,

— ſequimur ultrices Deæ
Sequimur Tyrannum.

Apud Virgilium, Juno eſt quæ Alecto ab inferis evocat, ut Turnum belli amore incendat. Apud Virgilium, Dido precatur ut ultrices Diræ ſibi adſint, & vindicent ſcelus Æneæ:

Et Diræ ultrices, & Di morientis Eliſæ,
Accipite hoc, meritumque malis advertite numen,
Et noſtras audite preces. —

Etiam precatur Laïus apud Statium:

— da Tartarei regina profundi,
Quod cupiam vidiſſe nefas. —

Et paulo poſt:

— multumque mihi conſueta vocari
Annue Tiſiphone, perverſaque vota ſecunda.

Apud Tragicum noſtrum Mariamne uno verbo imperat Furiis, *Cur ceſſant faces, ſævæ ſorores? vertite huc iras & huc.* An quia indecorum putavit Mariamnem inducere Furiis ſupplicantem, quaſi Deabus, quas non credebat, nec colebat? Non magis ex decoro eſt, quod jubet eas venire mortalis & jam mortua, immortales ac divas, ſub quarum erat poteſtate. Nec enim aliter datur cenſere. Mariamnæ anima ſive umbra apud inferos tenetur: in iiſdem inferis Eumenides locantur à Poëta, pror-

prorſus ex Græcorum Poëtarum ſententia. Eumenides autem Deæ inferorum potentiſſimæ, & cum Plutone & Proſerpina ibi dominantes. Et tamen ecce Mariamne quæ his Deabus imperat, & illæ quæ obtemperant. At non ſunt Deæ, inquit. Quid igitur ſunt? Affectus. Ridiculum! Affectus inferorum incolæ, facibus & ſerpentibus armati, ab inferis juſſu Mariamnes evocati, quo illa vult, pergunt, & Herodem vexant. *Furiarum ergo*, inquit, *meminiſſe, non minus grave Chriſtiano crimen erit, quam ſi diligentem aliquis in litteris ac gnarum, Muſis vacare dicat, quia Muſarum genealogias quidam tradunt, Deaſque antiquitas fuiſſe exiſtimat.* Jam hæc refutata ſunt. Cum Muſis aliquis operam dare, aut vacare dicitur, Muſæ in eo loquendi genere, non Deæ ſunt, ſed ſtudia litterarum, quibus vulgo Muſas Deas præſidere antiquitas credidit. Sed qui Muſarum imagines, & Apollinis, in Oratorio ſuo haberet, ante precaretur, incenſis odoribus, & cereis accenſis honoraret, quod factitaſſe veteres conſtat, tum plane in crimen idololatriæ incurreret, & gentium ritus in falſis Diis colendis imitaretur. Judæi imagines Cæſarum in numo non recuſabant, in templo averſabantur. Quæ ratio differentiæ? In templo ponebantur ut adorarentur: numo imprimebantur ad alium finem, ideo nec adorabantur. Nomina rerum quaſi numi ſunt etiam Deorum. Cum pro rebus ipſis ſumuntur, per ora cedunt loquentium, ut numi per manus eunt, abſque ulla divinitatis reverentia. Imago Dei numo incuſa non pro Deo exhibetur. Nec Dei nomen, cum res aliqua eo ſignatur, pro Deo oſtentatur. Qui Muſas litteras vocat, Jovem aërem, Cererem panem, & ſimilia, non Deos his nominibus intelligit. Cum Sancti imago pendet pro inſigni diverſorii, aut tabernæ mercatoriæ, non adoratur. Ture & precibus, cereiſque colitur in altari poſita. Spectandus igitur in omnibus uſus, & finis propter quem res inſtituitur. Habuere antiqui ſtatuas & ſimulacra Deorum, quæ pro ornamento tantum in locis publicis erigerentur. Inde nomen ἀγαλμάτων. Quæ vero dedicata, & certis ritibus conſecrata in templis ſtatuebantur, ad hoc poni

poni ſolebant, ut adorarentur. Quæ plurimis verbis profuſiſſime diſſeruit V. Cl. ad Furias ſuas defendendas, dum eas ſe pro affectibus poſuiſſe adfirmat, ex his poſſunt quæ diximus breviter confutari. Non enim Furiarum nomen pro conſcientia, pro vindicta ſceleris, pro affectu vel animo turbato poſuit: tunc enim nihil eſſet, quod contra dici poſſet. Sed cum eas apud inferos collocarit, inde eas evocarit, poteſtatem eis tribuerit puniendorum criminum Herodis, ipſiuſmet eo nomine facibus, & tædis ardentibus vexandi ac perſequendi, nihil alienum præſtitit à ſenſu veterum vatum, vulgique ipſius qui pro Deabus eas coluit. Quod diximus de nominibus rerum quæ quaſi numi ſunt, quæ in uſu promiſcuo verſantur, & ab omnibus paſſim uſurpari poſſint, tam Judæis & Chriſtianis quam Gentilibus, quibus res ipſæ communes ſunt, idem de nominibus perſonarum dicendum, quamvis Dei alicujus appellatione nuncupatæ reperiantur, aut partem traxerint ex Dei nomine. Ex ea tamen nominum ratione quæ hominibus aliqua ex parte cum Deo aliquo communia ſunt, colorem quæſivit defenſioni ſuæ Tragicus noſter. De Sylvano Deo ubi multa garrivit è trivio petita, quibus adſtruit Deum fuiſſe hoc nomine Romanis, *Et Sylvani*, inquit, *quidem aliquot in locis, ut amici, ſanctum Paulum meminiſſe, alibi & ſanctum Petrum ſcimus*. Sed percontari lubet diſertiſſimum & acutiſſimum virum, an cum *Sylvani* meminere Apoſtoli, ejus *Sylvani* Dei ſylveſtris, quem Romani coluerunt, mentionem feciſſe intelligendi ſint? An putavit vir ſagaciſſimus, Sylvanum illum, qui amicus, comes & diſcipulus Apoſtolorum fuit, nomen ſuum à Sylvano Deo nactum eſſe? *Sylvanus* idem qui & *ſylveſtris*, à ſylva. Hunc ſimiliter ὑλαῖον Græci vocarunt ἀπὸ τῆς ὕλης. Sylvanum quoque cum proprium nomen eſt hominis, à ſylva deductum exiſtimare licet, non à Sylvano Deo. Sed ponamus hominem Dei eſſe cognominem. Quid inde ſequitur? Quid hoc facit ad excuſationem & purgationem Tragici noſtri, qui Furias cum Angelis conjunxit in fabula ſive dramate Judaici argumenti? Nec meliora ſunt quæ apud eundem

haben-

habentur, ſed quia etiam feſtiva & jocularia, lubet apponere. *Jam quis dubitat*, inquit, *quin Hermes ſive Hermas, ſit Mercurius? quem inter gentium majorum Deos coluerunt priſci: quem furem alibi ac nebulonem, nulla circuitione uſus, nuncupat Lactantius. Quis dubitat Apollinem Gentilibus Deum, & Diabolum fuiſſe nobis, qui humano generi tot fraudibus oraculiſque illuſit? Nec negabit horum genealogias vel in primis à Paganis celebrari. Quos tamen inter ſuos, ne mutatis quidem, quod tum fuerat facillimum, nominibus, Apoſtoli reponunt.* Hæc adeo inepta ſunt ſophiſtica cavillatione illuſoria, ut quo nomine compellare, qui ea protulit, debeam, prorſus neſciam. Quale enim illud eſt, quod dicit Apoſtolos repoſuiſſe inter ſuos, Apollinem & Mercurium, nebulones ac fures Deos, Diaboloſque veros, ne mutatis quidem, quod facillimum erat, nominibus? Quaſi *Apollos* & *Hermas*, diſcipuli Apoſtolorum, & quos inter ſuos illi reponunt, iidem omnino fuerint cum Apolline & Mercurio, numinibus Gentilium? Quid poteſt fingi ſcurrilius, immo & falſius? Ne nomina quidem eadem ſunt. Tametſi eſſent, ob illam nominum communionem, non tamen idem homo poteſt videri cum Deo. Sed ut dixi, nomina ipſa differunt. ᾿Απολλὼς homo, non eſt ᾿Απολλὼν Deus. Per contractionem ᾿Απολλὼς, idem eſt quod ᾿Απολλόδωρος. Quin & declinatio diverſa, ὁ ᾿Απολλὼς, τοῦ ᾿Απολλῶ dicitur de homine, ὁ ᾿Απολλὼν, τοῦ ᾿Απολλῶνος de Deo: Latine, *Apollo Apollinis*. Similiter Ἑρμᾶς cum nomen eſt hominis, non ſignificat Mercurium Deum, ſed pro Ἑρμόδωρος ponitur. Ita Μητρᾶς eſt Μητρόδωρος: Νυμφᾶς quoque eſt Νυμφόδωρος: Ἡρᾶς qui Ἡρόδωρος: Ἀρτεμᾶς qui Ἀρτεμίδωρος. Sexcenta talia ſunt ad eum modum formata, nec doctis ignorata. Infinita nomina hominum apud Græcos reperiuntur ex Deorum nominibus compoſita, ſed pauca, immo fere nulla, quæ ſola ſolidaque Dei appellatione cenſeantur. Multi extant ᾿Απολλόδοτοι & ᾿Απολλόδωροι nominati, nemo ᾿Απολλὼν. Multæ leguntur Ἡρόδωραι, nullæ Ἡραί, hoc eſt Junones. Eſt & *Herodotus* à nomine Ἡρᾶς compoſitus, quaſi illius Divæ donum. Sic Ἡλιόδωρος & Ἡλιόδοτος aliquis dicitur; quære quis

Ἥλιος dictus ſit, nullum invenies. Similiter & Ægyptii veteres nomina ſua hominum compoſuerunt. Nam Μοίρης apud eos nomen viri proprium, idem ſonat quod Græcis Ἡλιόδωρος. Μοι quippe eſt donum, ρης Sol. Ἐπαφρόδιτος & Ἐπαφροδίτη nomina ſunt, viri & mulieris. Etiam Ἀφροδίσιον mulier eſt hoc nomine. Nulla Ἀφροδίτη vocatur. Τυχικὸς à Fortuna, & Εὐτύχιος dicti ſunt. Quid inde arguere vult, aut adſtruere Tragicus noſter? Eas appellationes, quia à Diis Paganorum veniunt, non fuiſſe Chriſtianis imponendas? Chriſtiani non fuere quibus primo ea nomina data, ſed Græci generis homines, qui poſtea Judaiſmum amplexi, inde ad Chriſti fidem converſi, non mutarunt nomen. Paulatim certe poſtea in Chriſtianiſmo illæ, ex Deorum nominibus factæ, denominationes evanuerunt: donec in totum tandem abolitæ ſunt, tam in Occidente quam in Oriente. Nomina ex Sacra Scriptura ſumi placuit, tam Veteris quam Novi Teſtamenti, quæ pueris in Baptiſmo inderentur. Quo de more nunc nihil dicam, niſi quod ſic honeſtius ac melius fieri hoc judico, quam ſi nomina Chriſtianis fierent concinnata ex appellationibus Deorum Dearumque Gentilium. Et tamen certum eſt, falſi Dei nomen nihil eſſe, niſi quando pro Deo ponitur, & ad hoc ut adoretur. Sola ſignificatio rei, ad rem pertinet: ſonus nominis, nihil facit. Minus autem ad id quod poſtulat excuſandum, quæ apud eumdem ſequuntur, faciunt: *Quid Titus? Quid ipſe Paulus, cum ante Saulus diceretur? Cur Romanum illi nomen placuit? Sive enim verum eſt quod de Sergio Paulo B. Hieronymus exiſtimat, ſive alia fuerit cauſa, Romanum eſt quod illi placuit.* Sive aliud fuerit, quid, quæſo, ad crimen Eumenidum cum Angelis permixtarum expiandum, faciunt nomina Romana Paulo ipſi, & ejus comiti ac diſcipulo Tito impoſita? An mirum eſt de nominibus Romanis in Provincia Romanorum Judæa, Syriave, quæ hominibus Syris & Græcis, Romano tum more viventibus, imponi ſolebant? Certe Paulus non ſine myſterio nomen ſibi Romanum, ſpiritu donante, adſcivit, qui ad gentes erat mittendus, & cujus Apoſtolatus Romanos gentium domi-

dominos proprie ſpectabat? Si quidquam fingi poteſt alienum, & ἀπροσδιόνυσον, hoc certe eſt. Statim ab his, occaſione captata, deſcendit ad inſulſas, & falſas vocum originationes è lingua Syriaca arceſcendas. Scelus ſacri illius ac ſecreti quo initia Cereris Eleuſinæ velabantur, nomine myſterii tum dictum perhibet. Hoc verum. Quid inde ſequitur? *Quis ignorat*, inquit, *quam pudenda myſteriorum fuerint initia, à parte illa, nempe, quæ ne dictu quidem eſt honeſta: quæ Eleuſinæ Cereri monſtrata atque exhibita, ut Clemens, ut Arnobius teſtantur, originem his ſacris dedit?* Quid tum poſtea? Quid inde concludet? *Eam ergo vocem adeo origine deformem, peſſimiſque ritibus pollutam, inferorum ac diaboli arcanum, Sacra pagina, cum magis non videret propriam, ne dedignata quidem ad res ineffabiles traduxit. Neque veritus Servator ſacra regni ſui & arcana, regni dicere myſteria, neque Paulus Dei ſapientiam eadem deſignare.* Quid inde efficere ſtudeat, non equidem video. Aliquid efficeret hæc ratiocinatio, ſi myſteria regni Dei & ſapientiæ divinæ, eadem eſſent cum myſteriis Cereris. Quid tam diſſonum ac diſpar? Sed utraq; vocantur myſteria? Sane & Deus falſus quem Gentes colebant, eodem nomine vocabatur quo Deus verus Judæorum & Chriſtianorum. Non propterea idem Deus, neq; veritas eadem cum falſitate, ſapientia cum inſipientia. Templa Idolorum pleraque à gentibus conſecrata, converterunt Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ in Templa veri Dei. Quid enim prohibet in eodem loco, ubi Gentilium Dei culti fuerunt, veræ divinitatis nomen invocari? Priora cedunt poſterioribus, falſa veris, vana ſolidis, eodem nomine & eodem loco manente. Moneta falſa dicitur ad diſtinctionem veræ. Utraque tamen moneta dicitur. Myſteria illa Cereris, & alia veterum ſacrorum initia, pudenda, horrenda, ac deteſtanda: myſteria vero regni Dei, quæ Chriſtus ſuos docuit, veneranda, admiranda & amplexanda. Utraque tamen myſteria dicta, ſed falſitas in illis ac mors; veritas in iſtis & ſalus. Si alias Furias in Theatro ſuo nobis produceret noſter Auctor, quam quæ Veteribus hoc nomine cognitæ fuerunt: ſi albas pro atris induceret:

ceret : ſi habitu humano comptas, pro furiali ac ferali : ſi denique ſine ſerpentibus, molles, affabiles, non terrificas, & horribiles oſtenderet, tum ſane fateremur non idem illum ſenſiſſe cum veteribus Poëtis; nullas Deas nobis Erinnyas introduxiſſe, ſed ſub eodem nomine rem aliam & aliud numen quam quod Antiquis notum fuiſſet, deſignaſſe. Myſteria inter Cerealia & Chriſtiana maximum diſcrimen intercedit. Inter Inferos Judæorum & Gentilium, inter Deos eorumdem non minor eſt differentia. Eodem tamen nomine vocare licet myſteria Chriſtianorum, Deum & Inferos, quo Gentium myſteria, Dii, & inferi nuncupantur. Noſter vero, cum Furias nobis proponat eaſdem & pari poteſtate præditas, & eodem habitu ornatas, quid poteſt cauſæ dicere quin & Deas nobis eas, quoquo modo à Veteribus cultæ ſunt, exhibuerit? Non nomen tantum idem eſt; ſed res eadem, & nomen, & poteſtas, & habitus, & habitatio. Nam inferos eis pro ſedibus & domicilio aſſignat. Non alio porro conſilio myſteria illa nobis revelavit, quam ut haberet cauſam & occaſionem inſerendæ egregiæ & mirificæ originationis nominis *Baubo*. Anus illa fuit parum verecunda, quæ riſum excuſſit mœſtæ Cereri, pudendorum revelatione, quæ puerulus ejus Iacchus cava manu ſuccutiens plaudebat & contrectabat. Hinc occulta illa, ut ait Clemens & Arnobius, Athenarum myſteria. *Quæ autem*, inquit V. Cl. *fuerit hæc Baubo, neque Clemens, neque Arnobius viderunt*. Age igitur togam audituri componamus, ut διδακτρον magiſtro debeamus. *Ad Orientem*, inquit, *ſemper vel invitis in his talibus deveniendum*. Ecce invitos & ingratiis in Orientem nos trahit à Septentrione. Aſt ego nunc in eo ſum, ut verſus Septentrionem à Meridianis partibus tendam. Sed animo in Orientem jam cum Tragico noſtro pervolemus. Baubo illa hoſpita Cereris à quibuſdam tradita eſt : ab aliis etiam nutrix. Certe non Cereris nutrix fuit, ſed Iacchi Cereris filii. Et hic erat Iacchus, quem cum Baubo Cereri pudenda ſua oſtendiſſet, ea manu ſuccutiendo plauſiſſe, refert Orpheus in verſibus à Clemente citatis :

— παῖς

Digitized by Google

—— παῖς δ' ἦεν Ἴακχος
Χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.

Quos verſus cum Latine verteret Arnobius, parum intellexit, & perperam expreſſit, ut alibi dicendum erit. Nutricis hujus Baubus ſive hoſpitæ Cereris hoc nomen V. Cl. ab Oriente repetit, ubi generis humani hoſtem Syri vocabant, *Beal Bobo*, vel *de Bobo*, id eſt, *inimicum* בעלובבא. Vox illa inimicum ſonat, non inimicum generis humani. Sed quid habet commune nomen aniculæ Græcum, & nutriculæ Iacchi, cum voce Syriaca, quæ inimicum ſignificat? Numquid inimica generis humani facta eſt illa Baubo, & inde nomen nacta eſt, quod inimicum deſignat, quod ab ejus facto originem traxerunt myſteria? At qui myſteria illa prodiderunt, quibus originem dedit turpiculum illud factum Baubus, non crediderunt in fraudem ac perniciem generis humani initia illa à ſe inſtituta. Nec ratio eſt cur vocare debuerint nomine *inimici*, quod fieri à ſe putabant in favorem ac gratiam ſalutemque generis humani. At Syri & Judæi ſic illam Baubo ideo nominarunt. Cur non Cererem ipſam potius? Nam Ceres maxime in illis myſteriis colebatur, non Baubo. Deinde cur ipſi myſteriorum auctores hoc nomen Baubo à Syris impoſitum, contra mentem atque inſtitutum ſuum receperunt ac retinuerunt. Nemo non videt quam hæc ſint inepta. *Unde & Bubo*, inquit, *forte ominoſa avis & nocturna*. Nempe à voce Syriaca, quod inimica & ipſa ſit generis humani. Vidi ego & ſcio qui aptum ejus etymon & proprium à Græcis, ut omnia fere Latina inde ſumpta ſunt, deducant. Βύας dicitur, & inſerto digammate, ut ſemper Æoles quoties duæ vocales concurrunt, βύϜας: ipſi pronuntiabant & ſcribebant βοῦϜας: inde Latinis *bubo*. Addit deinde: *Adde quod utrumque &* Behal, *& alterius origo, quod eſt* בוא Bo, *Hebræis de venereo congreſſu uſurpatur, ſicut &* בעלה Beila *concubitum &* ביאה *notat: ut Elias Thisbite annotavit. Unde & βουβὼν de honeſta minus parte, ut Latinis* Bubo. *Nam & eadem vox Syris, de qua dixi, portam aut introitum deſignat*. Ne quis jam miretur quod Furias & Angelos in Tragœdia ſua copularit, en quot res quam

diverſas miſcuit & confundit. Nutricem Cereris *Baubo:* inimicum quem Syri vocant *Beal Bobo:* Avem nocturnam quæ Latinis *Bubo: Bo* Hebraicum de venereo congreſſu: Græcorum βϐῶν, quæ inhoneſtam dictu partem ſignificat; & vocem Syriacam eodem ſono quæ portam vel introitum notat. De vocibus Orientalibus viderit ipſe, aut ſi quis Orientalior eſt. Potuit ſane & βόμϐον in eamdem naſſam includere. Nam hæc omnia βομϐώδη ſunt, & κομπώδη, plus ſoni quam mentis habentia. Quod attinet ad vocem Græcam βϐῶν, qua honeſtam minus partem ſignificari adnotat, ut conciliare eam poſſit cum venereo congreſſu, & porta vel introitu Syriaci vocabuli, ſciendum eſt, neſciſſe illum quid Græcis proprie ſit βϐῶν. Nam quod addit, Latinis *Bubonem* in eadem ſignificatione poni, de pudendo nempe humano, unde id hauſerit, ignoro. βϐῶν Græcè locus eſt inter femina, & pudendum. Eodem nomine ſignatur & tumor qui in illis partibus oriri ſolet. Unde & βϐωνιᾷν dicuntur qui eo morbo laborant. Hinc & Galli *Bubon* vocant omnem tumorem, & præcipue qui in peſte correptis ſe oſtendit, modo in illo quem dixi loco, modo in aliis partibus corporis. Sed ſæpius inter femur & pudendum peſtifer βϐῶν ſurgere conſuevit. Unde & βϐῶνος λύμη pro peſte apud Græcos, & recentiores. *Luem inguinariam*, qui eorum ſcripta Latine verterunt, vocare ſolent; ut Hiſtoriæ Tripartitæ auctor, & Anaſtaſius. Non ea eſt lues veneria, ut quidam interpretati ſunt, ſed lues peſtifera, & contagioſa. *Inguen* autem Latini id nominarunt, qui Græcis eſt βϐῶν. Hinc à loci vicinitate pudenda ipſa vocarunt inguina. Nos Gallicè vocamus *les Aiſnes*, qui Græcis βϐῶνες. Atque hæc obiter. Non eſt felicior in aliis veriloquiis vocum eruendis, quæ paſſim plena manu ſpargit in illa Epiſtola oſtentationis & vanæ gloriæ ſtudio. Pauca ex multis excerpamus ac notemus. Samiam Junonem Græci Latinique pariter vocarunt à loco in quo colebatur, quia in ea urbe vel inſula templum habet & ſimulacrum celeberrimum. Auctori noſtro placet à voce Hebraica *Schamaim* quæ cœlos ſignificat, epithetum Samiæ Junonis

nonis

nonis arceſſere. Cur hoc, aut unde? Cœleſtem, ſic vocatam proprie Deam, & Carthaginienſium tutelare numen, Phœnices ac Pœni nuncuparunt, בעלת שמים *Baalath Schamaim, Dominam Cœlorum.* Inde ergo *Samia Juno* Latinorum, quæ & Σαμία Ἥρα Græcorum. Credat qui volet. Ego tum credam cum ſomniis fidem habere cœpero. Suave & illud eſt ac facetum, quod ſcribit Maronem, cum *Atlantis duri* dixit, obiter ſi forte alluſiſſe ad vocem *Durin*, qua mons ille ab Afris vocabatur, quam Romani corruperant. οὖθαρ ἀρούρης non uno loco dixit Homerus pro terræ fertilitate. *Rationem vocabuli*, inquit, V. Cl. *originemque à Grammaticorum qui hic meri ſunt hiſtriones ac fuci, ſi poſtules, nihil agas. Pete à Chaldæis. Videbis quod Hebræis*, עשר *Aſchar Chaldæis ac Syris* עתר *Athar dici. Unde* עותר *Outhar*, *quæ jam ipſa vox Homeri eſt, divitiaſque aut abundantiam deſignat. Quam, ut vides, integram in ſua tranſtulit Poëta, ſicut res ubique ac diſciplinas.* Sed quid opus in Orientem tam longe ire ut diſcamus quid ſit οὖθαρ ἀρούρης apud Homerum? Græcia ipſa nos hoc docet, quod & Romanos docuit Poëtas; qui ad verbum *uber glebæ* dixerunt, quod apud Græcos eſt οὖθαρ ἀρούρης. Quid certius, quam Græcis οὖθαρ uber & mammam ſignificare? Unde οὔθατα ubera & mammæ. Pro οὖθαρ Æoles dicebant οὖφαρ, theta in Phi mutantes, ut Φῆρας dixere, qui Græcis aliis θῆρες. Romani autem illud Æolicum φ in β mutarunt, atque inde *uber* fecerunt, ut ex φάλαινα *balæna*, & *Bruges* pro *Phrygibus*. Sic ex Græco σύφαρ, quod corticem ſignificat, formarunt *ſuber*: ex τύφαρ quod ἐπαίρειν denotat & omnem elationem, unde & τῦφος pro arrogantia, *Tuber*. Quam ridiculum eſt & illud quod Romanæ Divæ nomen, quæ à nomine puro putoque Romano *Levana* dicitur, quæ & puerperiis præeſſe creditur, ab Oriente ſuo repetierit. *Quære*, inquit, *ex Hebrææ linguæ perito quid ſit* לבנה *Lebana vel* Levana, *reſpondebit Lunam eſſe. Quære à Romanis quod ſit Lunæ munus, reſpondebit partui præeſſe.* Primum *Lebana* Hebræis Luna dicitur, non *Levana*. Periti linguæ ſciunt quantum hoc ſit diſcrimen unius litteræ. Sed Latini, dicet,

cor-

corruperunt. Eſto. Unde voces inde etiam res ipſæ ſumptæ. Nam res ſemper intrat cum nomine. Oſtendat apud Hebræos quorum illud vocabulum *Lebana* pro Luna, idem officium ſuſtinuiſſe Lunam creditam, ut præeſſet nempe puerperis. Cur igitur nomen ab ea deduxiſſent ſine re? Præterea vocabulum aliud habent Latini, quo ſidus illud appellent, quod Hebræis appellatur *Lebana.* Nam *Lunam* vocant. Quæ igitur ratio eſt, ut Lunam quando præeſt puerperis ab Hebræis *Lebanam* vel *Levanam* vocaverint, quando non præeſt, *Lunæ* nomine dixerint? Atqui *Lebana* Hebræis nullum tale habere officium ac munus exiſtimatur. Poſtremo certum eſt, voces Romanas ab Hebræis immediate nullas deſcendiſſe. Ut demus à Syris & Phœnicibus Græcos multa mutuatos eſſe vocabula, non tamen verum eſt Romanos inde ſua derivaſſe. A Græcis, & Æolici quidem generis, omnem ſuam dialectum hauſerunt. Denique plus quam verum eſt *Levanam* nomen eſſe mere Latinum, ſive à levandis puerperis, ſive à pueris de ſolo levandis, poſtquam in terram ex utero matris cecidiſſent, ut tum moris fuit puerperas parere. Hac mente Auguſtinus dixit, à quo Levanam iſtam ſumpſit, *Ipſe levat*, infantes ſcilicet, *de terra, & vocatur Dea Levana.* Cætera quæ ſequuntur apud eundem minutorum & plebeiorum numinum nomina, ad infantes ſive naſcentes, ſive jam natos pertinentia, Romana forma percuſſa ſunt: *Ipſe in vagitu os aperiat, & vocetur Deus Vagitanus. Ipſe levet de terra, & vocetur Dea Levana. Ipſe Cunas tueatur, & vocetur Dea Cunina: Non ſit alius, ſed ipſe in Deabus illis, quæ fata naſcentibus canunt, & vocantur Carmentes. Præſit fortuitis, voceturque Fortuna. In diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam. In Diva Potina potionem miniſtret: in Diva Educa eſcam præbeat.* Piget cætera referre. Nam multa alia ſequuntur ejuſmodi Divorum nomina ex re facta, ac moneta Romana ſignata. Et ſunt præterea innumera talia parvarum divinitatum, ex rebus, actionibus, functionibus, quibus præeſſe credebantur, inventa & formata vocabula, quorum origo in ſolo

Ro-

Digitized by Google

Romano fixa eſt, non aliunde ducenda. Cur ex tanta numinum plebeiorum turba ſolam *Levanam* excerpſit, quam Orienti daret? Quia nimirum non aliud in Orientalibus oris reperit, præter *Lebanam*, quod aliqua ſoni ſimilitudine paria faceret cum iſta *Levana* Romana Diva. Tale eſt quod & de Furiarum originatione commentus eſt. Soni vicinitate inductus, nulla rei niſi tenui admodum cognatione, Furiæ etymon à *Furanioth* & *Fara*, vocibus Hebræis, & ſic ab Oriente pertraxit. *Fara* eſt vindicta; Furia eſt μανία. Inde furioſus ὁ μανιώδης. Inde Furiæ Deæ quæ in furorem concitant, & furioſos faciunt, quas propterea & μανίας Græci appellant, cum hoc facere creduntur. At *Fara* Hebræis vindicta eſt. Quid ergo? An Fara vel Furanioth, hujuſmodi Divas Hebræi nuncupant, quæ vel furere homines cogant vel eorum ſcelera ulciſcantur? Nihil omnino tale habent. Et tamen Furia quæ Dea eſt irarum, furorum, & vindictarum, ab Hebræo *Fara* deſcendit. Ποινὰς in genere vocant eas Græci cum ultrices ſunt facinorum, & ſpecialiter hoc muneris dederunt uni ex ſororibus Τισιφόνη inde appellatæ. Furiæ etymon & furoris, cum ab eadem origine veniant, ab Æolico Græco, unde omnia fere Romana vocabula, petendum eſt. Θορῶ, idem eſt quod *irruo cum impetu.* Inde θόρος *violentus* & *furioſus impetus*. Et θοῦρος ἄρης *furioſus Mars*, qui & abſolute θοῦρος. Æolicum porro φορῶ pro θορῶ. Hinc *furo* Latinum, & φόρος pro θόρος, inde *Furos* & *Furor*, ut φῆρες pro θῆρες. Hinc etiam θορεία & φορεία, ex quo Romanorum *Furia.* In defendendis ſuis Furiis vel Herodianis, multa ex occaſione infercit veriloquia vocum Latinarum & Græcarum ex Oriente petitarum, ut ſe in illis regionibus diutius verſatum eſſe probaret, quam ſub axe Arctoö. *Quis in Africa*, inquit, *Didonem tot ante annos docuit recincta veſte amori diſſolvendo eſſe utendum?* Poſſemus illi oſtendere hos ritus omnium ferme nationum fuiſſe communes quæ multitudinem Deorum tenuerunt. Sed hoc non hujus temporis. Pergit: *Quis autem ſimulandi ritum docuit? Unde illud:*

Sparſère & latices ſimulatos fontis Averni.

Unde Dido ſcire potuit lacum in Campania extare, qui Ἄορνος *Græcis, qui Romanis Avernus, voce ab Hebræis flexa ac mirifice detorta diceretur?* Pro Virgilio nunc non reſpondeo, ſed propero ſcire quomodo vox *Avernus* Latina, ſive Græca ἄορνος, ab Hebræo deflexa ſit. *Cum Hebræi*, inquit, *infernum locum tenebroſum* לא אור lo or, *aut ſi elementa exprimantur ſingula* lo aor, *ſine lumine ac luce dicerent, Græci qui ex primo privativam ſuam fecerunt, addita & terminatione ſua,* Ἄορνον *dixere. Quod qui non viderent, nihil autem Romani Græcique hîc vident, avem autem Græcis* ὄρνιν *dici ſcirent, lepide ad fabulam, hoc eſt, aſylum ſuum confugerunt.* Hæc lepide ab Auctore inventa eſſe nemo negat. De veritate etiam commenti non dubitaremus, ſi Græci ἀόρνους omnia obſcura & inferna loca proprie vocaſſent quaſi luce carentia. Et ſane ſi dictio ἄορνος eam ex origine Hebræa ſignificationem habet, omnia hypogæa, ergaſtula, Tulliana, & alia ſubterranea loca ſic appellari debuerunt. Non enim unicum in Campania ἄορνον vocarunt, ſed etiam in aliis tractibus ἀόρνους poſuerunt, non inde appellatos quod loca eſſent obſcura ac tenebroſa. Lacus quippe ac voragines ſic nominarunt, ex quibus peſtifer halitus exortus aves ſupra volantes necaret. Ἄορνος etiam petra in India dicta, ſi bene memini, tantæ altitudinis, ut aves eam volando ſuperare non poſſent: Græcis ἄορνος, Æolibus, inſerto vau vel digammate, ut ſoliti ſemper in concurſu duarum vocalium, ἄϐορνος. Immo & ἄϐορνος. Nam ὄρνιαν & ὄρνις Æolica ſunt pro iis quæ dialecto communi, ὄρνεον & ὄρνις. Sic ἰδὺς dixere pro ἰθὺς iidem Æoles. Inde ergo Latinis *Avernus*, de lacu peſtilentis halitus, & aves ſupervolitantes necante. Conſtat hodieque lacum illum mephitim exhalare peſſime olentem & noxiam. Non melior fluminis inferni, nomine Ἀχερὼν, etymologia, quæ ab Hebræo אחרון ducitur, quod *poſtremum* ſignificat. An Acheron poſtremus amnis in regione inferorum. Vel, *ut melius Græci*, inquit, ἐξώτατον. *Quemadmodum & locis aliquot* σκότος ἐξώτερον dicitur. An ἔσχατον & ἐξώτατον idem? Quis neſcit omnia nomina infernalium

nalium amnium apud Græcos, Græcas habere origines: Πυριφλεγέθων quod igne ardeat. Κωκυτὸς ἀπὸ τοῦ κωκύειν. Styx, à triſtitia & mœrore. Cur ſolus Acheron ab Hebræo deſcenderet? Certe ἀπὸ τῶν ἀχέων dicitur. Ab ἄχος, Ἀχέρων. Hæc vera originatio. Palmariam unam ſaltem putavit, & fortaſſe quibuſdam perſuaſerit, qua Ἶρις nomen Græcum ab Hebræo עיר *ir* deducit. *Ir* Hebræis Angelus eſt, aut cuſtos. Inde Ἶρις Deorum nuntia. At Ἶρις arcus cœleſtis, Græcis longe ante nomen habuit, quam pro Diva haberetur Dearum nuntia. Antiquiſſimi Græci Ἶριν appellant illum arcum, qui in cœlo ſæpe apparet ex multis coloribus rutilans. Ab eo & Ἶρις in oculo circulus qui pupillam ambit. Inde & folia floris ſic appellati, quod in arcus ſpeciem curventur, dicta. Ex eo arcu cœleſti nuntiam Deorum poſtea fecerunt Græci cum ſuo ſibi antiquo nomine. Nec enim ab officio ejus novo, nomen illi novum indiderunt. Atque hæc obiter hinc inde percurrendo illam Epiſtolam decerpſimus, quæ virgula cenſoria notaremus, ut à tam longinquo itinere, & via difficili deterreremus, qui in Orientem properant, ut inde merces nobis adulteratas & falſas advehant, Græcarum nempe Latinarumque vocum ridiculas & inſulſas etymologias. Nunc in orbem noſtrum redeamus, & ad rem de qua eſt quæſtio. Alio argumento nititur, ut Furias ſuas nobis approbet, dum eas in Herodem immittit. *Herodem* nempe, *ut Idumæum, ita Judaicæ religionis contemptorem, Romanæ autem, ſicubi opus foret, & patronum, & inepte in nonnullis fuiſſe ſectatorem, neſcire neminem.* Quod multis deinde probare ſatagit, ſponte ei concedamus eſſe verum. Quid inde effecturus eſt? Recte nimirum atque ordine, & ex decoro Herodi Furias paganas Deas attribuiſſe. Hoc procederet, ſi Herodem in ſcena exterritum, & mente ſenſibuſque externatum induxiſſet, clamantem ſe Furias videre cum facibus, quas manibus retinebant, in ora ejus involantes, & hydrorum ſibilis flagelliſque inſonantes. Hæc perſonæ Herodis, & ſuperſtitioni cui favebat, conveniebant. Sed dum Furias ipſas θεοποιεῖ, & in Theatrum prodeuntes ac loquentes,

perſonamque ſuam agentes introducit, & quidem ex imperio Mariamnæ quæ & ipſa ſecum Furias ex Inferis adducit, toti genti eam opinionem attribuit, quæ ἑλληνισμὸν ſapit. Præterea & ipſi Mariamnæ eam affingit, quæ non eandem cum marito Religionem Gentilium fovere unquam viſa eſt. Quod nemo negaverit contra decorum fieri ac fingi. Alium poſtremo colorem quæſivit, quo Furias purgaret ex perſona ipſius, ac moribus Mariamnæ. Graves ejus mores, inſolentia, arrogantia, quamvis cum his omnibus pudica & caſta non negetur, Furiam prope videri eam faciebant. *Cum hæc lego*, inquit, *vix me contineo quin exclamem,*

Cur ego non dicam Furia te Furiam?

Quænam illa ſunt, quæ apud auctores legendo in eam exclamationem prorupit, Mariamnem fuiſſe veram Furiam? Hegeſippus poſtquam & ſobriam fuiſſe & caſtam conceſſit, inſolentem formæ conſcientia extitiſſe ait, additque: *Magnanimitas ſuperfluebat, ſedulitas deerat, ut blanditias dedignaretur mariti: ſecura quod nihil ab eo qui ſupra modum diligeret, exitii perpeti poſſet. Nec ſolum ad præſens ultionem repperit, ſed etiam in reliquum hæreditaria odia tranſmiſit.* Si Furia, cum his moribus germana fuit Mariamne, ut viſum eſt V. Cl. quid opus erat ei Furias ex inferis in Theatrum venienti comites addere, quibus maritum terrificaret, & in furorem impelleret. Ipſius umbra ſola hoc potuit efficere? Furia vero fuerit Mariamne, id eſt, furioſa, dum vixit, quod Auctores non dicunt, ne illud quidem de ea dicitur, quod ei Religioni addictam ſe oſtenderit, quæ Furias Deas credit. Cur ergo eas ex Inferis educit, ut in maritum immittat?

Hæc ſunt, *Cultiſſime Menagi*, quæ tuo rogatu in Epiſtolam Viri Celeberrimi pro Cenſura Balſacii tui libuit, immò licuit adnotare. Ne plura poſſem, & librorum quibus deſtitutus hic ſum, & otii penuria fecerunt. Quæ ad rem maxime pertinere, & alicujus eſſe momenti viſa ſunt, præcipue notanda mihi ſumpſi. Nec plura fortaſſe carpi fuit neceſſe. Nam & illa omnia quæ Balſacius reprehenderat, integra & illæſa manent, utpo-

Digitized by Google

utpote inepte aut frigide ab Auctore noſtro refutata. Maxima pars illius Epiſtolæ occupatur in futilibus vocum originationibus ex Oriente, in quo numquam fuit, arceſſendis & aliis digreſſionibus inſerendis, quæ nec ſolum nec cœlum tangunt, ſed in medio ἀεροβατοῦσι. Præterea multa refellere aggreſſus eſt, de quibus controverſia non erat, immo & nonnulla de quibus inter partes conveniebat. Quod ſi ſingillatim omnia expendere voluiſſem, quæ cenſoriam notam merebantur, liber pro Epiſtola exiiſſet, aut certe in eam molem excreviſſet, quæ Epiſtolam dedeceret. Concludo igitur non recte neque ordine, neque decenter feciſſe Clariſſ. Virum, qui in eadem Tragœdia diverſæ Religionis πρόσωπα conjunxerit, Angelos cum Furiis, Michaëlem cum Alecto, Tiſiphonem cum Gabriële, & Megæram cum Raphaële. Quod Virorum magnorum exemplo ſe tuetur, hoc errorem ejus non purgat, ſed Auctorem errantibus adgregat. Vale & me amare perge. Lutetiæ Pariſiorum A. D. Pr. Kal. Octob. cIↄ Iↄ c XLIII.

ERRATA.

Pag. 12. lin. 19. *Erynnis*, Lege, *Erinnys*. Pag. 21. lin. 20. Leg. ἀπογυμνιᾷ. Pag. 41. lin. 10. αἱμαλωπτοῦς. Leg. αἱμαλωπτοὺς. Pag. 42. lin. 6. Leg. ἐρεννιῶ. Pag. 48. lin. 10. Leg. νυμφόληπτοι. *Cætera, ſi quæ ſint, facilè per ſe Lector Benevolus emendabit.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google